SC.17.Pl.6.

ARA 2519

Digitized by Google

Digitized by Google

VERITAS
RELIGIONIS CHRISTIANÆ
EX
Genere, conceptu, ortu, vita, geſtis, myſteriis ac prodigiis
JESU CHRISTI
EJUS AUCTORIS
NECNON
VIRGINIS DEIPARÆ
CONFIRMATA
Et omnibus Fidelibus & Infidelibus iterum propoſita
PER
FR. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI
ORDINIS PRÆDICATORUM
In Bononienſi Univerſitate Controverſiarum Fidei Profeſſorem
NVNC
S. R. E. CARDINALEM.

TOMI IV.
PARS ALTERA.

ROMÆ, ex Typographia Rochi Bernabò, MDCCXXXVII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

ELENCHUS

Eorum, quæ in hac Parte tractantur.

CAPUT XX.

De Miraculis à Chriſto patratis.

§. I. *De Miraculis Chriſti in genere.* pag. 1

§. II. *An Chriſti Miracula ſufficienter oſtenderint ejus Divinitatem.* 8

§. III. *De variis Miraculorum ſpeciebus, quæ Chriſtus edidit.* 16

§. IV. *De Nuptiis Canæ, & Miraculo in eis patrato à Chriſto.* 21

CAPUT XXI.

De Transfiguratione Chriſti.

§. I. *An fuerit conveniens, & quomodo facta.* 27

§. II. *Circumſtantiæ Transfigurationis.* 32

CAPUT XXII.

De Chriſto Hieroſolymam ingrediente.

§. I. *Præcedentia ingreſſum.* 38

§. II. *De Ingreſſu & Circumſtantiis ejus.* 41

CAPUT XXIII.

De ultimæ Cœnæ Celebratione.

§. I. *Chriſtus legale Paſcha celebravit.* 50

§. II. *Chriſtus Cœnam Paſchalem non antevertit.* 55

§. III. *Judæi Paſcha legale non diſtulerunt.* 61

§. IV. *Locus Cœnæ, & Commenſales.* 66

§. V. *An Chriſtus ſumſerit ſuum Corpus: an paſſibile: & an ſtans Agnum comederit.* 72

CAPUT XXIV.

De Paſſionis Chriſti exordiis.

§. I. *De Juda proditione.* 77
§. II. *Alia de Juda proditore examinantur.* 84
§. III. *Petri Negatio.* 92

CAPUT XXV.

De Paſſionis Chriſti progreſſu.

§. I. *De Pontio Pilato.* 102
§. II. *De Chriſti Flagellatione.* 108
§. III. *De ſpinea Chriſti Coronatione.* 112

CAPUT XXVI.

Continuantur Acta Paſſionis Chriſti.

§. I. *De Sententia Pilati.* 114
§. II. *De Crucis geſtatione.* 118
§. III. *De Simone Cyrenæo.* 119
§. IV. *De Mulieribus Chriſtum ſequentibus.* 122

CAPUT XXVII.

De Cruce Chriſti.

§. I. *Crucis materia.* 125
§. II. *Crucis Chriſti forma.* 128

CAPUT XXVIII.

De Crucifixione Jeſu Chriſti.

§. I. *De Convenientia Crucifixionis.* 134
§. II. *De Modo Crucifixionis.* 141

CAPUT XXIX.

De Latronibus unà cum Chriſto Cruci affixis.

§. I. *An conveniens fuerit, Chriſtum cum Latronibus crucifigi.* 147
§. II. *Aliqua de duobus Latronibus examinantur.* 148
§. III. *Nomina, Patria, meritum & demeritum, præmium, & pœna duorum Latronum.* 151

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXX.

De Tempore Crucifixionis Chriſti, Lictoribus &c.

§. I. *De Tempore, ſcilicet Anno.* 158

§. II. *De Menſe, Die, Hora crucifixionis, & Loco.* 163

§. III. *De Chriſti Crucifixoribus, eorumque peccato.* 167

CAPUT XXXI.

De Morte Chriſti, & Prodigiis in ea ſecutis.

§. II. *De Tenebris, & Solis Obſcuratione.* 171

§. II. *De aliis Prodigiis in Morte Chriſti.* 180

CAPUT XXXII.

Paſſiones & Dolores, quos Chriſtus ſuſtinuit.

§. I. *An omnes Paſſiones ſuſtinuerit.* 187

§. II. *An dolor Paſſionis Chriſti fuerit major omnibus doloribus.* 192

§. III. *De Paſſione Chriſti quantùm ad animam.* 195

CAPUT XXXIII.

De Sepultura Chriſti.

§. I. *Aliqua circa Chriſti Mortem.* 198

§. II. *De Convenientia & Modo Sepulturæ Chriſti.* 201

§. III. *De Chriſti Corpore in ſepulchro condito.* 207

CAPUT XXXIV.

De Reſurrectione Chriſti.

§. I. *Recenſentur errores.* 213

§. II. *Reſurrectionis Chriſti Veritas.* 215

§. III. *De qualitate Corporis Chriſti reſurgentis.* 224

§. IV. *An Corpus Chriſti reſurgentis fuerit integrum.* 229

§. V. *An fuerit Glorioſum, & Cicatrices habuerit.* 233

§. VI. *An Chriſtus Primus reſurrexerit.* 238

§. VII. *An Chriſtus ſolus reſurrexerit non moriturus.* 240

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXV.

An Chriſtus fuerit Cauſa, tum ſuæ, tum noſtræ Reſurrectionis.

§. I. *An Chriſtus propria virtute reſurrexerit.* 244
§. II. *An Chriſtus ſit cauſa noſtræ Reſurrectionis.* 246
§. III. *An Reſurrectio Chriſti ſit cauſa noſtræ Juſtificationis.* 250

CAPUT XXXVI.

De Modo, quo Chriſtus Reſurrectionem ſuam manifeſtavit.

§. I. *Quibus eam manifeſtarit.* 252
§. II. *Modus, quo Chriſtus poſt Reſurrectionem converſatus eſt.* 257
§. III. *Argumenta, quibus Chriſtus ſuam Reſurrectionem demonſtravit.* 262

CAPUT XXXVII.

De Chriſti in Cœlum Aſcenſu.

§. I. *Cur Chriſtus ſuum Aſcenſum diſtulerit.* 264
§. II. *Quinam Chriſti in cælum Aſcenſum negarint.* 266
§. III. *Aſcenſionis Chriſti Veritas.* 268
§. IV. *Aſcenſionis Modus, & Circumſtantiæ.* 272

CAPUT XXXVIII.

De Seſſione Chriſti ad dexteram Patris.

§. I. *Modus Seſſionis.* 281
§. II. *Quid Chriſtus ſedens ad dexteram Patris pro nobis agat.* 284

CAPUT XXXIX.

De Miſſione viſibili Spiritus Sancti.

§. I. *Quid egerint Apoſtoli ab Aſcenſu Domini uſque ad diem Pentecoſtes.* 291
§. II. *Cauſa, Modus, Locus, Adventus Spiritus Sancti.* 294
§. III. *Quid ſit Pentecoſtes, & qua Die eo Anno contigerit.* 297
§. IV. *Super quos, & quomodo deſcenderit Spiritus Sanctus.* 304
§. V. *Effectus à Spiritu Sancto producti.* 309
§. VI. *De Dono Linguarum.* 312

CA-

Digitized by Google

CAPUT XL.

De Morte Deiparæ Virginis.

§. I.	*Verè mortuam eſſe.*	327
§. II.	*Locus Mortis.*	330
§. III.	*Quo ætatis anno mortua ſit, & quo mortis genere.*	335
§. IV.	*De Funere Corporis B. Virginis.*	337

CAPUT XLI.

De B. Virginis in Cœlos Aſſumtione.

§. I.	*De Aſſumtione, quoad Animam ſtatim ab obitu.*	342
§. II.	*De Aſſumtione etiam quoad corpus.*	346
§. III.	*Aliqua pro complemento.*	355

Im-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanen. Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Joannes Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS

De Chriſti, ejuſque Virginis Matris Genere, Ortu, Vita, Morte &c.

CAPUT XX.

De Miraculis à Chriſto patratis.

§. I.

De Miraculis Chriſti in genere.

I. TOT tantaque Miracula ſuæ prædicationis tempore Chriſtus operabatur, ut eorum fama non ſolùm univerſam Judæam occuparet, ſed etiam ad finitimas regiones tranſiret: *Circuibat* (inquit Matthæus cap.4. v.23.) *Jeſus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni: & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.* Quibus commoti, & maximè excitatione Lazari quatriduani è ſepulchro, Phariſæi, Pontifices, & Sacerdotes ei infenſi, coacto Concilio Joan. 11. v.47. dixerunt: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* De his agit S. Thomas 3.p. q.43. in generali conſideratis.

II. Et primò quærit art.1. An Chriſtus debuerit facere Mi-

racula. Cui reſpondet affirmativè. Quia *divinitùs conceditur homini miracula facere propter duo. Primò quidem & principaliter, ad confirmandam veritatem, quam aliquis docet. Quia enim ea, quæ ſunt fidei, humanam rationem excedunt, non poſſunt per rationes humanas probari, ſed oportet, quòd probentur per argumentum Divinæ virtutis; ut dum aliquis facit opera, quæ ſolus Deus facere poteſt, credantur ea, quæ dicuntur eſſe à Deo: ſicut cum aliquis defert litteras annulo Regis ſignatas, creditur ex voluntate Regis proceſſiſſe, quod in illis continetur. Secundò ad oſtendendam præſentiam Dei in homine per gratiam Spiritus Sancti; ut dum ſcilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam, unde dicitur Galat.* 3. Qui tribuit vobis Spiritum Sanctum, operatur virtutes in vobis: *Utrumque autem circa Chriſtum erat hominibus manifeſtandum, ſcilicèt, quòd Deus eſſet in eo per gratiam, non adoptionis, ſed unionis, & quòd ejus ſupernaturalis doctrina eſſet à Deo. Et ideò convenientiſſimum fuit, ut miracula faceret: unde ipſe dicit Joan.*10. Si mihi non vultis credere, operibus credite: *Et Joan.* 5. Opera, quæ dedit mihi Pater, ut faciam, ipſa ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.

III. Quotieſcumque ergo Deus aliquem mittit ad manifeſtandam hominibus ſuam ſpecialem voluntatem, ut credant homines, eum à Deo eſſe miſſum, & Dei nomine ac auctoritate ipſis loqui, conſuevit illum virtute miraculorum tanquam litteris patentibus ſuæ miſſionis munire. Sic Exodi 4. Moyſi ſe excuſanti, ne mitteretur ad Pharaonem & Ægyptios, & dicenti: *Non credent mihi, neque audient vocem meam*, dedit Deus Virgam illam mirabilem, quâ tot miracula omnibus nota operatus fuit. Multò ergo magis mittens Filium in mundum, decuit ut in ſuæ miſſionis teſtimonium miracula non credentibus exhiberet, ut vel per miracula crederent, & ad ejus fidem converterentur, quia teſte Paulo 1. Cor. 14. *Signa data ſunt infidelibus*, ut ſcilicet convertantur ad Fidem; & proindè ſigna in gratiam eorum, & coram eis faciebat, quos præſcierat credituros. Quare è contra Phariſæis dicentibus ei Matth. 12. v. 38. *Magiſter volumus à te ſignum videre*, ſciens, eos id non petere ad credendum paratos, acriter reſpondit: *Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei*. Super quæ Chryſoſtomus (relatus à S. Thoma ad primum) homil. 44. in Matth. ait: *Non acceperunt tale ſignum, quale petebant, ſcilicet de cœlo, non quòd nullum ſignum eis dederit, ſed quia ſigna faciebat, non propter eos, quos ſciebat lapideos eſſe, ſed ut alios emendaret: & ideò non eis, ſed aliis ſigna dabantur*.

IV. Se-

IV. Secundò, Miracula Chriſti fuiſſe vera Miracula, ac Divinâ virtute facta, non dæmoniacâ, ut impiè calumniabantur, Lucæ 11. v. 15. *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*, conſtat: quod enim vera miracula fuerint, eorum qualitas apertè demonſtrat. Cæcum enim natum lumine donare, mortuos, & maximè quatriduò ſepultum ac fœtentem, ad vitam revocare, ægros ac debiles quocumque morbo laborantes, ſola voce ac imperio ſtatim, & in momento perfectè ſanos reddere, adeò ut lectulum, & grabatum, in quo ante jacebant, alacres ſuis humeris tollerent, aliaque, quorum plena ſunt Evangelia, & quorum fama non ſolùm ex tota Judæa, ſed ex Syria omni morbo laborantes advocabat, qui ſanabantur, opera certè erant, omnem naturalem poteſtatem excedentia, & proinde vera miracula, & virtute Divina facta. Quia, ut docet S. Thomas dicta q. 43. ar. 2. *Vera Miracula ſola virtute Divina fieri poſſunt: quia ſolus Deus poteſt mutare naturæ ordinem, quod pertinet ad rationem miraculi. Unde Leo Papa dicit Epiſt. ad Flavianum* (quæ eſt 10.) *quod in Chriſto ſunt duæ naturæ*, una, *ſcilicet Divina*, quæ fulget miraculis: altera, *ſcilicèt humana*, quæ ſuccumbit injuriis: *Et tamen una earum agit cum communicatione alterius: inquantum ſcilicet humana natura agit, ut inſtrumentum divinæ actionis, & actio humana virtutem accipit à natura Divina.*

V. Chriſtum vera patraſſe miracula, Judæis adeò compertum fuit, ut Joſephus inter eos magni nominis Scriptor lib. 18. Antiquit. cap. 6. (mihi 4.) veritate coactus dixerit: *Eodem tempore fuit Jeſus vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere; erat enim mirabilium operum patrator & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt, plurimoſque tàm de Judæis quàm de Gentibus ſectatores habuit. Chriſtus hic erat, quem, accuſatum à noſtræ gentis Principibus, Pilatus cum addixiſſet cruci, nihilominùs non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperunt. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitùs de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerunt, & uſque in hodiernum Chriſtianorum genus ab hoc denominatum non deficit.* Numquid autem Joſephus homo Judæus hæc de Chriſto aſſeruiſſet, niſi mirabilium ab eo factorum evidentiâ convictus?

Non latet, aliquos intemperantioris criticæ amatores hoc Joſephi teſtimonium in dubium vocare, quaſi ab antiquis Chriſtianis hiſtoriæ Joſephi pio dolo aſſutum. Sed quæſo dicant mihi hujus dubii inventores, quo fundamento moti hunc dolum antiquis Chriſtianis imponant? quis hujus doli auctor? quo ſaltem tempore præfata verba Joſephi hiſtoriæ fuerint aſſuta? Ego enim antiquos invenio præfati teſtimonii mentionem honorifi-

cam facientes, Euſebium tùm lib.1. hiſt. Eccleſ. cap.11., tùm lib.3. Demonſtr. Evang. illud per extenſum referentem. At inquiunt, hujus fraudis architectum fuiſſe Euſebium ipſum, licet ſuſpicari. Sed (ut benè notat Valeſius in lib. 1. cap.11. hiſt. Euſebii) „ cui bono id Euſebius confingere voluiſſet? An ex „ teſtimonio Joſephi pendebat Divinitas Chriſti? An non Eu- „ ſebii ætate libri Antiquitatum Joſephi in omnibus Bibliothe- „ cis habebantur, quibus prolatis facillimum fuiſſet Euſebii „ fraudem detegere „? Verùm unde hæc de Euſebio ſuſpicio? Quia, dicunt, Juſtinus in Dialogo cum Tryphone Judæo nullam hujus rei mentionem facit. Quia Origenes in Libris contra Celſum negat, Joſephum agnoviſſe Jeſum Chriſtum. Hæc tamen futilia ſunt. Primum quidem: nam quid opus erat Juſtino, ut Joſephi teſtimonio uteretur meri Hiſtorici, & apud Tryphonem nullius ponderis, & quem ex ſacris Prophetarum Libris de Chriſti Divinitate convincere Juſtinus intendebat? Silentium ergo Juſtini non eſt ad rem. Neque ſecundum: nam Origenes dicit, Joſephum non agnoviſſe Chriſtum, ideſt in eum non credidiſſe, ſeu Chriſtianum non fuiſſe. Neque oppoſitum ex Joſepho Euſebius refert: cum enim ait *Hic erat Chriſtus* idem eſt, ac ſi dicat: *Hic erat, qui dicebatur Chriſtus*, ſeu *hic erat apud ſuos ſectatores Chriſtus*.

Omnem tàmen de hoc Joſephi teſtimonio ſcrupulum auferunt Patres Euſebio poſteriores, qui illud tanquam genuinum Joſephi fœtum laudant, ut Hieronymus lib. de Script. Eccleſ. verbo *Joſephus*, Iſidorus Peluſiota lib.4. Epiſt.225., Sozomenus lib.1. hiſt. cap.1., Nicephorus Callixtus lib.1. hiſt. cap.39., & alii Antiqui, illudque ex recentioribus eruditè defendit Huetius in Demonſtr. Evang. propoſit.3., ex quibus apparet, non ſine ingenti temeritatis nota potuiſſe à quibuſdam novitatis amatoribus negari, quod nemo Veterum vertit in dubium. Eo vel maximè, quia ordo hiſtoriæ hoc petit. Nam cùm Joſephus in ſua hiſtoria mentionem faciat Joannis Baptiſtæ, & Jacobi fratris Domini, non eſt veriſimile prætériiſſe geſta & Miracula Jeſu Chriſti, quæ in tota Judæa adeò famâ percrebuerant, ut de iis vel ipſi Gentiles Scriptores, Suetonius in vita Claudii, Cornelius Tacitus lib.15. Hiſt., Plinius & alii mentionem fecerint. Neque dicant: cur Joſephus, qui hæc de Chriſto adeò honorificè ſcripſit, ad ejus fidem non acceſſit? Nam ego reponam. Cur tot alii, qui Chriſtum audierunt, qui ejus geſta viderunt, inter quos Scribæ, Pontifices, Phariſæi, & alii, ejus fidei ac doctrinæ repugnarunt, imo eum cruci affigi curarunt? Sicut ergo Philoſo-

loſophi Gentiles, ut ait Paulus Rom. 1. v.21. *Cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerànt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*: ita Joſephus, quamvis cognoverit ex Prophetarum oraculis, Chriſtum eſſe Meſſiam, evanuit tamen in cogitationibus ſuis, & ſtulta adulatione, ea quæ de Meſſia prædicta erant, Veſpaſiano ſtuduit accommodare lib.7. de Bello Judaico.

VI. Hæc pro veritate dicta ſint; non quia ad probandam veritatem Miraculorum & Divinitatis Chriſti Joſepho teſte indigeamus; pro ea enim habemus teſtes vel ipſos Ethnicos Imperatores, qui licèt ferro ac flammis in Chriſtianos ſævirent, Chriſti tamen potentiam in veris edendis Miraculis, ac Divinitatem cognoverunt; ac paulò poſt ejus obitum divinis illum honoribus afficere voluerunt. Tiberius enim, ut refert Tertullianus in Apologet. cap. 5. *Annuntiatum ſibi ex Syria Palæſtina, quod illic veritatem illius* (Chriſti) *Divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui*: tot enim & tanta erant miracula, quæ ad illum ex Judæa deferebantur de Chriſto, ut eum vellet Divinitate à Senatu donari; cujus etiam teſtes ſunt Euſebius lib.2. hiſt. cap.2., & Oroſius lib.7. cap.4. Hadrianus etiam Imperator, teſte Ælio Lampridio de condendis Chriſto Templis cogitavit. Alexander Severus Chriſtum inter Deos recipere, ac Templis donare voluit, habuitque in larario ſuo Chriſti effigiem, quam matutinis horis venerabatur. Marcus Aurelius ad Senatum ſcripſit, quòd cum Romanorum exercitus in Quados præliaturus in tantas difficultates incidiſſet, ut vehementiſſima ſiti milites vexarentur, quapropter pugnare non poſſent, ad preces Chriſtianorum, quorum magna pars in exercitu erat, confeſtim in Romanos frigidiſſima aqua, in hoſtes verò imminentes grando ignea cecidit, & ad perpetuam tanti prodigii memoriam voluit Imperator, ut legio illa Chriſtianorum impoſterùm *Fulminatrix* appellaretur. Sed quid plura? Julianus ipſe apoſtata, quamvis Chriſti hoſtis infenſiſſimus, Miracula à Chriſto edita, quamvis flocci ea faciendo, negare auſus non eſt, ait enim apud S. Cyrillum lib. 6. contra Julianum: *Hic* (Chriſtus) *toto vitæ tempore nihil admodum memoratu dignum egit; niſi quis claudos ac cæcos curare, & Dæmonio correptos adjurare in pagis Bethſaida & Bethania, magni alicujus facinoris numero habeat*, contra quæ S. Cyrillus: *Si ergo*, inquit, *miracula patrare medicæ peritiæ opus erat, nihil divinum exiſtimet, ac impunè deſpicere ipſi liceat. Quum verò virtutis opus eſſe nemini non ſit manifeſtum, quis veritatem eorum, quæ dixi, inficiabitur? nempe ſic*

ille

ille (Julianus) *comparatus eſt, ut quæ ſummæ admirationi eſſe debent, ea deſpicatui habeat, ac nihili putet.*

VII. Pejores tamen Apoſtatâ Juliano Judæi ſunt. Nam ille Miracula Chriſti parvi quidem faciebat, ſed non negabat: iſti verò ad tot tantaque etiam ex inimicis Chriſti depromta teſtimonia pertinaciter negant, volentes, fuiſſe meras præſtigias magicâ Dæmonis arte videntium oculis illudentes. Sed infelices quantùm obſtinatio excæcavit? Ergo ne cæcum natum viſu donare, mortuum quatriduo in ſepulchro poſitum & jam fœtentem vivis reſtituere, triginta & octo annos in lecto jacentem ſtatim erigere adeò fortem, ut lectum ſuum humeris portaret, & alia hujuſmodi, præſtigiæ illuſiones videntium ſunt dæmoniacæ, ac magicæ artis, non autem Divinæ virtutis, quæ ſola ſupra naturam agere poteſt, opera ſunt? Hæc fecit Jeſus non in angulo, ſed in publico, & coram majorum ſuorum multitudine. Ea inficiari, aut ſaltem obſcurare conabantur Phariſæi, ſed evidentiâ facti admirari & fateri cogebantur. Cæcus, qui etiam teſtimonio parentum cæcus natus erat, fatebatur ſe videre Joan. 9. v. 25. *Unum ſcio, quod cæcus cum eſſem, modò video:* & v. 32. *A ſeculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.* Lazarus à mortuis excitatus converſabatur ut priùs, manducabat, cit. Joan. 12. v. 2. in cœna erat unus ex diſcumbentibus, ac diù ſuperſtes fuit. Triginta & octo annorum languens ſtatim ac audivit à Chriſto, Joan. 5. v. 8. *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula*: videntibus omnibus ſurrexit, grabatum ſuſtulit, ambulavit. Joan. 6. quinque panibus ac duobus piſcibus quinque millia hominum in monte ſatiavit. Potuit igitur ars magica, quæ nil aliud facere poteſt, quàm oculis exhibere, quod reverâ non eſt, perſuadere cæco ſe videre, cùm reverà non videret, mortuo vivere, cùm non viveret, languenti ambulare, cùm non ambularet, quinque millibus hominum ſe manducaſſe quantùm volebant, cùm ſolùm apparenter manducaſſent? Si hoc dicitur, cur etiam non dicetur, Hebræos qui 40. annis Mannâ in deſerto cibati ſunt, ſolâ apparentiâ cibatos, & omnia prodigia, quæ operatus fuit Moyſes, illuſiones ſenſuum fuiſſe?

VIII. Rurſùs. Qui volunt, Chriſtum arte magicâ ac Dæmonis ope mira edidiſſe, reſpondeant. Primò, quorſum nefandi hujus criminis in judicio, ubi omnia ſcrutati ſunt, unde eum criminarentur Scribæ, & Phariſæi, eum non accuſarunt? Cur ejus diſcipulis poſt ejus obitum miracula ubique patrantibus totus orbis, Judæis exceptis, illis miraculis fidem præſtitit, ac nemo magicis artibus ea adſcribere auſus eſt? Secundò, qui ſua-

den-

Digitized by Google

dente Diabolo lapides in panem vertere recuſavit: qui S. Jo.3. v.8. *In hoc apparuit, ut diſſolvat opera Diaboli*: qui Joan. 12. v.31. dixit, Diabolum à mundo ejiciendum foras: qui Dæmonem nedum à corporibus, ſed ab animabus ejiciebat, ſe ut inſtrumentum Diaboli, ac miniſtrum exhibebat, ut ejus ope, ac virtute ſigna faceret, & etiam Dæmonem fugaret? Benè ergo ipſe dicebat Matth.12. v.26. *Si Satanas Satanam ejicit, adversùs ſe diviſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum ejus?*

IX. Prætereunda non eſt alia Judæorum fabella, nempè Chriſtum Miracula ediidiſſe pronuntiando Nomen Dei, quod in Templo Hieroſolymitano erat deſcriptum. Hanc narrat noſter Raymundus Martini p.2. Pug. Fidei cap.8. Temporibus Helenæ Reginæ, quam univerſæ terræ Iſraeliticæ præfuiſſe, ajunt, extitiſſe in Templo Hieroſolymitano lapidem, cui olim Arca imponebatur, in quo deſcriptum erat propriis elementis Nomen Dei, cujus ea vis erat, ut quicumque illud didiciſſet, ac memoriæ mandaſſet, omnia potens eſſet edere prodigia. Cùm ergo timerent ſapientes, ne quis eâ facultate abuteretur, dicunt canes æreos portæ cuſtodes appoſuiſſe, qui hac arte erant fabricati, ut ſi quis memoriæ mandato Dei Nomine è Templo egredi vellet, magnis eorum territus latratibus, ſacri Nominis è veſtigio oblivíſceretur. Contigit autem, inquiunt Judæi, ut Chriſtus quadam die in Templum ingreſſus ſacrum Dei Nomen in membrana deſcripſerit, eamque vulneri cruri ſuo facto inſeruerit; ſicque egreſſus è Templo, ſacrum Dei Nomen, quod propter canum latratus ex ejus memoria exciderat, iterum ope membranæ, quam è crure ſuo extraxit, illud didicerit, illudque pronuntiando miracula patrarit.

X. Hanc eſſe vanam fabellam à Judæis de more confictam, nemo non videt. Primò, nam Judæi de hac narratione nullum teſtem produnt, nec Joſephus rerum Judaicarum, & eorum, quæ in Templo erant Scriptor accuratiſſimus, hujus rei vel verbum facit. Secundò, Helena illa, cujus temporibus hæc contigiſſe ferunt, fuit Adiabenorum Regina, non Judæorum. Proſelyta quidem fuit, hoc eſt Religionem Judaicam amplexa, ſed ſub Claudio Imperatore, ut teſtatur Joſephus lib.20. Antiquit c.2., quo tempore Chriſtus in terris non erat, cùm ſub Tiberio Imperatore paſſus ſit. Tertiò, quis credat, canes illos arte fabricatos potuiſſe ſuis latratibus Nomen Dei è memoria delere? Quartò, ſi Chriſtus Nomine Dei invocato faciebat miracula, cùm hæc non poſſet Deus facere in confirmationem falſi, & Chriſtus ea faceret in confirmationem doctrinæ, quam prædicabat,

bat, ſcilicet ſe eſſe Meſſiam promiſſum, Filium Dei miſſum à Patre; ergo ejus doctrina erat vera. Cur ergo ei non crediderunt, nec adhuc credunt?

XI. At negent Judæi, Chriſti Miracula Divinâ virtute fuiſſe facta, hoc petam ab eis. Quomodo igitur ſine magno miraculo fieri potuit, ut Chriſtus pauperculus, juvenis, ex gente omnibus exoſa, nempè Judaica, oriundus, perſecutionem ac probroſam mortem paſſus, à ſuis derelictus, ab Herode fatuus reputatus, dicens ſe eſſe Deum, cùm videretur homo ſicut ceteri, promittens crucem mortem omniaque ſupplicia ſectatoribus ſuis, poſt mortem ſuam per pauperes diſcipulos, piſcatores, indoctos, omnibus inviſos, ac demum morti traditos, mundo erroribus obcæcato, tenebris Idololatriæ involuto, ſuam doctrinam toto orbi perſuaderet, & religionem ſuam, idolis ac erroribus everſis, longè latèque propagaret, gentemque Judaicam, quæ eum recipere noluit, ubique diſperſam omnium nationum vile mancipium effecerit? Hoc eſt maximum inter miracula, quod ſola Divina virtus potuit operari. Hanc rationem urget S. Thomas 1. cont.Gent. cap.6., ex S. Auguſtin. lib.22. de Civit. Dei cap. 5.

§. II.

An Chriſti Miracula ſufficienter oſtenderint ejus Divinitatem,

XII. Quamvis ex dictis pateat, Miracula Chriſti virtute Divinâ facta fuiſſe, ac proinde à Deo; adhuc tamen ſupereſſe poſſet dubium, an ſufficientia fuerint ad probandam ejus Divinitatem. Cui S. Thom. 3.p.q.43. art.4. reſpondet affirmativè, & probat. Primò, ex ipſa ſpecie operum, quæ faciebat. Secundò, ex modo quo ea faciebat. Tertiò, ex doctrina, quam prædicabat, in cujus confirmationem ea faciebat. Primum probat; quia opera, quæ faciebat, tranſcendebant vim omnis creatæ virtutis: & ideò fieri non poterant niſi Divina virtute, & propterea cæcus illuminatus Joan.9. v.32. dicebat: *A ſeculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati: niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quidquam.*

XIII. Sed in contrarium obſtare videtur, hoc probare quidem, Chriſtum eſſe à Deo, & Divinâ virtute Miracula operari: non tamen probare, ipſum eſſe Deum. Primò, quia Miracula, quæ ipſe fecit, alii puri homines fecerunt, ut Moyſes &c. Secundò,

dó, Joan. 14. v. 12. ipſe dicit: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet*; ſed quamvis credens in eum opera faciat, quæ ipſe fecit, imo & majora, non inde tamen probatur, ipſum eſſe Deum: ergo ex ſpecie operum non probatur &c.

XIV. Reſpondeo cum S. Thoma citato ad primum, quòd hæc erat objectio Gentilium. Ajebant enim apud Auguſtinum Epiſt. 3., modò 137. ad Voluſianum, c. 3. *Sed nulla competentibus ſignis claruerunt tantæ majeſtatis indicia: quia larvalis illa purgatio, debilium curæ, reddita vita defunctis, ſi & alii conſiderentur, Deo parva ſunt*: quibus tamen S. Auguſtinus reſpondet: *Fatemur quidem & nos, talia quædam feciſſe Prophetas..... ſed & ipſe Moyſes & ceteri Prophetæ veraciſſimi Dominum Jeſum Chriſtum prophetaverunt, & gloriam magnam ei dederunt, hunc non tanquam parem ſibi, nec in eadem miraculorum potentia ſuperiorem, ſed planè Dominum Deum omnium, & hominem propter homines factum venturum prænuntiaverunt. Qui propterea talia & ipſe facere voluit, ne eſſet abſurdum, quæ per illos fecerat, ſi ipſe non faceret. Sed tamen & aliquid proprium facere debuit: naſci de Virgine, a mortuis reſurgere, in cœlum aſcendere. Hoc qui Deo parum putat: quid plus expectet, ignoro.... Num homine aſſumto alium Mundum facere debuit, ut eum eſſe crederemus, per quem factus eſt Mundus? Sed nec major Mundus, nec iſti æqualis in hoc Mundo fieri poſſet. Si autem minorem faceret infra iſtum, ſimiliter hoc quoque parum putaretur. Quia ergo non oportebat, ut novum faceret Mundum, nova fecit in Mundo*. Hæc aliaque ibi S. Auguſtinus, qui etiam Tract. 91. in Joann. enumeratis variis miraculis, quæ Chriſtus fecit, & alii fecerunt, concludit, Chriſtum excellentiori modo illa feciſſe, dicens: *Nemo ergo alius fecit quæcumque opera in eis fecit: quoniam quiſquis alius homo aliquid eorum fecit, ipſo faciente fecit; hæc autem Ipſe non illis facientibus fecit*.

XV. Ex his incipit apparere, quid dicendum ſit ad id, quod ſecundo loco opponebatur, quòd ſcilicèt alii majora opera quàm Chriſtus eſſent facturi, nempè quia iſti non niſi per Chriſtum erant facturi, de quo videri poteſt idem S. Auguſt. tract. 71. in Joann. apud S. Thomam citato loco ad ſecundum, & etiam in Pſalm. 130., ubi ait: *Quomodo autem quaſi majora videntur feciſſe illi, quam ille? Ad vocem Domini ſurrexerunt mortui: ad umbram tranſeuntis Petri ſurrexit mortuus; majus videtur hoc quàm illud: ſed Chriſtus facere ſine Petro poterat, Petrus niſi in Chriſto non poterat, quia ſine me, inquit, nihil poteſtis facere*. Et ideò Marci 16. v. 17. dixit: *In Nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis*,

Digitized by Google

ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt. Unde idem S. Auguſt. ſerm.319., aliàs 31. de diverſis, cap.1. de S. Stephano ait: *Hoc enim ſalubriter ſcitis, Stephanum Sanctum feciſſe miracula in Nomine Chriſti, nullum autem miraculum feciſſe Dominum Chriſtum in Nomine Stephani, ut diſcernatis ſervum à Domino, cultorem à Deo, adoratorem ab adorando.*

XVI. Secundum, nempè ex modo, quo Chriſtus faciebat miracula oſtendiſſe, ſe eſſe Deum, probat S. Thomas, quia quaſi ex propria poteſtate ea faciebat, non autem orando, ſicut alii. Unde dicitur Lucæ *6.* v.*19.*, quòd virtus de illo exibat & ſanabat omnes. Per quod oſtenditur (ait Cyrillus lib. 12. Theſauri cap.14.) quòd *non accipiebat alienam virtutem, ſed cùm eſſet naturaliter Deus, propriam virtutem ſuper infirmos oſtendebat, & propter hoc innumerabilia miracula faciebat.* Ex quo etiam oſtendebatur, eum habere virtutem coæqualem Deo Patri, dicebat enim Joan.*5.* v.*19.* *Quæcumque ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit:* & v.21. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat.* Hinc imperando faciebat miracula: Lucæ 4. v.*35.* imperavit Dæmoni, ut exiret, & ſtatim paruit; quod videntes pavidi dixerunt: *Quod hoc eſt verbum, quia in poteſtate & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt?* Matth.8. v.26. *Imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna:* & ſubditur: *Porrò homines mirati ſunt dicentes: qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?* Lucæ 4. v.*39.* cum Socrus Simonis teneretur magnis febribus: *Stans ſuper illam, imperavit febri, & dimiſit illam: Et continuò ſurgens miniſtrabat illis.* Inde plurimos eo ſanante ac Dæmonia fugante, *exibant clamantia & dicentia, quia tu es Filius Dei.*

XVII. Non latet, aliquando Chriſtum in patrandis miraculis præmiſiſſe orationem, & præcipuè Joan.11. antequam ſuſcitaret Lazarum dicens: *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me* v.41.; ſed hoc non fecit, quaſi indigeret, ſed propter circumſtantes, ut crederent, & etiam ut confunderet Judæos, qui illum in Beelzebub ejicere dæmonia dicebant. Quare ſtatim ſubjunxit: *Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis; ſed propter populum, qui circumſtat, dixi, ut credant, quia tu me miſiſti.* Ceterùm, ut dixi, nulla præmiſſa oratione, ſed imperio ac voluntate miracula faciebat, ut patet Matth.8. v.2. in leproſo, cui dicenti: *Domine, ſi vis, potes me mundare,* reſpondit Jeſus *Volo: mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus.* Non enim, ut obſervat S. Chryſoſtomus Homil.26. in Matth. modò 25., leproſus Chri-

ſto

ſto dixit: *Si Deum precatus fueris, neque ſi oraveris, ſed* „ ſi vis, potes me mundare „: *Neque dixit, Domine munda me, ſed ipſi cuncta committit, atque curandi Dominum illum eſſe, & poteſtatem ejus ſummam teſtificatur. Quid igitur, inquies, ſi falſa erat leproſi opinio? illam confutare oportuit, ipſumque increpare ac corrigere. Num illud fecit? Nequaquam: imo dictum confirmat & roborat. Ideòque non dixit,* mundare, *ſed* volo; mundare, *ut non illius opinione, ſed Chriſti ſententiá dogma firmaretur. At non ſic Apoſtoli: ſed quomodo? quia populus totus ſtupebat, dicebant illi,* „ Quid nobis attenditis, quaſi propria virtute vel poteſtate fecerimus hunc ambulare „? *Dominus verò etſi multa modeſtè ſæpè dixerat, quæ gloriæ ſuæ inferiora eſſent, idque ut veritatis doctrinam firmaret, quid dicit hic iis, qui de poteſtate ipſius ſtupebant?* Volo: mundare: *Etſi cùm tot tantaque ſigna feciſſet, numquam ſic loquutus fuiſſe videatur.* Hæc Chryſoſtomus.

XVIII. Tertium, nempè quòd miracula oſtenderent Chriſti Divinitatem ex doctrina, quam prædicabat, probat S. Thomas, quia Doctrina, in cujus comprobationem miracula Chriſtus faciebat, erat, qua dicebat ſe eſſe Deum ac Filium Dei: hæc autem ſi non eſſet vera, non confirmaretur miraculis Divina virtute factis. Et ideò Marci 1. v.27. videntes ad imperium Chriſti Dæmones obmuteſcere & exire, *Mirati ſunt omnes, ita ut conquirerent inter ſe dicentes: quidnam eſt hoc? quænam doctrina hæc nova? qua in poteſtate etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei?* Quòd autem doctrina, quam prædicabat, eſſet, ſe Filium Dei, Deum, unum cum Patre eſſe, ex Evangeliis palam fit, ac præcipuè Joan. 10., ubi cum Chriſtus dixiſſet: *Ego & Pater unum ſumus*, Judæi ipſum lapidare volebant: cùmque ipſe conquereretur dicens: *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* reſponderunt Judæi v.33. *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum.* Joan. 11. Lazarum ſuſcitavit dicens: *Vt credant, quia tu me miſiſti*, Joan. 9. v. 35. Cæco nato quem illuminaverat dixit: *Credis in Filium Dei?* Et alibi paſſim. Miracula ergo Chriſti doctrinam, qua dicebat, ſe Deum & Filium Dei eſſe, apertè oſtendebant: & proinde eam eſſe veram manifeſtabant, quia in confirmationem falſi Deus miracula operari non poteſt, aliàs atteſtaretur falſum.

XIX. Quæri poteſt, an Miracula Chriſti fuerint ſimpliciter neceſſaria, ut Judæi crederent ejus doctrinam. Cui dubio fundamentum præbere videntur ipſius Chriſti verba Joan. 15. v.24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Hoc dubium excitat S. Thomas Quolib.2. ar.6., ubi docet, quòd nullus tenetur ad hoc, quod eſt ſupra vires ſuas, niſi per hunc modum, quòd ſibi ſit poſſibile: credere autem eſt ſuper potentiam hominis naturalem: unde ex dono Dei provenit, ſecundùm illud Apoſtoli ad Epheſ.2. v.8. *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem: & hoc non ex nobis, Dei enim donum eſt*. Et ad Philipp.1. v.29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini*. Igitur homo tenetur credere, ſecundùm quòd adjuvatur à Deo. Adjuvat autem Deus aliquem ad credendum tripliciter. Primò per interiorem vocationem, de qua dicitur Joan.6. v.45. *Omnis, qui audivit à Patre & didicit, venit ad me*, & ad Rom.8. v.30. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit*. Secundò, per doctrinam & prædicationem exteriorem, ſecundùm Apoſtolum ad Rom.10. v.17. *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti*. Tertiò per exteriora miracula 1. Cor.14. v.22. *Linguæ in ſignum ſunt, non fidelibus, ſed infidelibus*, ut per ea convertantur ad Fidem. Quamvis ergo Chriſtus miracula viſibilia non feciſſet, adhuc remanebant alii modi attrahendi ad Fidem. Remanebat Doctrina Legis & Prophetarum à Chriſto prædicata, cui credere Judæi maximè tenebantur; remanebat interior vocatio, cui tenebantur non reſiſtere: unde Iſaias cap.50. v.5. de ſe dicit: *Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico: retrorſum non abii*, & è contra Act.7. de quibuſdam dicitur: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Hæc ex S. Thoma.

XX. Quibus firmatur, quòd etiamſi Chriſtus exteriora miracula non feciſſet, adhuc tamen ei credere tenerentur, quia non ſolùm exteriùs doctrinam eis prædicabat, ſed & interiùs per gratiam, cui reſiſtere non debebant, eos vocabat. Neque obſtat, quod ſupra Chriſtus dixerit: *Si opera non feciſſem in eis, peccatum non haberent*. Nam ut obſervat S. Thomas citato loco ad primum: *Inter illa opera, quæ Chriſtus in hominibus fecit, annumerari etiam debet vocatio interior, qua quoſdam attrahit; ſicut Gregorius dicit in quadam homilia, quòd Chriſtus per miſericordiam Magdalenam traxit interiùs, qui etiam per clementiam ſuſcepit foris. Annumerari etiam debet ejus doctrina, cùm etiam ipſe dicat: Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*. Non quia omni peccato carerent, ſed quia non haberent peccatum infidelitatis, quo non crediderunt in eum, ut obſervat S. Auguſtinus tract. 89. in Joan., & S. Thom. in cap.15. Joan. lect.5. ait: *Sic ergo ſi Chriſtus non veniſſet, hoc peccatum, ſcilicet infidelitatis, non haberent, quamvis alia peccata actualia habuiſſent,*

Digitized by Google

ſent, propter quæ fuerunt puniti. Et ſimilis ratio eſt de omnibus illis, ad quos prædicatio Verbi Dei pervenire non poteſt. Unde non imputatur eis ad condemnationem infidelitatis peccatum, ſed privati beneficio Dei propter alia peccata actualia & originalia damnabuntur.

Si verò Chriſtus veniſſet & docuiſſet, quamvis nulla exteriora feciſſet miracula, adhuc non excuſarentur ab infidelitate, qui ei credere noluiſſent, quia eos traxiſſet ad Fidem Chriſtus, etſi non viſibilibus ſignis eos excitando, interiùs tamen eorum corda pulſando, & etiam exteriùs doctrinam ſuam proponendo, quâ audientes excitari potuiſſent ad Fidem: Nam *Fides eſt ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti*, Rom. 10. v. 17. Et propterea miracula exteriora non fuerunt abſolutè neceſſaria in Chriſto, ut ejus doctrina, quam prædicabat, obligaret ad Fidem.

XXI. Hucuſque dicta confirmari poſſunt, quia eandem doctrinam, quam prædicabat Chriſtus, ſcilicet ſe eſſe Meſſiam, prædicabat de Chriſto Joannes Baptiſta, demonſtrando Judæis, eum eſſe Meſſiam, ſed prædicatio Joannis, quamvis nullo externo miraculo confirmaretur Joan. 10. v. 41. *Et Joannes quidem ſignum fecit nullum*, tamen ibidem dicitur: *Multi crediderunt in eum*, & ad credendum ei omnes obligabantur: unde Chriſtus Joan. 5. reprehendit Judæos, quòd, ut ait Chryſoſt. Homil. 39., modò 40. in Joan., plus teſtimonio Joannis ſine miraculis deferrent, quàm ſuo, quod tot miraculis confirmabat. Igitur ad Fidem Chriſti habendam miracula abſolutè neceſſaria non erant.

Dixi abſolutè: quia ex alio capite neceſſaria in Chriſto erant, ut probaret & convinceret, ſe eſſe Meſſiam in Lege & Prophetis prænuntiatum. Nam cùm Iſaias cap. 35. v. 5. prædixiſſet, Meſſiam venturum cum poteſtate miraculorum, *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum*: ſi hiſce ſignis doctrinam ſuam, qua dicebat ſe eſſe Deum & Meſſiam, non comprobaſſet, hinc occaſionem ſumſiſſent Judæi eum rejiciendi. Quare Matth. 11. cùm Joannes in vinculis duos è diſcipulis ſuis miſiſſet, ut Jeſum interrogarent: *Tu es, qui venturus eſt, an alium expectamus?* nil aliud reſpondens Jeſus, ait illis: *Euntes, renuntiate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis, cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur* &c. Ut nimirùm oſtenderet, in ſe impleri ſigna, quibus Meſſiam præmonſtraverat Iſaias cap. 35. citato, & cap. 61. v. 1.: & Joan. 5. v. 39.

ſibi

ſibi credere nolentes,adScripturas provocabat dicens:*Scrutamini Scripturas . . . & illæ ſunt , quæ teſtimonium perhibent de me .*

XXII. Si quæras , cur Joannes Baptiſta nullo ſigno ſuam doctrinam confirmavit ? reſpondebit S. Thomas 3.p.q.38. ar.2. ad ſecundum : *Quia tota doctrina & operatio Joannis ordinabatur ad Chriſtum , qui multitudine ſignorum ſuam & Joannis doctrinam confirmavit . Si autem Joannes ſigna feciſſet , homines ex æquo Joanni & Chriſto attendiſſent . Et ideò ut homines principaliter Chriſto intenderent , non eſt datum Joanni , ut faceret ſignum . Judæis tamen quærentibus , quare baptizaret , confirmavit ſuum officium auctoritate Scripturæ dicens*,,Ego vox clamantis in deſerto,, *ut dicitur Joan.1.* Hoc confirmat idem S. Doctor in cap.10. Joan. lect.6. his verbis,,Joannes nullum fecit ſignum,,*Cujus quidem ratio fuit , quia Joannes miſſus fuit , ut teſtis Chriſti . Unde oportebat quòd fieret fide dignus , & teſtimonium ejus oſtenderetur verum . Quod quidem fit convenienter per ſanctitatem vitæ . Chriſtus autem venit ut Deus ; & ideò oportebat , quòd oſtenderet in ſe ſigna poteſtatis Divinæ . Et ideò Joannes vitæ ſanctitate pollebat , Chriſtus autem cum hoc exercebat etiam opera poteſtatem Divinam manifeſtantia . Hic etiam mos ſervabatur apud antiquas Poteſtates , quia in præſentia Poteſtatis majoris , minor Poteſtas non utebatur ſuæ poteſtatis inſigniis ; undè in præſentia Dictatoris Conſules inſignia deponebant . Non ergo decens fuit , ut Joannes , qui minoris poteſtatis erat , utpotè Præcurſor & teſtis , in Chriſti præſentia Divinæ poteſtatis inſigniis uteretur , ſed ſolùm Chriſtus .*

XXIII. Quæri ſolet etiam, an donum miraculorum ad hanc uſque ætatem conſervetur in Eccleſia Catholica .

Negant Moderni hæretici , volentes , miracula, quæ à Deo facta per noſtros Sanctos recenſemus , eſſe fictitia & mendacia . Sed quantum à vero aberrent,oſtendi in Vera Eccleſia tom.1. integro cap.2. : unde ad ibi probata mitto Studioſum . Interim videri poſſunt Patres , qui poſt tempora Apoſtolorum , etiam data Eccleſiæ pace , & idololatriâ profligatâ, propriis oculis miracula facta per Viros ſanctos viderunt , eaque teſtantur , ut Hilarius lib. in Conſtantium , Gregorius Nazianzenus Orat. 18., Auguſtinus lib.22. de Civit. Dei cap.8., Theodoritus Orat.8. adverſùs Græcos , Ambroſius ſerm.91. de Invent. corporum SS. Gervaſii & Prothaſii , & alii benè multi , qui miracula referunt , quorum teſtes oculati fuerunt . Cur autem hoc donum , quo Chriſtus prioribus Eccleſiam ſeculis inſignivit , ſuccedentibus temporibus illud ab ea abſtulerit , rationem nullam hæretici afferunt , nec afferre poſſunt , niſi quia , cùm apud ipſos à vera Fide

de

de transfugas nulla fieri videant, ut ſe ab hoc pudore liberent, ac ne cogantur fateri, ob hoc etiam ſe in vera Fide ampliùs non eſſe, elegerunt hanc viam dicendi, miraculorum donum jam in Eccleſia ceſſaſſe, & ea quæ apud Catholicos fieri in dies audiunt, non vera miracula ſed aniles fabulas eſſe, aut meras præſtigias, ſive illuſiones, facti in hoc etiam Scribarum & Phariſæorum ſucceſſores, qui miracula à Chriſto patrata vel inficiari vel obnubilare conabantur. Sed audire deberent Chriſtum, qui abſolutè, & non reſtrictè ad ullum tempus, Marci cap. ultimo v.17. dicit: *Signa autem eos, qui crediderint hæc ſequentur: in Nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* Chriſtum promiſſis ſtetiſſe, Eccleſia Catholica docet, & in dies experitur. Eccleſiæ verò Acatholicæ, quia nec unum in confirmationem ſuæ ſectæ miraculum unquam patrare potuerunt, aut ſi aliquis ex eis tentavit, ſe omnium deriſioni expoſuit, ad hoc effugium convolant, ut Chriſti promiſſa reſtringant.

XXIV. Quærit S. Thomas 3. p. q. 43. ar. 3. An Chriſtus inceperit facere miracula in Nuptiis.

De hoc actum eſt ſupra cap.13. §.4., ubi admiſimus, aliqua quidem miracula fuiſſe à Deo facta in teſtimonium, quòd Chriſtus eſſet Deus, ante Nuptias Canæ, ſed diximus, quòd primum miraculum factum à Chriſto humana voce ac imperio in confirmationem doctrinæ, quam cœperat prædicare, fuiſſe illud converſionis aquæ in vinum in nuptiis Canæ. Et hoc modò repetimus cum S. Thoma ſupra citato. Cujus iſta eſt ratio: *Miracula facta ſunt à Chriſto in confirmationem doctrinæ ejus, & ad oſtendendam virtutem Divinam in ipſo. Et ideò quantùm ad primum non debuit ante miracula facere, quàm docere inciperet: non autem debuit incipere docere ante perfectam ætatem. Quantùm autem ad ſecundum, ſic debuit per miracula Deitatem oſtendere, ut crederetur veritas humanitatis ipſius. Et ideò ſicut dicit Chryſoſt. hom.20. ſuper Joan.*,, Decenter non incepit ſigna facere in prima ætate: exiſtimaſſent enim, phantaſma eſſe Incarnationem, & ante opportunum tempus cruci eum tradidiſſent,,.

Neque obſtat, quòd ante nuptias Canæ Diſcipulos Chriſtus jam congregaſſet. Nam ut ait S. Thomas ibidem ad tertium: *Hoc ipſum ad laudem diſcipulorum pertinet, quòd Chriſtum ſecuti ſunt, cùm nulla eum miracula facere vidiſſent, ſicut Gregorius dicit in quadam homilia* (5. in Evang.) *& Chryſoſtomus dicit homil.22. in Joan.*,, Tunc ſigna maximè neceſſarium erat facere,

quan-

quando Diſcipuli jam congregati erant & devoti, & attendentes his, quæ fiebant ,, *Unde ſubditur*, Jo.2. ,, Et crediderunt in eum,, *non quia tunc primùm crediderunt ; ſed quia tunc diligentiùs & perfectiùs crediderunt*.

§. III.

De variis Miraculorum ſpeciebus, quæ Chriſtus edidit.

XXV. Sanctus Thomas 3. p. q. 44. quærit primò, de Miraculis à Chriſto factis circa ſpirituales ſubſtantias. Secundò circa cœleſtia corpora. Tertiò circa homines. Quartò circa creaturas irrationales. Hæc breviter percurrentur.

Circa primum, conveniens fuiſſe, ut Chriſtus poteſtatem, quam habebat ſupra Dæmones, exereret, eos miraculosè à corporibus ejiciendo, docet S. Thomas ar.1. *Miracula enim, quæ Chriſtus fecit, argumenta quædam fuerunt Fidei, quam ipſe docebat. Futurum autem erat, ut per virtutem Divinitatis ejus excluderet Dæmonum poteſtatem ab hominibus credituris in eum, ſecundùm illud Jo.12.* ,, Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras ,, *Et ideò conveniens fuit, quòd inter alia miracula obſeſſos à Dæmonibus liberaret*: Unde Zacharias cap.13. v.2. *Spiritum*, inquit, *immundum auferam de terra*.

At quia per eum homines erant bonis Angelis conſociandi, ſecundùm illud ad Coloſſ.1. *Pacificans per ſanguinem crucis ejus, quæ in cœlis & quæ in terris ſunt*; ideò circa bonos Angelos alia miracula demonſtrare non conveniebat, niſi ut Angeli advocarentur, & hominibus, quaſi eis gratulantes, apparerent. Quòd factum legimus in ejus Nativitate, Reſurrectione, & Aſcenſione in cœlum. Ita ex S. Thoma ad primum.

XXVI. An verò Dæmones dum expellebantur cognoſcerent, Chriſtum eſſe Filium Dei, de quo S. Thom. hìc ad ſecundum, jam dixi Tom.1. in 3.p. q.2. de exiſt. Incarn. dub.5. §.2., quæ hùc revocanda ſunt. Uno verbo; ante Chriſti mortem Dæmones certam cognitionem, quòd Chriſtus, quem videbant hominem & omnia humana pati, eſſe etiam Deum, & præcipuè per unionem hypoſtaticam, certò non cognoſcebant, ſed videntes ex una parte, ab eo prodire effectus Divinitatem manifeſtantes; & ex alia infirmitates hominis, manebant ſuſpenſi, ac fluctuantes. Videantur ibi dicta.

XXVII. Quia verò Miracula, quæ Chriſtus faciebat Dæmones expellendo, non erant propter utilitatem Dæmonum, ſed pro-

propter utilitatem hominum, dicit S. Thomas ad tertium, quòd Chriſtus eos prohibuit loqui ea, quæ ad laudem ipſius pertinebant; primò, ut nos ſuo exemplo moneret, ne præberemus aures Dæmoni, qui, ut ait Ambroſius lib. 6. in Lucam, *Falſa veris ſæpè permiſcet, ut ſpecie veritatis teſtimonium fraudis obtexat*: ſecundò, quia, ut ait Chryſoſtomus homil. 2. de Lazaro, *Non oportebat Dæmones ſurripere officii Apoſtolici gloriam, nec decebat Chriſti myſterium linguâ fœtidâ publicari*: tertiò, quia, ut dicunt Beda & Theophylactus in cap. 14. Lucæ, *Nolebat ex hoc invidiam accendere Judæorum. Unde etiam ipſi Apoſtoli jubentur reticere de ipſo, ne Divina majeſtate prædicatâ, paſſionis diſpenſatio differatur.*

XXVIII. Permiſit tamen Chriſtus Dæmonibus, ut aliquod nocumentum inferrent hominibus, à quibus eos ejiciebat, ſivè in corpore ſivè in rebus: ſed hoc (ait S. Thomas ad quartum) permiſit propter animæ humanæ ſalutem, ad hominum ſcilicet inſtructionem. Sic Marci 9. permiſit, ut Dæmon exiens à puero illum diſcerperet & relinqueret velut mortuum, quem tamen ſanavit, ut diſceremus, teſte Gregorio Homil. 2. in Evang., quòd *ſæpè dum converti ad Deum poſt-peccata conamur, majoribus noviſque antiqui hoſtis pulſamur inſidiis, quod facit, vel ut odium virtutis incutiat, vel expulſionis ſuæ vindicet injuriam*. Permiſit etiam Matth. 8., ut Dæmones irent in porcos, qui præcipites ſe mittentes in mare mortui fuerunt: *Non quaſi à Dæmonibus perſuaſus* (inquit Chryſoſt. homil. 29. in Matth.) *ſed primò quidem ut inſtruat magnitudinem nocumenti Dæmonum, qui hominibus inſidiantur; ſecundò, ut omnes diſcerent, quoniam nec adversùs porcos audeant aliquid facere, niſi ipſe conſenſerit: tertiò, ut oſtenderet, quòd graviora in illos homines operati eſſent, quàm in illos porcos, niſi Divina providentia fuiſſent adjuti.*

XXIX. Quoad ſecundum, nimirùm conveniens fuiſſe, ut Chriſtus Miracula faceret etiam circa cœleſtia corpora, probatur à S. Thoma a. 2. *Quia Miracula Chriſti talia eſſe debebant, ut ſufficienter eum eſſe Deum oſtenderent: hoc autem non ita evidenter oſtenditur per tranſmutationes corporum inferiorum, quæ etiam ab aliis cauſis moveri poſſunt, ſicut per tranſmutationem curſus cœleſtium corporum, quæ à ſolo Deo ſunt immobiliter ordinata. Et hoc eſt, quod Dionyſius dicit in Ep. ad Polycarpum* „ Cognoſcere oportet, non aliter aliquando poſſe aliquid perverti cœleſtis ordinationis & motus, niſi cauſam haberet ad hoc moventem, quæ facit omnia, & mutat ſecundùm ſuum ſermonem „. *Et ideo conveniens fuit, ut Chriſtus Miracula faceret etiam circa cœleſtia corpora.*

Quia tamen Miraculum circa cœleſtia fuit Solis obſcuratio in morte Chriſti, juxta illud Lucæ 23. *Obſcuratus eſt Sol*; ideò de hoc opportunius erit dicere infra, cùm de morte Chriſti & circumſtantiis ejus ſermo erit.

XXX. Tertium verò, quòd convenienter Miracula fecerit circa homines probat S. Thomas ar.3. Quia Chriſtus ad hoc in Mundum venerat & docebat, ut homines ſalvos faceret, ſecundùm illud Joan.3. *Non enim miſit Deus Filium ſuum, ut judicet Mundum, ſed ut ſalvetur Mundus per ipſum*. Cum ergo media debeant eſſe fini proportionata, conveniens fuit, ut Chriſtus particulariter Miracula faceret circa homines, miraculosè curando, ut oſtenderet, ſe eſſe ſpiritualem omnium Salvatorem.

XXXI. Nota tamen, quòd etſi Chriſtus Miracula exteriùs fecerit circa hominum corpora, finis tamen miraculorum erat eorum animas ſanare, eas ſapientiâ illuſtrando, & juſtificando, ad hoc enim venerat. Sed quia non eſt conveniens, ut homo juſtificetur niſi volens; tum quia ſic petit ratio juſtitiæ, quæ rectitudinem voluntatis importat; tum quia ratio humanæ naturæ ſic poſtulat, quæ libero arbitrio ad bonum ducenda eſt, non per coactionem: propterea corpora hominum miraculosè ſanabat, ut hoc beneficio excitati, & gratiâ interiùs movente, voluntariè ac liberè ad Fidem ejus venirent, & juſti fierent; & ſic ſanato corpore, & anima ſanaretur. Unde infert S. Thomas ad primum, quòd ſanatio animæ non pertinebat ad miracula viſibilia, ſed erat finis miraculorum. Sic infuſio Divinæ Sapientiæ ſimplicibus diſcipulis, quantùm ad interiorem illuminationem, inter viſibilia miracula non numeratur, ſed ſolùm quantum ad exteriorem actum, quatenùs videbant, homines eos, qui fuerant illiterati & rudes, tam ſapienter & conſtanter loqui: & ideò Act.4. admirabantur. Unde ſpirituales illuſtrationes, etſi à miraculis viſibilibus diſtinctæ, ſunt tamen quædam teſtimonia doctrinæ & virtutis Chriſti, ſecundùm illud Hebr. 2. v.4. *Conteſtante Deo ſignis & portentis & variis virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus, ſecundùm ſuam voluntatem*.

Quantum autem ad immutationem virium inferiorum animæ, Chriſtum Miracula feciſſe dicit S. Thomas ibidem: unde de Matthæo, qui vix videns Chriſtum prætereuntem, & audiens vocem ejus dicentis: *ſequere me*, *ſecutus eſt eum*, dicit Hieronymus in cap.9. Matth. *Fulgor ipſe & majeſtas Divinitatis occultæ, quæ etiam in facie ejus relucebat humana, videntes ad ſe trahere poterat ex primo aſpectu*: Et ſuper illud Matth. 21. de Chriſto ejiciente vendentes de Templo idem Hieronymus dicit: *Igneum*

quid-

quiddam & ſidereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis majeſtas lucebat in facie ejus. Et hoc miraculum dicit Origenes ſuper Joan. majus fuit eo, quo aqua converſa eſt in vinum, quia *illic inanimata ſubſiſtit materia, hìc verò tot millium hominum domantur ingenia*. Huc pertinet illud Joan. 18. *Abierunt retrorſum & ceciderunt in terram*: & Lucæ 4. *tranſiens per medium illorum ibat*: & Joan. 8. *Abſcondit ſe, & exivit de Templo*. *Non* enim, ait Theophylactus, *abſcondit ſe in angulo Templi, quaſi timens, vel poſt murum aut columnam divertens, ſed Divina poteſtate ſe inviſibilem inſidiantibus conſtituens, per medium illorum exivit*. Unde ait S. Thomas: *Ex quibus omnibus patet, quòd Chriſtus, quando voluit, virtute Divina animas hominum immutavit, non ſolùm juſtificando, & ſapientiam infundendo (quod pertinet ad miraculorum finem) ſed etiam exteriùs alliciendo vel terrendo vel ſtupefaciendo, quod pertinet ad ipſa miracula*.

XXXII. Nota etiam ex S. Thoma ad ſecundum, quòd quamvis Chriſtus ad facienda miracula ſola poteſtate Divina uti poſſet, ea faciendo per ſolum imperium, frequenter tamen in ſanatione infirmorum aliquid ad humanitatem pertinens apponebat, ut ſcirent homines per Incarnationis myſterium etiam carnem ejus efficacem eſſe ad facienda miracula: ſic Lucæ 4. *Singulis manus imponens curabat omnes*. Marci 8. expuit in oculos cæci, & Joan. 9. fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos cæci: unde Auguſt. tract. 44. in Joan, *De ſaliva ſua*, inquit, *lutum fecit, quia Verbum Caro factum eſt*. Vel, ut ait Chryſoſt. homil. 55. in Joan., ad ſignificandum, quòd ipſe erat, qui ex luto hominem formaverat.

Opera etiam, quæ miraculosè faciebat, erant perfectiſſima: unde de vino ex aqua ab ipſo facto dicit Chryſoſt. hom. 21. in Joan. *Talia ſunt Chriſti Miracula, ut multò his, quæ per naturam fiunt, ſpecioſiora & utiliora fiant*. In inſtanti etiam perfectam ſanitatem infirmis conferebat; unde Hieron. in Matth. cap. 8. de Socru Simonis, quæ ſtatim *ſurrexit & miniſtrabat illis*, dicit: *Sanitas, quæ confertur à Domino, tota ſimul redit*.

Solùm de cæco Marci 8. habetur, quòd non ſtatim, ſed ſenſim viſum perfectè recepit. Sed hoc fuit, vel quia fides ejus ab initio imperfecta erat: vel ut beneficium, quod accipiebat, pluris faceret: vel ut magnitudinem humanæ cæcitatis oſtenderet, quæ vix & quaſi per gradus ad lucem redeat, & ut gratiam ſuam indicaret, quâ non ſolùm ad initium, ſed per ſingula incrementa indigemus.

XXXIII. Quartum tandem, quòd conveniens fuerit, Chri-

ſtum edere miracula etiam circa creaturas rationis expertes, oſtendit S. Thomas ar.4. quia Chriſti miracula ordinabantur ad hoc, ut virtus Divinitatis ejus manifeſtaretur ad hominum ſalutem; hic autem finis habebatur per hoc, quòd ſe oſtenderet omnium etiam inſenſibilium Creatorem & Dominum, cujus virtuti teneretur obſequi omnis creatura. Sic miraculum fecit circa piſces Lucæ 5.; circa arbores Matth.21.; imperavit ventis, & mari Matth. 8., multiplicavit panes in deſerto Matth. 14., Aquam vertit in vinum Joan. 2.; tempore paſſionis terra mota eſt, aperta ſunt monumenta, petræ ſciſſæ &c.

XXIV. Solùm hic admirationem parere poteſt id, quod legitur Matth.21., nimirùm Chriſtus cùm eſuriret, & vidiſſet arborem ſecùs viam, accurrit ad ipſam, & excuſſit eam, & cùm nihil in ea inveniſſet, niſi folia, imprecatus eſt illi, dicens v. 19. *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Et areſacta eſt continuò ficulnea*. Quòd verò auget admirationem eſt, quia S. Marcus cap. 11. v.13. dicit: *Non erat enim tempus ficorum*. Quare ergo huic ficulneæ Chriſtus maledixit ex eo, quòd fructus non haberet, ſi nondum erat tempus ficos producendi? Rurſùs, quare Chriſtus accurrit ad ficulneam, & excuſſit, an haberet fructus, cùm tamen probè noſſet, nihil omnino eſſe præter folia?

Ceſſabit tamen admiratio, ſi attendatur, non id, quod geſtum eſt, ſed myſtica ratio, ob quam hoc à Chriſto geſtum eſt. In iſta ficulnea adumbrare voluit Chriſtus Synagogam, ad quam venit, quam verbo doctrinæ ſuæ excuſſit; ſed videns eam extra viam ſalutis poſitam, ſolis contentam foliis, nullum ſuo tempore fructum edere diſpoſitam, ſua maledictione arefecit, & ad Gentes tranſivit. Ita inter multos S. Hieronymus in dictum Matthæi Caput, dicens: *Cùmque vidiſſet arborem unam (quam intelligimus Synagogam, & conciliabulum Judæorum) juxta viam: habebat enim Legem, & ideò juxta viam erat, quia non credebat in viam; venit ad eam ſtantem ſcilicet & immobilem, & non habentem Evangelii pedes: nihilque invenit in ea niſi folia tantùm, promiſſionum ſtrepitum, Traditiones Phariſaicas, & jactationem Legis, & ornamenta verborum, abſque ullis fructibus veritatis. Unde & alius Evangeliſta dicit* „ nondum enim erat tempus „ *Sive quod tempus nondum venerat ſalvationis Iſrael, eo quòd nondum Gentilium populus ſubintraſſet: ſive quòd præteriſſet tempus Fidei, quia ad illum primum veniens, & ſpretus, tranſiſſet ad Nationes, & ait illi* „ nunquam ex te fructus naſcatur „ .... *Sic autem aruerunt folia, ut truncus ipſe remaneret, & fractis ramis vireret radix, quæ in noviſſimo*

ſimo tempore, ſi credere voluerit, virgulta Fidei pullulet: & ſubdit, hoc facto ad litteram voluiſſe monere diſcipulos, id quod ficulneæ fecerat, facere inimicis ſuis poſſe. Unde concludit: *Potuit ergo Salvator eadem virtute etiam inimicos ſiccare ſuos, niſi eorum per pœnitentiam expectaſſet ſalutem*. Videri etiam poteſt S. Ambroſius lib.7. in cap.13. Lucæ.

§. IV.

De Nuptiis Canæ, & Miraculo in eis patrato à Chriſto.

XXXV. A Præſenti Capite, in quo agimus de Miraculis, quæ Chriſtus in ſuæ Doctrinæ confirmationem operatus eſt; abeſſe non convenit Miraculum converſionis aquæ in vinum in nuptiis Canæ, quod primum fuit, quo diſcipulos in Fide firmavit, quam de ipſo conceperant. Hoc ita refert Evangeliſta Joannes cap.2. *Et die tertio nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jeſu ibi. Vocatus eſt autem & Jeſus & diſcipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino, dicit Mater Jeſu ad eum: vinum non habent. Et dicit ei Jeſus: quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus Miniſtris: quodcumque dixerit vobis, facite: erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundùm purificationem Judæorum, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Jeſus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas uſque ad ſummum. Et dicit eis Jeſus: haurite nunc & ferte architriclino. Ut autem guſtavit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat, unde eſſet, Miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam, vocat ſponſum architriclinus, & dicit ei: omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt: tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc. Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus*. Hujus inſignis facti circumſtantias examinabimus.

XXXVI. *Cana*, in qua iſtæ nuptiæ celebratæ ſunt, urbs erat parva in Galilæa, ſita inter Sephorim & Nazareth. Ad has ergo nuptias invitatus Jeſus venire non eſt dedignatus: nam (ut ait S. Joann. Chryſoſt. homil.21., aliàs 20. in Joan.) *Qui non dedignatus eſt formam ſervi accipere, multò minùs dedignabitur ad nuptias ſervorum venire. Qui cum Publicanis & peccatoribus verſabatur, minus recuſabit cum invitatis ad nuptias recumbere*. Altior autem ratio fuit, ut invitatus ad nuptias venire non recuſaret, inquit S. Auguſtinus Tract. 9. in Joann., nempè quia *confirmare* vo-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

voluit, quòd ipſe fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apoſtolus (1. Tim.4. v.3.) *prohibentes nubere; & dicentes quòd malum eſſent nuptiæ, & quòd Diabolus eas feciſſet*: & præſertim Manichæi, qui nuptias à Deo malo, nempè à Deo Veteris Teſtamenti inſtitutas, ſed à Deo bono Novi Teſtamenti reprobatas effutiebant. Ut ergo horum blaſphemiam facto ſuo præcluderet, præſentiâ ſuâ voluit Sanctas declarare nuptias. Hoc S. Gaudentius Serm.8. ita exponit: *Ideò nuptiarum celebritatem non aſpernatur Chriſtus, ut eundem ſe eſſe teſtetur Deum, qui de limo terræ figuraverit ab initio virum & feminam, iiſdemque licentiam tribuerit conjugalem dicens*,, creſcite, & multiplicamini, & implete terram,, *Quod Manichæis perditis adeò diſplicet conſtitutum: quibus ego ob immunditiam ſuam puto, non utique rem nuptialem diſplicere, ſed legem, quæ non multas feminas uni viro, neque unam feminam multis viris, ſed unam feminam uni viro conjungit.... Benedixit ergo quod conſtituerat à primordio legitimum Chriſtus conjugium, dum pergere ad nuptias non renuit invitatus*.

XXXVII. Cujus autem conditionis fuerit ſponſus, ad cujus nuptias Chriſtus invitatus venit, incertum. Valdè pauperem fuiſſe videtur indicare deficientia vini in medio nuptiarum. At oppoſitum videtur oſtendere multitudo Miniſtrorum inſervientium, & Architriclini præſentia. Ut enim ait S.Gaudentius Serm.9. *Nuptiæ apud Judæos cùm fierent, unus* (*quantum traditione comperimus*) *dabatur de Sacerdotali ordine, qui morem diſciplinæ legitimè gubernaret, pudoriſque curam gereret conjugalis; ſimul etiam conviviorum apparatui Miniſtros atque ordinem diſpenſaret, & pro hoc officio Architriclinus, ideſt triclinii præpoſitus dicebatur*. Hæc ex Gaudentio refert etiam Baronius ad ann. Chriſti 31. n.29. Qui tamen de more carpitur à Caſaubono Exercit.13. in Baron. §.19., quòd ipſe unà cum Gaudentio confuderit Architriclinum cum Præfecto morum; cùm diverſi eſſent, ſicut & diverſa officia; quæ tria erant in Conviviis unum Patrisfamilias, alterum Præfecti triclinii, tertium Præfecti morum; cujus erat animadvertere, ne convivæ bibendo plus nimio excederent. Sed quidquid ſit, ad rem meam non pertinet: imo ſi non unus, ſed duo erant in Canæ nuptiis Præfecti, ultra copiam inſervientium Miniſtrorum, magis colligitur, viri pauperis nuptias non fuiſſe. Adeò ut defectus ille vini, non ex inopia proceſſerit, ſed ſpeciali Dei providentia contigerit, ut locum daret Chriſto, tam inſigni miraculo manifeſtandi ſe ipſum. Veriſimili ergo conjecturâ creditur, ejuſmodi nuptias fuiſſe alicujus, qui Chriſto eſſet aliqua cognatione conjunctus; ideòque non ſolùm Chriſtus,

ſtus, ſed & Sanctiſſima ejus Mater eis interfuit.

XXXVIII. Porrò quis fuerit in hiſce nuptiis Sponſus, hactenùs ignoratur. Putarunt aliqui apud Baronium citato loco n. 30., Sponſum hiſce in nuptiis fuiſſe Joannem Evangeliſtam, qui cùm duxiſſet uxorem, & nuptias celebraſſet, viſo miraculo de aqua in vinum à Chriſto mutata, conjugem dimiſerit, & Chriſtum ſecutus fuerit. Moti autem ad hoc ſuſpicandum fuerunt, præcipuè ex S. Auguſt., qui in præfatione ad Tractatus ſuper Joann. hæc habet; *Iſte ſiquidem eſt Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempeſtate vocavit, & cui Matrem Virginem Virgini commendavit*: ſed falluntur; nam in primis, ut benè inter ceteros advertunt PP. Maurini, præfatio illa non eſt Auguſtini, nec in ullo Manuſcripto extat. Eâ tamen gratis admiſsâ, dicendum eſt, Auguſtinum dixiſſe Joannem vocatum à nuptiis, non quòd, cùm uxorem duxiſſet, eam reliquerit, ſed quòd eam prorsùs non acceperit: & hoc ipſe S. Auguſt. probat Tract. 124. ultimo in Joan. his verbis: *Sunt qui ſenſerint, & hi quidem non contemtibiles ſacri eloquii tractatores* (Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum) *à Chriſto Joannem Apoſtolum propterea plus amatum, quòd neque uxorem duxerit, & ab ineunte pueritia caſtiſſimus vixerit. Hoc quidem in Scripturis Canonicis non evidenter apparet: verumtamen id quoque multum adjuvat congruentiam hujuſce ſententiæ, quòd illa vita per eum ſignificata eſt, ubi non erunt nuptiæ*. Senſiſſe autem S. Auguſtinum, quòd ſponſus in illis nuptiis non fuerit Joannes, ex eo colligitur, quòd de eis agens Tract. 8. & 9. in Joan., de eo nec verbum facit, & apertè lib. de bono conjugali cap. 21. ait: *Sicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & in Joanne, qui paſſus non eſt: ſic non eſt impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui filios generavit*. Perpetuum Joannis cœlibatum teſtantur S. Ignatius Martyr Epiſt. ad Philadelphios, S. Epiphanius hæreſ. 58., & S. Hieronymus lib. 1. adversùs Jovin., ubi contra ipſum id negantem multis oſtendit, Joannem virginem fuiſſe. Quod ſi Jovinianus ſaltem per conjecturam deprehendere potuiſſet, ſponſum in nuptiis Canæ fuiſſe Joannem, putaſne id Hieronymo non objeciſſet? Et Manichæi, qui & apocrypha quæcumque congerere adversùs nuptias conſueverant, numquid ex diremto Joannis conjugio Chriſtum odiſſe nuptias non intuliſſent; ſicut ex diremtis à Paulo Theclæ ſponſalibus, eum nuptias damnaſſe inferebant? Demùm obſervo, quòd Joannes in ſuo Evangelio, quoties de ſe loquitur, aliquid ponit, quo lector dignoſcat, eum de ſe loqui, puta *Diſcipulus, quem di-*

Digitized by Google

diligebat Jeſus, vel aliud ſimile. Cùmque deſcribens Canæ nuptias, & ſponſum nominans, nil dicat, ex quo colligi queat, ipſum fuiſſe hunc ſponſum, credere par eſt, putare ipſum fuiſſe ſponſum in Canæ nuptiis indicatum, merum commentum eſſe.

Quis autem ille ſponſus fuerit, Baronius ad ann. 31. n.31. ex Nicephoro Hiſt. lib. 8. cap.30. putat, fuiſſe Simonem Cananæum, qui unus ex duodecim Apoſtolis fuit, & vocatus *Zelotes*. Sed, ut advertit Natalis Alexandre Hiſt. Eccleſ. ſeculo 1. cap.1. ar.4. n.7., Simon ille cognomen Cananæi accepit, non à patria, ſed ab ejus pietate & zelo, unde quem *Cananæum* vocat S. Matthæus, eumdem *Zelotem* appellat S. Lucas ex verbo *Kana*, quod Zelum ſignificat. Theodoritus tamen in Pſal.67., & Hieronymus in cap.10. Matth., hunc Simonem ex Cana originem traxiſſe autumant. Ceterùm & Nathanaelem, de quo immediatè ante, nempè cap. 1. Joannes, antequam nuptias recenſeret, locutus fuerat, è Cana Galilææ fuiſſe ſcribit Hieronymus in libro de Locis Hebraicis: unde hujus etiam fuiſſe nuptias putare poſſemus. Verum tamen eſt, de hac re niſi divinando loqui nos non poſſe.

XXXIX. Circa tempus, quo nuptiæ iſtæ celebratæ ſunt, aliqua diximus ſupra cap.19. §.5. n.43., quæ huc revocanda ſunt. Scio, non defuiſſe, qui vellent, hoc miraculum ſequenti anno poſt Baptiſmum contigiſſe, & eadem die; moti ex eo, quòd eadem die Eccleſia celebrat Magorum adventum, Chriſti Baptiſmum, & Miraculum de aqua in vinum converſa. Verùm ex eo, quod hæc tria eadem die ab Eccleſia recolantur, non poteſt peti firmum argumentum, quòd eadem die licèt diverſo anno contigerint. Et ipſimet Patres antiqui, quidnam horum trium hac die factum ſit, ambigui fuerunt, ut S. Paulinus in Natali 9. S. Felicis, Iſidorus de Offic. Eccleſ. cap.26., & præſertim S. Maximus ſerm. de Epiph. dicens: *In hac, dilectiſſimi, celebritate, ſicut relatione paternæ traditionis inſtruimur, multiplici eſt feſtivitate lætandum: ferunt enim, Chriſtum hodie vel ſtella duce à Gentibus adoratum, vel invitatum ad nuptias aquam vertiſſe in vinum, vel ſuſcepto à Joanne Baptiſmate Jordanis fluenta conſecraſſe. Sed quid potiſſimum præſenti hoc factum ſit die, noverit ipſe, qui fecit*. Nec obeſt, quòd Eccleſia dicat hac die: *Hodie vinum ex aqua factum eſt ad nuptias*: nam juxta phraſim Eccleſiæ uſitatam idem eſt ac ſi dicat: *Hodie ejus rei memoria agitur*. Hæc autem ideò eadem celebritate conjunguntur, quia includunt tres modos, quibus manifeſtatus eſt Chriſtus, nimirùm primò Gentibus per ſtellam, ſecundó Joanni per vocem Patris & Co-

& Columbæ adventum in Baptiſmo. Tertió per converſionem aquæ in vinum diſcipulis ſuis. Admittimus quidem, duo priora, nempè adventum Magorum & Baptiſmum Chriſti hac eadem die, nempè 6. Januarii, licèt diverſis annis revera contigiſſe ob rationes ſuperiùs adductas; ſed ne (ſaltem ut certum) admittamus, hac die contigiſſe etiam miraculum nuptiarum, obſtant rationes ſequentes.

XL. Et quidem primò, nam ſi ponamus, miraculum in nuptiis contigiſſe ſexta die Januarii anni ſequentis; cùm Chriſtus poſt Baptiſmum & Jejunium prædicationem ſuam auſpicatus ſit, & diſcipulos habere cœperit; ſequeretur, quòd Chriſtus primo ſuæ prædicationis anno nullum ſignum feciſſet, cum teſte Joanne converſio aquæ in vinum fuerit *initium ſignorum* coram diſcipulis; hoc autem vix credi poteſt. Secundò, quia ut patet ex contextu Joannis Evangeliſtæ, ea omnia, quæ ibi Joannes narrat, facta ſunt primo anno prædicationis ab aliis Evangeliſtis prætermiſſo. Ipſe enim quid ante, quid ſtatim poſt nuptias, de quo apud alios ſilentium eſt, accuratè deſcribit. Hunc fuiſſe ſcopum Joannis in ſuo poſt alios Evangelio conſcribendo, nimirùm ſupplere ea, quæ ab aliis omiſsa fuerant de Chriſti Divinitate, & primo ejus prædicationis anno, teſtatur auctor præfationis in Auguſtini Tractatus ſuper Joan. Tertiò, ſi poſt primum prædicationis annum nuptiæ & miraculum contigiſsent, deberet novum addi Paſcha, & prædicationis Chriſti tempus ultra quatuor annos protrahi: cùm, ut ſupra ſtabilitum eſt cum communi conſenſu Patrum, prædicatio Chriſti tribus ſolis annis & paucis menſibus duraverit, & hoc tempore ſola quatuor Paſchata celebrarit.

Quare dicendum puto, ut ſupra, eodem anno vix duobus menſibus poſt Baptiſmum Chriſtum invitatum ad nuptias ibi aquam vertiſse in vinum, ideóque hoc contigiſse circa finem Februarii ejuſdem anni. Nam ſtatim poſt diem 6. Januarii, quo credimus eum ſuſcepiſse Baptiſma, ad deſertum ſe contulit, ibi quadraginta diebus manſit: inde egreſsus viſus fuit à Joanne, cœpit congregare diſcipulos Andream & Simonem Petrum, deinde Philippum, deinde Nathanaelem. Poſtea celebratis nuptiis deſcendit Capharnaum, ubi manſit non multis diebus: & appropinquante Paſcha aſcendit Hieroſolymam, ubi ejecit vendentes & ementes de Templo, & deinde primum Paſcha celebravit. Hæc ex Joanne cap. 1. & 2.

XLI. Non latet, S. Thomam Lect. 1. in cap. 2. Joan. viſum fuiſse contrariæ ſententiæ patrocinari, ait enim: *Circa tempus*

prædicationis Chriſti eſt duplex opinio. Quidam namque dicunt, quòd à Baptiſmate Chriſti uſque ad paſſionem ejus fuerint duo anni & dimidius. Et ſecundum hos hoc quod hic legitur de nuptiis eodem anno factum eſt, quo Chriſtus baptizatus eſt. Sed his contrariatur ſententia & conſuetudo Eccleſiæ. Nam in feſto Epiphaniæ trium miraculorum commemoratio fit, ſcilicèt adorationis Magorum, quæ fuit primo anno Nativitatis Dominicæ, & Baptiſmi Chriſti, quo baptizatus eſt eodem die, revolutis triginta annis, & de nuptiis, quæ factæ ſunt eodem die revoluto anno. Ex quo ſequitur, quod ad minus unus annus elapſus fuit à Baptiſmo uſque ad nuptias. In quo quidem nil legitur Dominus feciſſe, niſi quod legitur Matth.4. de Jejunio in deſerto, & tentatione à Diabolo, & ea, quæ hic Joannes refert de teſtimonio Baptiſtæ, & converſione Diſcipulorum. A nuptiis autem cœpit publicè prædicare, & miracula facere uſque ad paſſionem, ita quod duobus annis cum dimidio publicè prædicavit. Hæc S. Thomas. Quæ in reverentiam Angelici Magiſtri, ut probabilia relinquo, & Lectoris judicio propono, ut eligat, quid ſibi penſatis omnibus probabilius viſum fuerit. Notet tamen, quòd etſi in ſuperioribus dixerim, nuptias Canæ contigiſse eodem anno, quo Chriſtus baptizatus fuit, non convenio tamen in hoc, quòd à Baptiſmo ad Paſſionem duo tantum anni cum dimidio fluxerint, ſed ſentio, tres annos & aliquot menſes interceſſiſse, in quo cum S. Thoma conſenſi.

XLII. Quæri poteſt cum S. Thoma loco citato, cur non ex nihilo Chriſtus vinum creavit, ſed voluit illud ex aqua facere. Cui reſpondet S. Thomas triplici ratione hoc feciſse. Primò, quia licèt ex nihilo aliquid facere majus ac mirabilius ſit, quàm facere aliquid ex præjacente materia; non eſt tamen ita evidens & credibile multis. Et ideò volens, magis credibile eſse quod fiebat, ex aqua fecit vinum, capacitati hominum ſe accommodans. Cùm enim Miniſtri ſcirent, ſe poſuiſse in hydriis aquam, guſtantes poſteà, non eſse ampliùs aquam ſed vinum, & quidem optimum, magis teſtificari poterant de Miraculo. Secundò, ad confutanda dogmata perverſa, ut Manichæorum, qui dixerunt, alium eſse conditorem Mundi, quàm Deum, & omnia viſibilia ab illo, ideſt Diabolo, condita eſse. Et hac ratione Chriſtus plura miracula in & ex ſubſtantiis creatis & viſibilibus fecit, ut oſtenderet, eas eſſe bonas & à Deo conditas. Tertiò myſticè; ideò enim voluit, non ex nihilo ſed ex aqua vinum facere, ut oſtenderet, ſe non novam Doctrinam condere & veterem reprobare, ſed veniſse, ut id quod Lex vetus figurabat adimpleret, illudque exhiberet, aperiret, ac in meliùs perficeret.

XLIII. Si

XLIII. Si quæras, quid eſsent ſex illæ hydriæ, in quibus miraculum patratum eſt. Reſpondebo ex S. Thoma ibidem: ſciendum, quòd Judæi obſervabant multas ablutiones corporales, & baptiſmata calicum & vaſorum. Et quia erant in Palæſtina, ubi eſt defectus aquarum, habebant vaſa, in quibus ſervabatur aqua puriſſima, qua ſe & vaſa crebrò lavarent; quæ idcircò hydriæ vocabantur, quia vaſa ad conſervandam aquam ab *Ydor*, quod eſt aqua. Harum ſex erant in nuptiis Canæ, erantque lapideæ, quarum ſingulæ capiebant metretas binas vel ternas (metreta autem erat menſura liquidorum continens ad minus libras 80.) Iſta autem vaſa afferuntur ad tollendam miraculi ſuſpicionem, tum quia erant mundiſſima, nec in eis niſi aqua ad purificationem ponebatur, ne ſcilicet poſſet aliquis ſuſpicari, quòd aqua ſaporem vini contraxiſset ex fæcibus vini prius in ea repoſiti; tum etiam propter vaſorum quantitatem, ut evidenter pateret, quòd aqua tot vaſorum non potuiſset ſtatim in vinum converti, niſi virtute Divina.

CAPUT XXI.

De Transfiguratione Chriſti.

§. I.

An fuerit conveniens, & quomodo facta.

I. INTER miracula, quibus mirabilem ſe oſtendit Chriſtus Dominus, potiſſimùm cenſeri debet Transfiguratio, in qua Divinitatem ſuam, & Sanctorum gloriam præmonſtravit: *Aſſumit*, inquit Matthæus cap. 17. v. 1., *Jeſus Petrum Jacobum & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos*. De hac agit S. Thomas 3. p. q. 45. Et quidem conveniens fuiſse, Chriſtum Transfiguratione ſe ipſum viſibiliter glorioſum diſcipulis oſtendere, dicit S. Thomas ar. 1. Nam prænuntiatâ eis ſuâ Paſſione, eoſque hortatus ad ſui in Paſſione ſequelam, ne deterrerentur; oportebat, ut eis ſpecimen aliquod exhiberet termini, ad quem perventuri erant per paſſionem: ſicut enim ut aliquis rectè procedat in via, oportet, ut finem aliqualiter præcognoſcat, & ſicut ſagittator non rectè jaciet ſagittam, niſi priùs ſignum proſpexerit, in quod jacienda eſt: ita oportebat, ut quibus monſtraverat viam, præmonſtraret & terminum, ad quem per talem viam eſsent per-

venturi, aliàs potuiſſent dicere cum S. Thoma Joan. 14. v. 5. *Domine neſcimus, quò vadis: & quomodo poſſumus viam ſcire?* Hoc autem maximè neceſſarium eſt, quando via eſt difficilis & aſpera, & iter laborioſum, finis verò jucundus, ut viator attendens ad ejus jucunditatem alacriùs ferat aſperitatem itineris. Cùm ergo Chriſtus per ſuam paſſionem ad hoc pervenerit, ut gloriam obtineret non ſolùm animæ, quam habuit ab initio ſuæ conceptionis, ſed etiam corporis, ſecundùm illud Lucæ ultimo v.26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* & ad hanc etiam perducat eos, qui veſtigia ſuæ paſſionis ſequuntur, ſecundùm illud Act.14. v.21. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei*: conveniens fuit, ut per claritatem ſuæ Transfigurationis aliquod ſpecimen gloriæ, ad quam per paſſionem cum ipſo perventuri erant, eis exhiberet, ſecundùm illud ad Philip.3. v.21. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*. Unde Beda dicit ſuper Marcum: *Pia proviſione factum eſt, ut contemplatione ſemper manentis gaudii ad breve tempus delibatâ, fortiùs adverſa tolerarent.*

II. Sed cur tres ſolos, & non omnes diſcipulos ſuæ gloriæ adhibere voluit teſtes, cùm omnes viam paſſionum terere deberent, & proinde omnibus oſtendendus videretur terminus gloriæ, ad quem perventuri erant, ut alacrius eam calcarent?

Reſpondeo cum S. Thoma dicta q.45. ar.3. ad 4. Quod alta myſteria non ſunt omnibus immediatè exponenda, ſed per majores ſuo tempore ad alios debent devenire. Et ideò, ut Chryſoſtomus dicit homil.57. in Matth. aſſumſit tres tanquam potiores. Nam Petrus excellens fuit in dilectione, quam habuit ad Chriſtum; & iterum in poteſtate ſibi commiſſa; Joannes verò in privilegio amoris, quo diligebatur à Chriſto propter ſuam virginitatem, & inſuper propter prærogativam Evangelicæ doctrinæ; Jacobus autem propter prærogativam Martyrii. Nec tamen hoc quod viderant voluit, ut aliis annuntiarent ante ſuam reſurrectionem: *Nemini*, inquit, *dixeritis viſionem, donec Filius Hominis à mortuis reſurgat*, ſive quia, ut dicit Hieronymus in cap.17. Matth. *Et incredibile eſſet pro rei magnitudine: & poſt tantam gloriam, apud rudes animos ſequens crux ſcandalum faceret*: ſive, ut ait Hilarius in c.17. Matth., *Silentium rerum geſtarum, quas viderant, imperat, donec ... à mortuis reſurgeret ..., infirmos enim ſenſerat ad vocis auditum, ut cum eſſent Spiritu Sancto repleti, tunc geſtorum ſpiritualium teſtes eſſent.*

III. Quomodo autem facta fuerit Transfiguratio, explicat S. Hieronymus in c.17. Matth. „ Et transfiguratus eſt ante eos „

Qua-

Qualis futurus eſt tempore judicandi; talis apparuit Apoſtolis. Quod autem dicit,, transfiguratus eſt ante eos ,, *nemo putet, priſtinam eum formam & faciem perdidiſſe; vel amiſiſſe corporis veritatem, & aſſumſiſſe corpus vel ſpirituale vel aereum: ſed quomodo transformatus ſit, Evangeliſta demonſtrat dicens*,, Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix ,, *Ubi ſplendor faciei oſtenditur, & candor deſcribitur veſtium; non ſubſtantia tollitur, ſed gloria commutatur* ,, Reſplenduit facies ejus ſicut Sol ,, *Certè transformatus eſt Dominus in eam gloriam, qua venturus eſt poſtea in Regno ſuo. Transformatio ſplendorem addidit, faciem non ſubtraxit. Eſto corpus ſpirituale fuerit: num & veſtimenta mutata ſunt: quæ in tantum fuere candida, ut alius Evangeliſta dixerit* (Marcus 9. v.2.) ,, qualia fullo ſuper terram non poteſt facere ,, ? *Quod autem fullo ſuper terram poteſt facere, corporale eſt, & tactui ſubjacet, & non ſpirituale & aereum, quod illudat oculis, & tantùm in phantaſmate conſpiciatur*. Hæc S. Hieronymus: quibus apertè docet, Chriſtum transfiguratum fuiſſe, non quòd mutaverit lineamenta, vel aliam faciem induerit, & multò minùs quòd corpus aereum aſſumſerit, ſed quia facies ejus reſplenduit fulgore, tum ex majeſtatis Divinitate, tum ex animæ beatitudine in faciem, totumque Chriſti corpus dimanante, & candore illius per illius veſtes coruſcante, eo modo, quo apparebit, cum veniet judicaturus. Unde & Chryſoſtom. homil. 57. in Matth. *Volens*, inquit, *monſtrare, quid eſt illa gloria, in qua poſtea venturus eſt, eis in præſenti vita revelavit, ſicut poſſibile erat eos diſcere, ut neque in Domini morte jam doleant*.

IV. Claritas igitur, quâ Chriſtus in Transfiguratione effulſit, ut optimè explicat S. Thomas dicta q. 45. ar. 2., fuit claritas gloriæ, ſecundùm eſſentiam, non tamen quantum ad modum eſſendi. Ex anima enim Chriſti, tum ratione Divinitatis, cui erat hypoſtaticè unita, tum ratione gloriæ, qua ab initio conceptionis Chriſti fruebatur, derivari naturaliter debuiſſent in corpus ejus claritas ac ceteræ dotes, quibus poſt reſurrectionem corpora glorioſa ornabuntur: *Tam potenti enim natura* (inquit Auguſtinus Epiſt. 56., modò 118. ad Dioſcorum) *Deus fecit animam, ut ex ejus pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod eſt corpus, non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis eſt propria, ſed plenitudo ſanitatis, ideſt incorruptionis vigor*. Quòd autem (uti debuiſſet) ab initio conceptionis Chriſti gloria animæ non redundaret in corpus, hoc ex quadam diſpenſatione divina factum eſt, ut ſcilicet in corpore paſſibili noſtræ Redemtionis expleret my-

myſteria: *Non tamen per hoc* (proſequitur S. Thomas) *adempta eſt Chriſto poteſtas derivandi gloriam animæ ad corpus. Et hoc quidem fecit quantùm ad gloriæ claritatem in Transfiguratione.*

Aliter tamen, quàm in corpore glorificato. Nam ad corpus glorificatum redundat claritas ab anima ſicut qualitas quædam permanens, corpus afficiens: unde fulgere corporaliter non eſt miraculoſum in corpore glorioſo. Sed ad corpus Chriſti in Transfiguratione derivata eſt claritas à Divinitate & anima ejus, non per modum qualitatis immanentis & afficientis ipſum corpus, ſed magis per modum paſſionis tranſeuntis, ſicut cum aer illuminatur à ſole: unde ille fulgor tunc in corpore Chriſti apparens miraculoſus fuit, ſicut & hoc ipſum quòd ambulavit ſuper undas maris.

V. Hinc ait S. Doctor, non eſſe dicendum, *quòd Chriſtus aſſumſit quatuor dotes*, claritatis *in Transfiguratione*, agilitatis *ambulando ſuper mare*, ſubtilitatis *egrediendo de clauſo utero Virginis*, & impaſſibilitatis *in Cœna, quando dedit corpus ſuum ad edendum, ſine hoc quod divideretur: quia dos nominat quandam qualitatem immanentem Corpori glorioſo: ſed miraculosè habuit ea, quæ pertinent ad dotes. Et eſt ſimile quantùm ad animam de viſione, qua Paulus vidit Deum in raptu*. Ita S. Thomas, qui art.1. præcedente ad tertium notaverat, Chriſtum in Transfiguratione ſolam claritatem Corporis aſſumſiſſe, non verò ea, quæ pertinent ad alias dotes: quia ſola claritas eſt qualitas perſonæ in ſe ipſa, aliæ verò tres dotes non percipiuntur niſi aliquo actu vel motu vel paſſione. Unde quamvis, ut dictum eſt, agilitatis, ſubtilitatis & impaſſibilitatis aliqua ſigna exhibuerit; non tamen propter illa transfiguratus dicitur, ſed propter ſolam claritatem, quæ pertinet ad aſpectum perſonæ ipſius.

VI. Ex dictis ſequitur, quòd ſicut Transfiguratio Chriſti non fuit figuræ vultus aut corporis Chriſti tranſmutatio, ſed quòd retentâ propriâ formâ & figurâ ſplendorem clariorem & ampliorem inſtar ſolis emiſerit; ita non fuit ſola externa cujuſdam ſplendoris acceſſio, ſicut fuit claritas, quæ effulgebat in facie Moyſi extrinſecùs adveniens ex colloquio cum Deo; ſed fuit ſplendor ab interno ipſius Divinitatis & gloriæ animæ ad faciem Chriſti tranſeuntis derivatus, ſicut poſt reſurrectionem corporibus glorioſis permanenter inſidebit. Multò minùs Transfiguratio Chriſti ſimilis fuit ei, quâ unus in alium transfigurari dicitur externo aliquo facto, ſicut 2.Cor.11. Pſeudo-apoſtoli dicuntur ſe *transfigurare in Apoſtolos Chriſti* ſolâ externi miniſterii æmulatione, & Satanas dicitur ſe *transfigurare* in Angelum lucis, quòd quædam interdum ſuggerat in ſpeciem bona, ut fallat in-

Digitized by Google

incautos ; nulla enim in Transfiguratione Chriſti falſitas, nulla deceptio, nulla apparentia.

An verò ſplendor ille vultui Chriſti dumtaxat & non toti ejus corpori adhæſerit, affirmant non pauci, ex eo moti, quòd Matthæus & Lucas ſolam faciem Chriſti ſplendentem nominarint: *Reſplenduit facies ejus ſicut ſol*. Alii tamen totum corpus ejus inſolito illo ſplendore cenſent irradiaſſe, & Sacros Evangeliſtas ſub nomine faciei, utpotè magis ſpectabilis, cetera membra, & totum corpus intellexiſse: & afferunt inter alios S. Ephræm ſerm. de Transfigurat. dicentem: *Veſtimenta autem ſua oſtendit eis alba inſtar lucis, quia ex toto corpore ejus gloria Divinitatis ſuæ ſcaturiebat, & ex omnibus membris ſuis lux ejus refulgebat. Non enim, ut Moyſi, reſplenduit facies ejus extrinſecùs: verùm ex ipſo ſcaturiebat Divinitatis ejus gloria, & in ipſo manebat*.

VII. De veſtimentis autem quatuor dicunt Matthæus Marcus & Lucas, ut ſcilicet alba eſſent ſicut nix, candida, ſplendentia & fulgentia: alba ut nix ob excellentiam alboris; ſplendentia ob lucem ex Chriſti facie vel etiam toto corpore ad illa promanantia; refulgentia, quòd radios inſtar fulguris emitterent. Quid autem iſta veſtium Chriſti claritas myſticè portenderet, docet S. Thomas dicta q.45. ar.2. ad 3. his verbis: *Sicut claritas, quæ erat in corpore Chriſti, repræſentabat futuram claritatem corporis ejus: ita claritas veſtimentorum ejus deſignabat futuram claritatem Sanctorum, quæ ſuperabitur à claritate Chriſti, ſicut candor nivis ſuperatur à ſplendore ſolis: unde Gregorius dicit 32. Moral. c.7. quod*,, Veſtimenta Chriſti facta ſunt ſplendentia, quia in ſupernæ claritatis culmine Sancti omnes ei luce juſtitiæ fulgentes adhærebunt,, *Veſtium enim nomine juſtos, quos ſibi adjungit, ſignificat, ſecundùm illud Iſaiæ* 49.,, His omnibus velut ornamento veſtieris.,, Ita S.Thomas. S. Auguſtinus ſerm.78. aliàs 69. de diverſis per veſtimenta Chriſti dicit ſignificari Eccleſiam, quæ niſi à Chriſto contineretur, caderet, ſicut veſtimenta, *niſi ab induto contineantur, cadunt*.

VIII. Dixi cum S. Thoma, Transfigurationem Chriſti fuiſſe totam miraculoſam. Sed quia aliqui negant; imò volunt, fuiſſe ceſſationem à miraculo, quo claritas illa comprimebatur, ne redundaret ad corpus: ideò ſuſtinendo ut par eſt S. Thomæ doctrinam, id oſtendo. Quia licèt illa coruſcantis gloriæ claritas relatè ad animam Chriſti non eſset miraculoſa, ſed naturalis, quia cùm à principio conceptionis potiretur beatitudine, poſtulabat, ut gloria tanquam appendix ſuæ beatitudinis deriva-

va-

Digitized by Google

varet ſuo modo ad corpus: quòd tamen claritas animæ fuerit diffuſa in corpus Chriſti, ex parte ipſius corporis miraculoſum fuit, quia non fuit in illud diffuſa per modum permanentis, ſed tranſeuntis, nec illud faciens glorioſum, ſed relinquens paſſibile & mortale. Quòd autem corpus paſſibile & mortale claritatem animæ glorioſæ participet, ingens ſanè miraculum eſt. Imo dico, hic fuiſſe duplex miraculum: unum, quia impediebatur, ne gloria ab anima Chriſti effunderetur in ejus corpus per modum dotis permanentis ſibi debitæ: alterum, quia licèt Deus conſtituiſſet, ut toto vitæ mortalis Chriſti decurſu gloria animæ non efflueret in corpus, ut per dolores & paſſiones opus Redemtionis impleret; permiſit tamen, ut in Transfiguratione ſaltem tranſeunter gloria animæ promicaret in corpore. Quare fuit ceſſatio ab uno miraculo, duo tamen miracula inducens.

§. II.

Circumſtantiæ Transfigurationis.

IX. PRima circumſtantia eſt locus, in quo fuit transfiguratus: dicit enim Evangelium, quod *duxit illos in montem excelſum ſeorsùm, & transfiguratus eſt ante eos*. Quæritur ergo quis fuerit ille mons excelſus. Fuiſſe montem Oliveti, unde aſcendit in Cœlum, & in quo judicaturus eſt orbem, cenſet Auctor Itinerarii Hieroſolymitani, ſed hic non eſt mons excelſus, imo humilis, ab ima parte Vallis Joſaphat ad mille & octoginta quatuor paſſus aſſurgens; nec in Galilæa, ubi Chriſtus creditur transfiguratus, ſed in Judæa propè Hieroſolymam ſitus eſt. Fuiſſe montem Libani, cenſet Franciſcus Lucas cum aliis Recentioribus; is enim eſt mons excelſus, in Galilæa ſitus, & Galilæam à Phænicia diſtinguens. Alii, ut videre eſt apud P. Lamy Apparat. Geograph. cap. 12., putant fuiſſe montem quendam excelſum propè Cæſaream, qui teſte Joſepho ipſis fontibus Jordanis imminebat. Sed quidquid ſit; arbitror, non eſſe recedendum à communi ac vulgata ſententia, montem, in quo transfiguratus eſt Jeſus, fuiſſe montem Thabor, qui in media Galilæa aſſurgit in altitudinem triginta ſtadiorum, & planitiem ſtadiorum viginti habet in vertice, nec procul eſt à Nazareth, de quo S. Hieronymus lib. de ſitu Loc. Hebr. *Thabor*, inquit, *terminus Zabulon. Eſt autem mons in medio Galilææ campo mira rotunditate ſublimis, diſtans à Diocæſaræa decem millibus contra Orientalem plagam, qui confinium quoque inter Tribum Iſſachar & Ne-*

Digitized by Google

Nephtalim fuit. Hec fuit ſententia Veterum: ipſius Hieron. Epiſt.27., modò 86. ad Euſtoch., ubi recenſens itinera Paulæ matris ait: *Scandebat montem Thabor, in quo transfiguratus eſt Dominus*; S. Cyrilli Hieroſol. Catecheſi 12.; S. Joann. Damaſceni ſerm. de Transfig.; Bedæ lib. de Locis Sanctis cap. 17.; Nicephori lib.8. hiſt. cap. 30.: Et congruit etiam nomen; nam ut ait S. Auguſtinus in Pſalm. 88. *Thabor interpretari dicitur Veniens Lumen*.

X. Altera circumſtantia eſt tempus. Tempus, quo Chriſtus transfiguratus fuit, non multò ante paſſionem fuiſſe creditur, ideòque circa trigeſimum tertium annum ætatis Chriſti; huic enim anno Transfigurationem Chriſti conſignant Baronius in Annal., Tilmontius, Janſenius in Concordia poſt Hammonium Alexandrinum in Harmon. Evang. Antea enim Chriſtus de ſua imminenti paſſione ſermonem habuerat, hortatuſque diſcipulos fuerat, ut tollerent crucem, & ſe ipſos abnegarent, ac ipſum ſequerentur ſine timore, promittens in præmium eis, qui ipſum confiterentur, ſe confeſſurum illos, cùm venerit in gloria Patris ſui. Ut autem ſuæ gloriæ aliquale ſpecimen daret, gloriam ſuæ Transfigurationis aliquibus eorum exhibuit. Quâ verò horâ id contigerit, an ſcilicet diurnâ, an nocturnâ, incertum eſt. Calmet in ſuo Dictionario Verbo *Transfiguratio* putat, eam contigiſſe noctu, colligitque ex eo, quod Lucas cap.9. v.32. dicit, quòd, dum Chriſtus transfiguratus loqueretur cum Moyſe & Elia, *Petrus, & qui cum eo erant gravati erant ſomno: & evigilantes viderunt Majeſtatem ejus, & duos viros, qui ſtabant cum illo*: & v.37. ſubjicit: *Factum eſt autem in ſequenti die deſcendentibus illis* &c.: quæ videntur indicare, ea, quæ antecedenter evenerant, præcedente nocte contigiſſe.

XI. Tertia circumſtantia eſt apparitio Moyſis & Eliæ cum Chriſto transfigurato colloquentium. Et quidem fuiſſe, ut teſtes gloriæ Chriſti eſſent etiam ex Veteri Teſtamento aliqui, oſtendit S. Thomas dicta q.45. ar.3. Nam *Chriſtus transfigurari voluit, ut gloriam ſuam hominibus oſtenderet, & ad eam deſiderandam homines provocaret. Ad gloriam autem æternæ beatitudinis adducuntur homines per Chriſtum non ſolùm qui poſt eum fuerunt, ſed etiam qui eum præceſſerunt. Unde eo ad paſſionem properante, tam turbæ, quæ ſequebantur, quàm quæ præcedebant, ei clamabant,* Hoſanna, *ut dicitur Matth.21. quaſi ſalutem ab eo petentes. Et ideò conveniens fuit, ut de præcedentibus ipſum teſtes adeſſent, ſcilicet & Moyſes & Elias, & de ſequentibus ipſum, ſcilicet Petrus & Jacobus & Joannes, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtaret boc*

verbum. Cùm ergo dogma fidei ſit, nemini ab origine Mundi ad gloriam æternam aditum patere potuiſse, niſi per Chriſtum, in quo ſolo eſt vera ſalus & redemtio noſtra; congruum fuit, ut in Chriſti Transfiguratione, quæ æternæ beatitudinis delineatio & obumbratio fuit, aliqui de iis, qui eum præceſserunt, & aliqui, qui cum eo adhuc vivebant, teſtes eſsent, ut diſcerent, eum eſse omnium mediatorem ac ſalutis auctorem.

XII. Cur autem ex tot, qui in Veteri Lege eum præceſserunt, ſoli Moyſes & Elias prælecti teſtes fuerint, quinque cauſas affert S. Thomas loco citato ad 3., ex S. Joan. Chryſoſtomo homil. 57. in Matth. Prima eſt hæc: *Quia enim turbæ dicebant, eum eſſe Heliam vel Hieremiam, aut unum ex Prophetis, Capita Prophetarum ſecum ducit, ut ſaltem hinc appareat differentia ſervorum & Domini*. Secunda ratio eſt: *Quia Moyſes Legem dedit, Helias pro gloria Domini æmulator fuit: unde per hoc quòd ſimul cum Chriſto apparent, excluditur calumnia Judæorum accuſantium Chriſtum, tanquam tranſgreſſorem Legis, & blaſphemum, Dei gloriam ſibi uſurpantem*. Tertia ratio eſt, *ut oſtendat, ſe habere poteſtatem mortis & vitæ, & eſſe Judicem mortuorum & vivorum, per hoc quod Moyſen jam mortuum, & Heliam adhuc viventem ſecum ducit*. Quarta ratio eſt, *quia ſicut Lucas dicit*,, Loquebantur eum eo de exceſsu, quem completurus erat in Jeruſalem,, *ideſt de paſſione & morte ſua. Et ideò ut ſuper hoc Diſcipulorum animos confirmaret, induxit eos in medium, qui ſe morti expoſuerunt pro Deo. Nam Moyſes cum periculo mortis ſe obtulit Pharaoni, Helias verò Regi Achab*. Quinta ratio eſt, *quia volebat, ut Diſcipuli ſui æmularentur Moyſi manſuetudinem & zelum Heliæ*. Sextam rationem addit Hilarius cap. 17. in Matth. *Ut oſtenderet ſcilicet, ſe per Legem, quam dedit Moyſes, & per Prophetas, inter quos fuit Helias præcipuus, eſſe prædicatum*.

XIII. Controverſia eſt inter Doctores, quomodo Moyſes & Helias illuc advenerint; an in proprio corpore, an in corpore aſsumto & apparenti, ſicut Angeli apparere ſolent hominibus. In quo rejicienda eſt quædam gloſsa deſumta ex libro de Mirabilibus Sacræ Scripturæ falsò S. Auguſtino adſcripto cap. 9., ubi dicitur: *Non corpora vel animas Moyſi & Heliæ ibi apparuiſſe, ſed in ſubjecta creatura corpora illa fuiſſe formata. Poteſt etiam credi, Angelico miniſterio hoc factum eſſe, ut Angeli eorum perſonas aſſumerent*. Controverſia eſt: an nedum in propria anima, ſed etiam in proprio corpore Moyſes & Helias illuc adventarint. Et quidem de Helia, quem alicubi in terris cœleſtem vitam adhuc agere Fides docet, facilis reſolutio eſt. Hunc enim ex loco, in quo

quo degit, ab Angelo breviſſimo tempore fuiſse in Montem Thabor translatum, credibile eſt, ad eum modum, quo Habacuc Propheta & Philippus Diaconus translati leguntur in ſacris Litteris; ille quidem è Judæa in Babylonem, iſte ex Gaza in Azotum. De Moyſe ſolùm difficultas eſt, quem conſtat fuiſse mortuum Deuteron.34. v.5.: nec enim verum eſt, Moyſen nondum fuiſse mortuum, ſed cum Helia ad Judicii diem reſervari, ut ſint teſtes Judicii, ſicut fuerunt teſtes Transfigurationis; licèt hæc opinio tribuatur Hilario in cap. 20. Matth., S. Ambroſio lib.1. de Cain & Abel cap.2., Hieronymo in cap.9. Amos, Nyſseno lib. de Vita Moyſis, & noviſſimè Catharino Gen.1. & 2. Nec etiam verum judico, Moyſen fuiſse quidèm verè mortuum, ſed ſtatim reſurrexiſse, ideòque ſepulchrum ejus adhuc ignorari, Deuteron. 34. v. 6. *Non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem*, quæ opinio tribuitur Rabbi Samuel lib. de adventu Meſſiæ cap.13.

XIV. Difficultas ergo ad hoc reducitur: an Moyſes, qui ad illud tempus mortuus fuerat, ut teſtis adeſset Transfigurationis, reſurrexerit, ut anima & corpore proprio præſens fuerit vivens, indeque ſtatim iterum mortuus fuerit. Affirmativæ ſubſcribunt ex Recentioribus aliqui, putantes ſibi favere Epiphanium hæreſ.64., Chryſoſtomum homil. 57. in Matth., Hieronymum in cap.17. Matth., Damaſcenum Orat. de Transfigur., & ipſum S. Auguſtinum Tract.124. in Joann. At S. Thom. 3.p. q.45. ar. 3. ad 2. negativam partem amplectitur: allatis enim Hieronymi mox citati verbis: *Ut Apoſtolorum augeat Fidem, dat ſignum de Cælo, Helia inde deſcendente, quò conſcenderat, & Moyſe ab inferis reſurgente*, ſubjungit: *Quod non eſt ſic intelligendum, quaſi anima Moyſi ſuum corpus reſumſerit, ſed quòd anima ejus apparuit per aliquod corpus aſſumtum, ſicut Angeli apparent. Helias autem apparuit in proprio corpore, non quidem de cælo empyreo allato, ſed de aliquo eminenti loco, quo fuerat in curru igneo raptus.*

Huic S. Thomæ ſententiæ adhæreo: non enim video cauſam, cur ſic concipi debeat miraculoſa reſurrectio Moyſi, ſtatim iterùm morituri, cùm totum poſſit benè intelligi factum per realem ipſius animæ adventum in corpore ad hoc aſsumto, eo modo, quo Angeli apparuerunt. Neque hic ulla fictio intervenit, cùm realiter Moyſis anima coram Chriſto ſteterit, aliàs omnes Angelorum apparitiones ſpectra eſsent & fictiones. Neque officit, quòd in Evangelio legatur, Moyſen & viſum & locutum fuiſse cum Chriſto transfigurato; id enim per Synecdo-

chen dici potuit, animam Moyſis ſumendo pro Moyſe: ſicut & Samuel poſt mortem ſuam viſus fuit & locutus cum Saule 1. Reg. cap. 28., quem tamen nemo dixerit in proprio corpore viſum ac locutum fuiſſe. Neque oppoſitum apertè ſentiunt Patres allati. Nam Chryſoſtomus dicit quidem, Moyſen & Heliam Chriſto transfigurato adfuiſſe, ſed utrumque in proprio corpore adfuiſſe non dicit. Hieronymus dicit, *Moyſe ab inferis reſurgente*, ſed non addit proprio reſumto corpore: potuit enim anima Moyſi à loco inferiori, nempe Limbo reſurgere, ideſt iterum ſurgere, ſicut 1. Reg. cap. 28. v. 15. Samuel jam mortuus dixit Sauli: *Quare inquietaſti me ut ſuſcitarer?* Cum tamen nemo dixerit, Samuelis animam in reſumto corpore hoc dixiſſe, imo non pauci volunt, nec Samuelis animam ibi adfuiſſe, ſed ſpectrum. S. Auguſtinus autem non id ſtatuit, ſed obiter, & quaſi opinando loquitur. Cùm enim argueret contra quoſdam, qui aſſerebant, Moyſen mortuum non fuiſſe, quia ejus ſepulchrum lateret, & apparuerit cum Helia Domino in Monte, ita ait: *Quaſi Moyſi corpus non potuerit alicubi ſic abſcondi, ut prorsùs homines lateret, ubi eſſet, atque inde ad horam divinitùs excitari, quando cum Chriſto Helias & ipſe ſunt viſi, ſicut ad horam multa Sanctorum corpora ſurrexerunt, quando paſſus eſt Chriſtus, & poſt ejus Reſurrectionem apparuerunt multis in Sancta, ſicut ſcriptum eſt, Civitate.* Ex his omnibus conficitur, ſententiam affirmantem, Moyſen in proprio corpore coram Chriſto ſtetiſſe, eſſe valdè probabilem.

XV. Quarta circumſtantia fuit Vox Patris audita iterum dicentis de Chriſto: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Ipſum audite.* Convenienter autem fuiſſe auditam vocem Patris tum in Baptiſmo tum in Transfiguratione declarantis Chriſtum ſuum Filium, oſtendit S. Thomas dicta q. 45. ar. 4. ad noſtram inſtructionem. Quia cum adoptio Filiorum Dei ſit per quandam conformitatem imaginis ad Filium Dei naturalem, & hæc primò fiat per gratiam viæ, quæ eſt conformitas imperfecta: ſecundò per gloriam patriæ, quæ erit conformitas perfecta, ſecundùm illud 1. Joan. 3. v. 2. *Nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus: ſcimus, quoniam cum apparuerit ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Propterea quia gratiam per Baptiſmum conſequimur, in Transfiguratione autem præmonſtrata eſt claritas gloriæ: tam in Baptiſmo, quàm in Transfiguratione, conveniens fuit manifeſtari naturalem Chriſti filiationem teſtimonio Patris. Ita ex S. Thoma. Alia etiam ratione conveniens fuit, ut Pater in Transfiguratione declararet Chriſtum Filium ſuum naturalem, non ado-

adoptivum, ut ſcilicet ejùs excellentiam oſtenderet ſupra Moyſen & Heliam, qui tunc cum illo erant, quaſi diceret, ut notat Ambroſius lib. 1. de Fide cap. 12. *Non Moyſes filius, non Helias filius; ſed hic eſt Filius.* Moyſes & Helias ſunt quidem filii per adoptionem, ſed hic (Chriſtus) eſt Filius per naturam.

XVI. Addidit Pater æternus *Ipſum audite*, quo Chriſti doctrinam ſuo teſtimonio comprobavit, eamque non aliundè, ſed è ſuo hauſtam declaravit. Unde S. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. à v. 16., ait: *Non enim doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam voce delapſa ad eum hujuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; Ipſum audite. Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cùm eſſemus cum illo in Monte Sancto.* Ideò autem Æternus Pater hic addidit *Ipſum audite*, quod in Baptiſmo Chriſti non dixerat, quia inquit S. Thomas citato loco ad 3. *Chriſtus venerat gratiam actualiter dare, gloriam verò promittere verbo. Et ideò convenienter in Transfiguratione inducuntur homines, ut ipſum audiant, non autem in Baptiſmo*, quia in hoc gratia actu datur, in Transfiguratione autem gloria tantùm adumbratur & promittitur.

XVII. Oſtendit etiam S. Doctor citatus ad 2. *Quòd ſicut in Baptiſmo, ubi declaratum fuit myſterium primæ regenerationis, oſtenſa eſt operatio totius Trinitatis per hoc, quod fuit ibi Filius incarnatus, apparuit Spiritus Sanctus in ſpecie Columbæ, & Pater fuit ibi declaratus in voce: ita etiam in Transfiguratione, quæ eſt Sacramentum ſecundæ regenerationis, tota Trinitas apparuit, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus Sanctus in nube clara: quia ſicut in Baptiſmo dat innocentiam, quæ per ſimplicitatem Columbæ deſignatur: ita in reſurrectione dabit electis ſuis claritatem gloriæ & refrigerium ab omni malo, quæ deſignantur in nube lucida.* Audita autem Patris voce, conveniens fuit Diſcipulos terreri & proſterni; *ut oſtenderetur* (inquit S. Thomas ad 4.) *quòd excellentia illius gloriæ, quæ tunc demonſtrabatur, excedit omnem ſenſum & facultatem mortalium, ſecundùm illud Exodi 33.* non videbit me homo, & vivet: *Et hoc eſt, quod Hieronymus dicit ſuper Matth. cap. 17.* Audientes Diſcipuli ceciderunt &c. *Quòd* humana fragilitas conſpectum majoris gloriæ ferre non ſuſtinet: *Ab hac autem fragilitate ſanantur homines per Chriſtum, eos in gloriam adducendo, quod ſignificatur per hoc, quòd dixit eis* „ Surgite, nolite timere. „

CA-

CAPUT XXII.

De Chriſto Hieroſolymam ingrediente.

§. I.

Præcedentia ingreſſum.

I. INGRESSUM, quem Chriſtus Dominus triumphantis more Hieroſolymam fecit, hic breviter examinare intendo. Ante iſtum præmittit Matthæus cap. 21. v. 1. *Cum appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad Montem Oliveti, tunc Jeſus miſit duos Diſcipulos dicens eis: ite in Caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam & pullum cum ea: ſolvite & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos.*

Hinc ſtatim quatuor ſeſe objiciunt quæſita: primum, quando Chriſtus miſerit: ſecundum, unde miſerit: tertium, quò miſerit: quartum, quos diſcipulos aſinam & pullum quæſituros miſerit.

II. Primum quæſitum facilè ſolvitur, ſi legantur quæ dicit Joannes cap. 12. v. 1. *Ante ſex dies Paſcha venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitaverat Jeſus: fecerunt autem ei cœnam ibi.* Deinde narratâ Mariæ Magdalenæ pietate, quæ pedes Jeſu iterum unxit unguento, & exterſit capillis ſuis, & Judæ ſuper hoc quærelâ, quòd unguentum illud debuiſſet potiùs vendi, & pretium ejus ſpecie quidem dari pauperibus, ſed reverà in ſuos loculos mitti: narratâ inſuper conjuratione Principum Sacerdotum, ut Lazarum interficerent, quia propter illum multi credebant in Jeſum, ſubjungit v. 12. *In craſtinum autem turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cum audiſſent, quia venit Jeſus Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviam ei* &c. Ante ſextam ergo diem præcedentem Paſcha venit Jeſus Bethaniam, die ſexta fecerunt ei cœnam. In craſtinum autem, quod erat dies quinta ante Paſcha, & decima menſis Niſan, quæ anno illo in primam hebdomadæ diem (nobis Dominicam) inciderat, miſit Diſcipulos, qui adduxerunt pullum, & ipſe ſedens ſuper illum ingreſſus eſt Hieroſolymam. Ita interpretatur mentem Joannis cap. 12. Cornelius à Lapide his verbis: *Ante ſex Paſcha*,,. Ideſt ante ſex dies, qui præcedunt Pa-

„ Paſcha, puta feria ſexta, ſive die Veneris veſpere, Jeſus ex
„ Ephrem venit Bethaniam, inde ſequenti Sabbato fecerunt ei
„ convivium, ac poſtero die, puta Dominica Palmarum. Pa-
„ ſcha enim eo anno inciderat in feriam quintam, ſive in diem
„ Jovis proximæ hebdomadæ. Quare ſex dies Paſchæ præce-
„ dentes, ante quos Jeſus venit Bethaniam, hi ſunt: Sabbatum,
„ Dominica, feria prima, ſecunda, tertia, quarta. Venit ergo
„ (Bethaniam) feria ſexta, cum ſequentis hebdomadæ feria
„ ſexta eſſet crucifigendus. Non venit Sabbato, quia eo juxta
„ Legem non licebat iter agere, ſed quieſcendum„ Hæc Corne-
„ lius à Lapide.

III. Porrò, quòd quinta die ante Paſcha Chriſtus Hieroſolymam ingrederetur, & quidem decima menſis die, Myſterium fuit. Nam, ut habetur Exodi 12. v. 3., tali die Agnus in Paſchate immolandus in domum introducebatur: *Decima die menſis hujus* (Niſan ſeu Martii) *tollat unuſquiſque Agnum per familias & domos ſuas ..... Et ſervabitis eum uſque ad quartamdecimam diem menſis hujus: immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam*. Eadem ergo decima die, ante Paſcha quintâ, Chriſtus verus Agnus, ut figuram impleret, debuit Hieroſolymam, in Paſchate immolandus, pro hominum ſalute introduci. Aliud etiam hic Myſterium agnoſcimus, quòd ea ipſa decima die menſis Niſan, qua Chriſtus ingreſſus eſt Hieroſolymam, etiam Joſue, trajecto Jordane cum Populo Iſraelis univerſo, terram promiſſionis ingreſſus eſt, ut habetur Joſue 4. v. 10. Sic ergo Jeſus, ut ad cœleſtem promiſſionis patriam aditum nobis pararet, hac eadem die ingreſſus eſt Hieroſolymam.

IV. Alterum & tertium quæſitum, ſcilicet Undè miſerit, & Quò miſerit duos ex Diſcipulis ad quærendam aſinam & pullum, ſimul reſolvenda ſunt. Quidam Matthæum attendentes, qui cap. 21. dicit: *Cum veniſſent Bethphage ad montem Oliveti, tunc Jeſus miſit duos Diſcipulos dicens eis: ite in Caſtellum, quod contra vos eſt* &c. putant, ex Bethphage, quò jam pervenerat, miſiſſe Diſcipulos ad alium Vicum ſeu Caſtellum è regione poſitum inter Bethphage & Hieroſolymam. Alii veró Matthæum conferentes cum Luca, qui cap. 19. v. 29. dicit: *Cum appropinquaſſet ad Bethphage & Bethaniam, ad Montem, qui vocatur Oliveti, miſit duos è Diſcipulis ſuis, dicens: Ite in Caſtellum, quod contra eſt* &c. exiſtimant, Chriſtum, cùm hæc dixit, appropinquaſſe quidem Bethphage, ſed antequam Bethphage intraret, præmiſiſſe illuc Diſcipulos ad quærendum aſinam & pullum, & Caſtellum, quò eos miſit, in propinquo poſitum fuiſſe Bethphage. Itaque dicunt,

Chri-

Chriſtum relictâ Bethaniâ, ubi ſuperiori die, nempè Sabbati, cœnam ſumſerat, ex viciniis Bethphage quò advenerat, in ipſum Bethphage Diſcipulos miſiſſe, pullum & aſinam quæſituros. Quodque apud Matthæum legitur *Cùm veniſſent Bethphage*, non aliud ſonet, quàm *cùm veniſſent propè*, ſeu ad vicinia, & in proſpectu Bethphage, qui teſte Hieronymo in cap.21. Matth. erat vicus ſeu villula Sacerdotum ad radicem montis Oliveti ſita. Nam Bethania, unde Chriſtus mane diſceſſerat, ſtadiis quindecim, hoc eſt duobus quaſi milliaribus ab Jeruſalem diſtabat; Bethphage verò, uno dumtaxat milliario: nec inter Bethphage & Jeruſalem alius vicus ſeu Caſtellum deſcribitur. Quare huic expoſitioni ſtandum cenſeo. Unde Chriſtus dixit Diſcipulis: *Ite in Caſtellum, in quod introeuntes*, ſcilicet in ipſo introitu pagi, *invenietis pullum aſinæ* &c. Et *ſi quis aliquid vobis dixerit*: nempè *Quid facitis?* ut Marcus cap.11. v.3. vel *Quare ſolvitis*, ut Lucas cap.19. v.31. *Dicite quia Dominus*, non noſter vel veſter, ſed Dominus abſolutè omnium & jumentorum iſtorum & Dominorum eorum, & totius creaturæ, quæ ei ſervire debet, *his opus habet*, vel ut ait Lucas, *operam ejus deſiderat;* quibus non vult, vi tolli, ſed duplici argumento dominii & neceſſitatis perſuaderi, ut abduci ſinant: *Et confeſtim dimittet eos*. Quod factum eſt; unde ſequitur: *Adduxerunt Aſinam & pullum*.

V. Quartum, nimirùm Quinam fuerint duo Diſcipuli, quos miſit Dominus, ut aſinam & pullum adducerent; nullus Evangeliſta dicit. Fuiſſe Petrum & Joannem arguunt aliqui, eo quod Lucæ 22. v.8. hi duo legantur miſſi ad parandum Paſcha. Sed, quòd, qui miſſi poſtmodum fuerunt, ut pararent Paſcha, miſſi priùs iidem fuerint, ut adducerent aſinam & pullum, nullâ conſequentiâ probatur. Fuiſſe Petrum & Philippum autumant alii & aſſerunt auctoritatem Hilarii, qui in cap.21. Matth. volens per hos duos duas vocationes ſignificari, nimirùm ex Lege & ex Gentibus dicit: *Æquè per Philippum Samaria credidit, per Petrum autem Cornelius Chriſto tanquam primitiæ Gentium adductus eſt*. Et etiam Auctoris Oper. Imperf. in Matth. homil. 35. ob eandem rationem dicentis: *Quoniam ſi primum tranſgredientes Judaicos fines, Gentes adduxerunt ad Chriſtum: Philippus quidem Samariam, quam ipſam Samariam aſinam eſſe interpretatur. Petrus autem Gentes, accipiens Cornelium ex Gentibus, quaſi Samariæ pullum*. Quibus adjungunt Bedam: ſed iſta non tanti ponderis ſunt, ut certò nos movere poſſint.

Digitized by Google

§. II.

De Ingreſſu & Circumſtantiis ejus.

VI. ADductis per Diſcipulos juxta Chriſti mandatum Aſinâ & Pullo, dicit Evangeliſta Matth. cap.21. v.7. quòd *impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt*. Et hinc cœpit plaudentibus turbis, quæ præcedebant & ſequebantur, triumphali modo ingreſſus Chriſti Hieroſolymam. In hoc impleta ſunt vaticinia Iſaiæ 62. v.11., & Zachariæ 9. v.9. *Exulta ſatis, filia Sion: jubila, filia Jeruſalem: ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ.* Ubi S. Hieronymus: *Et aſcendens*, inquit, *ſuper aſinam ſubjugalem, ſive ſuper pullum novum, utrumque videlicet Populum Circumciſionis & Præputii, quorum prior graviſſimum Legis portaverat jugum.... Pullus autem novus Gentilium multitudo fræna non habens Legis, nec rectus ab aliquo* &c. Et in cap.21. Matth. dicit, factum hoc debere ad altiora tranſmitti: *ut aſina, quæ ſubjugalis fuit & edomita, & jugum Legis traxerat, Synagoga intelligatur; pullus aſinæ laſcivus & liber Gentium Populus, quibus ſederit Jeſus, miſſis ad eos duobus Diſcipulis ſuis, uno in Circumciſionem, & altero in Gentes.*

Ad illud deindè: *Et impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua* &c. ait, *Pullus iſte & aſina, quibus Apoſtoli ſternunt veſtimenta ſua, ut Jeſus molliùs ſedeat, ante adventum Salvatoris nudi erant, multiſque ſibi in eos dominatum vindicantibus, abſque operimento frigebant. Poſtquam verò ſuſcepere Apoſtolicas veſtes, pulchriores effecti, Dominum habuere ſeſſorem. Veſtis autem Apoſtolica vel doctrina virtutum vel ediſſertio Scripturarum intelligi poteſt, ſive Eccleſiaſticorum dogmatum varietates, quibus niſi anima inſtructa fuerit & ornata, ſeſſorem habere Dominum non meretur.* Hæc pulchrè quidem S. Hieronymus.

VII. Sed exurgit quæſtio non levis, an ſoli pullo inſederit Chriſtus, an pullo ſimul & aſinæ. Pullo enim inſediſſe, dubium non eſt. Imo ſolius pulli, cui inſederit, meminerunt Marcus cap.11. v.7. *Duxerunt Pullum ad Jeſum, & imponunt illi veſtimenta ſua, & ſedit ſuper eum.* Lucas cap. 19. v.35. *Jactantes veſtimenta ſua ſuper Pullum, impoſuerunt Jeſum.* Et Joannes c.12. v.14. *Invenit Jeſus Aſellum, & ſedit ſuper eum.* Solus Matthæus de Aſina & Pullo loco ſupra laudato apertè meminit v.7. *Et adduxerunt Aſinam & Pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta*

ſua, *& eum deſuper ſedere fecerunt*; imo Zacharias (cujus verba à Matthæo recitantur) cap. 9. v. 9., ait: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper Aſinam & Pullum filium ſubjugalis*. Nec veriſimile eſt dicere, Chriſtum nunc Pullo, nunc eo laſſato Aſinæ inſediſſe. Cùm enim Bethphage, à quo diſceſſit Chriſtus, uno tantum milliario Hieroſolymis diſtaret, quis credat, tam brevi ſpatio animal placido greſſu incedens defatigatum adeò fuiſse, ut oportuerit hac de cauſa à Chriſto commutari? Unde S. Hieronymus in Matth. loco ſupra laudato: *Nunc* inquit, *ſtringendum eſt breviter, quòd ſecundum litteram in parvo itineris ſpatio ſuper utrumque animal ſedere non quiverit. Aut enim ſedit aſinæ, & pullus abſque ſeſſore fuit, aut ſi pullo, quod magis competit, uſus eſt ad ſedendum, aſina ducta eſt libera*. Ita ergo probabile eſt accidiſſe, & ſic conciliantur Evangeliſtæ. Duxerunt Diſcipuli Aſinam ſimul & Pullum ad Chriſtum, quia pulli jumentorum placidiùs cum matre incedunt, & ægrè admodum ab ea divelluntur, & vix ſine ea duci patiuntur: & quia utrumque ſimul ſtantem invenerant, utrumque Diſcipuli ſuis veſtibus ornarunt. Uni tamen Pullo Chriſtus inſedit, eoque vectus, aſinâ phaleratâ filium inſequente, Hieroſolymam intravit.

Cur autem pullo potiùs, quàm aſinæ inſederit, ratio quærenda non eſt. Si myſticè loqui velimus; cùm per Aſinam jam domitam Synagoga fuerit ſignificata, per Pullum autem Gentes, dici fortè poſset, Chriſtum aſinâ relictâ pullo inſidere voluiſse, ut oſtenderet, ſe in pœnam ſuæ incredulitatis eam ſuâ gratiâ deſeruiſse, & ſolis figuris ac promiſſionibus tanquam phaleris exteriùs ornatam reliquiſſe, & gratiæ ſuæ ſeſſionem ad Gentes, ad quas miſſurus erat Apoſtolos, tranſtuliſſe, & ita, quæ tanquam mater præire debuiſſet filium, vacua Chriſto ſubſequeretur.

VIII. Ne tamen aliquis offendatur, quòd Chriſtus vili aſinino pullo vectus ſuum Regio more ingreſſum Hieroſolymam fecerit; miſsâ ejus humilitate, quâ in omnibus voluit fieri propter nos pauper & egenus, ideòque vili aſino emendicato non ſuo inſidere. Sciat, oportet, in pullo generis aſinini vectitari, haud ita ignobile apud Hebræos fuiſſe, ut ſicut apud nos ea animantia vilium dumtaxat perſonarum vectationi inſervirent. Nam etiam viri ditiſſimi ac Principes pullis aſinarum inſidere ſolebant. Quòd oſtendunt triginta filii Jair Judicis ac Principis Hebræorum Judicum cap. 10. v. 4. *Sedentes ſuper triginta pullos aſinarum*: & quadraginta filii Abdon Principis quoque ac Judicis Iſraelis Judicum 12. v. 14., ejuſdemque triginta nepotes *aſcendentes ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum*. Quamvis autem pro-

proceſſu temporis, maximè inito cum Ægyptiis commercio equorum copia & eorum uſus in Judæa frequens eſſe cœpiſſet; non uſque adeò tamen uſus aſinorum apud Judæos viluit, quin viri dignitate aliqua & præſertim ſacrâ conſpicui aſinis veherentur, ut Prophetæ. Cùm ergo ad Chriſti decus pertineret mediocri pompa uti, ac ſe Regem quidem in tali ingreſſu oſtendere, ſed non terrenum, ideò ei placuit aſinæ pullo, non generoſo equo inſidens, ſolemnem ſuum Hieroſolymam ingreſſum celebrare. Et ut per hoc etiam oſtenderet, in ſe Zachariæ prophetiam impletam eſſe, ut notant Evangeliſtæ.

IX. Solemnem hunc Chriſti ingreſſum Populi acclamatione celebratum fuiſſe, dicit S. Matthæus cap. 21. v. 8. *Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem, quæ præcedebant & ſequebantur, clamabant dicentes Hoſanna Filio David: benedictus, qui venit in Nomine Domini; Hoſanna in altiſſimis.* Hìc primò occurrit quærendum. An veſtimenta & arborum rami ſtrati fuerint humi, & in viam projecti, an in Tabernaculorum formam aptati, ad feſti Scenopegiæ ritum. Secundò, quarum arborum rami fuerint. Tertiò, quinam fuerit germanus ſenſus verborum, quibus turbæ Chriſto ingredienti acclamabant.

X. Quoad primum, ſcrupulum facit quibuſdam ex Proteſtantibus, quòd veſtimenta & arborum rami fuerint in terram projecti, ab hominibus tranſeuntibus & jumentis calcandi: ſic enim ambulationi & progreſſui impedimento fuiſſent. Unde ajunt, potiùs fuiſſe ad modum Tabernaculorum, ut in Scenopegiæ feſto compoſitos & aptatos. Sed ſcrupulum iſtum non habuit Matthæus, qui dixit *veſtimenta, ramos de arboribus ſternebant in via*: cui conſentiunt ejuſdem Matthæi verſiones Syriaca & Perſica; Syriaca quidem dicens: *Multitudo turbarum ſternebat pallia ſua in via, alii verò cædebant ramos ex arboribus, & projiciebant in via*; Perſica verò: *Turba hominum plurima veſtimenta ſua ſtraverunt, ut ſuper illa tranſiret. Alii verò ramos ex arbore olivæ ſuccidebant, & in via projiciebant*, & Lucas ipſe c. 19. v. 36. *Eunte autem illo, ſubſternebant veſtimenta ſua in via*. Sternere autem, ſubſternere veſtimenta in via, ut ſuper ea tranſiret, projicere ramos in via, non eſt veſtes ac ramos per viam appendere ad modum Tabernaculi hinc inde diſpoſitos, ſed in via pedibus conterendos per modùm ſtrati tranſeunti dejicere. Hoc, ut obſervat Grotius in hunc Matth. locum, moris erat etiam apud Ethnicos: unde de Catone Uticenſi ait Plutarchus: *Deductus fuit cum lacrymis & indefeſſis amplexibus, multis etiam veſti-*

menta ſubſternentibus, quâ pedibus erat inceſſurus. Quid ergo mirum, ſi hoc ipſum obſequio ac pietate ductæ turbæ erga Chriſtum præſtiterunt? Ita quoque intellexerunt Patres. Neque hoc impedimento poterat eſſe, quia veſtimenta Chriſto tranſeunti ſubſternebant quidem, ſed eo elapſo ſubtrahebant. Ramos etiam in via projiciebant, ſed non eſt exiſtimandum, in tanta quantitate projeciſſe, ut impedirent tranſeuntes, cùm ad honorem hoc facerent, quemadmodum etiam apud nos in quibuſdam ſolemnitatibus pavimentum frondibus ſpargi conſuevit.

XI. Quoad ſecundum, nimirùm quarum arborum rami ad triumphi hujus lætitiam præciſi fuerint, ſilent quidem Matthæus & Marcus; ſolum dicentes, quód *cædebant ramos de arboribus*: ſed Joannes cap.12. v.13. id expreſſit dicens: *Acceperunt ramos palmarum*: & Verſio Perſica habet ramos ex *arbore olivæ ſuccidebant*; & ritus Eccleſiæ hoc confirmat, quæ quotannis celebrans hunc Chriſti ingreſſum, vocat diem celebritatis hujus *Dominicam Palmarum*, & ramos palmarum & olivarum Fidelibus in memoriam diſtribuit. Hoc ex eo etiam colligitur, quòd Palmis Palæſtina abundaret: unde S. Cyrillus Hieroſ. Catecheſ. 10. dicit, arborem palmæ, ex qua pueri ramos tulerunt, & venienti Chriſto ſubſtraverunt, ſuo etiam tempore vividam extitiſſe. Cùmque via, quâ Chriſtus incedebat, utpotè Montis Oliveti, eſſet hinc inde Olivis referta, fit ut ex palmis & olivis ramos abſcinderent, quibus Chriſto Turbæ occurrerent. Accedit etiam myſtica ſignificatio; quia palmæ ramus victoriæ ſymbolum eſt, & in publicis lætitiæ cæremoniis, veluti cùm victor aliquis in urbem excipiebatur, palmæ ipſi præferebantur: & 1.Machab.13. v.51., nec non 2. Mach.10. v.7. habetur quòd purgatis ab abominationibus arce Hieroſolymitanâ & Templo, ramos palmarum in lætitiæ ſignum ei, qui loca mundaverat, præferebant. Oliva etiam ſymbolum pacis eſt; quare in ſignum Dei poſt Diluvium placati, Columba ad Arcam reverſa detulit ramum virentis olivæ, Geneſ. 8. verſ. 11. Congruebat igitur, ut Chriſto triumphatori Regi pacifico cum ramis palmarum & olivarum Turbæ occurrerent.

XII. Quoad tertium de Acclamationibus, quibus Chriſto ingredienti plaudebant, difficultas eſt de illa voce *Hoſanna Filio David*, *Hoſanna in altiſſimis*, quam repetebant. Turbæ ergo Chriſto occurrentes clamabant, laudantes ſcilicet Deum præ lætitia, & hoc, ut dicit Lucas cap.19. v.37., propter multas virtutes & miracula, quæ viderant ab eo facta, & præcipuè propter ſuſcitationem Lazari. Clamabant ergo *Hoſanna Filio David*.

Digitized by Google

vid. De hac voce, ut notat Janſenius in Tetrateucho, multæ Auctorum Interpretationes ſunt. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 5. dicit ſignificare *Lucem Laudem* & *Gloriam*, Hilarius *Redemtionem*. Quidam apud Theophylactum *Hymnum*, apud Juſtinum q. 50. *Excellentem magnificentiam*. Auguſtinus Tract. 51. in Joann. ſcribit, ex Hebræo eſſe vocem obſecrantis, quæ magis animi affectum indicat, quàm rem aliquam ſignificet, quaſi eſſet interjectio, vel delectantis vel admirantis, ſicut vox *Racha* affectum indignantis exprimit.

XIII. Verùm S. Hieronymus, quo nemo ex Patribus Hebraicæ linguæ peritior, in cap. 21. Matth., & Epiſt. 145. ad Damaſum (modò tom. 4. poſt Comment. in Matth.) notat, quòd vox *Hoſanna*, ſeu *Hoſianna* eſt compoſita ex *Hoſi*, quod eſt *Salva* & *Anna* ſeu *Na*, quod eſt *Quæſo* ſeu *obſecro*: unde Hoſannà idem eſt, ac *Salva, quæſo*. Sicut nos habemus quaſdam interjectiones, *ut inſultando dicamus*. Vah, *& in admirando*, Papæ? *& in dolendo*, Heu; *& quando ſilentium volumus imponere, ſtrictis dentibus ſpiritum coarctamus & agimus tantùm ſibilum inſonando*, Sith: *Ita Hebræi inter reliquas proprietates linguæ ſuæ, habent interjectionem, ut quando volunt Dominum deprecari, ponant verbum petentis affectu, & dicant* Anna Domine, *quòd Septuaginta dixerunt* ò Domine. Oſi *ergo* Salvifica *interpretatur*; Anna, *interjectio deprecantis eſt. Si ex duobus his verbis velis compoſitum verbum facere, dices* Oſianna, *ſive, ut nos loquimur* Hoſanna, *mediâ vocali litterâ eliſâ*. Hæc in prælaudata Epiſtola Hieronymus.

Qui ſubindè notat, quòd hæc precandi formula *Hoſanna*, ſeu *Salva, quæſo*, Græcè, *O Domine*, familiariſſima erat Hebræis, & creberrimè in Synagogis legebatur in Pſalmo 117. *O Domine ſalvum me fac., ò Domine benè proſperare, benedictus qui venit in nomine Domini*. Quia enim credebant, verba hæc referri ad Meſſiam repromiſſum, ideò omnibus vel etiam pueris nota erant, & ab ipſis frequentabautur. Unde fit, quòd cùm Chriſto ingrediente Hieroſolymam, omnes, etiam pueri, ut notat Matthæus cap. 21. v. 15., conclamarent *Hoſanna Filio David*, eum Divino inſtinctu moti Meſſiam promiſſum prædicabant. Obſervat propterea Janſenius præcitatus, ex Antiquis Hebræorum Libris, & uſu ipſo hodierno conſtare, quòd *Hoſanna* fuerit ſolemnis acclamandi & benè precandi formula adeò uſitata in feſto Tabernaculorum, ut etiam ipſi ſalicum rami, quos manibus ferebant, à Vulgo non intelligente linguam Hebraicam, eodem nomine *Hoſanna* appellarentur, Helia Thesbi teſtante.

Et

Et hinc eſt, quòd in precibus Judæorum hodiernis, quæ quaſi Litaniæ ſunt ex nominibus & beneficiis Dei conflatæ, vox illa *Hoſanna* ſexcenties ad ſingula penè nomina & beneficia repetatur, ſicut apud nos, *Te rogamus audi nos*, *Miſerere nobis*, *Libera nos* &c.

Notat etiam idem Janſenius, quòd illa vox *Hoſanna* ſeu *Salva, quæſo*, uſurpata à Populo & à Diſcipulis, fuit vox exultantium & benè precantium Chriſto, quaſi dicerent *Salva, quæſo, Regem noſtrum*, ſeu *benè ei proſperare*, ut ex Pſal. 117. ſimiliter ac ſi Rege adveniente dicat Populus *Vivat Rex*, *Proſpera, quæſo*, Regem, unde addebant: *Benedictus, qui venit in Nomine Domini*, ideſt, qui venit miſſus non à ſe, ſed à Domino: & clamabant *Hoſanna Filio David*, apprecantes ſalutem Filio David. Hoc acclamationum more fuiſſe olim exceptos & conſalutatos à Populo etiam Epiſcopos, teſtis eſt Auguſtinus Epiſt. 110., modò 213., in qua referens, quæ geſta fuerant in deſignando Eraclio, qui ſibi jam ſeni in Epiſcopatu ſuccederet, & interim in parte curarum adjumento eſſet, refert, quòd cùm Populo hujus rei notitiam perferens diceret: *Presbyterum Eraclium mihi ſucceſſorem volo*, *a Populo acclamatum eſt* Deo gratias, Chriſto laudes *dictum eſt vicies terties*. Exaudi Chriſte, Auguſtino vita, *dictum eſt ſexies decies*. Te Patrem te Epiſcopum, *dictum eſt octies*: & ſimilibus repetitis acclamationibus tota illa Epiſtola plena eſt.

XIV. Hiſce igitur plauſibus comitatus Chriſtus more triumphantis Hieroſolymam ingreſſus eſt, cujus triumphi exitum ita Matthæus enarrat cap. 21. v. 10. *Et cùm intraſſet Hieroſolymam, commota eſt univerſa Civitas, dicens: Quis eſt hic? Populi autem ajebant: Hic eſt Jeſus Propheta à Nazareth Galilææ. Et intravit Jeſus in Templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in Templo, & menſas nummulariorum & cathedras vendentium columbas evertit*. Huc plauſus & acclamationes deſiere. Videns Jeſum tantâ pompâ ingredientem, *Commota eſt univerſa Civitas*, ideſt Hieroſolymitani Cives, & maximè Sacerdotes, novitate ſcilicet ſpectaculi attoniti. Ex quo colligitur, quòd qui clamabant & plaudebant, ferè omnes erant exteri & advenæ, ideſt, ut ait Joannes cap. 12. v. 12. *Turba multa, quæ venerat ad diem Feſtum*; dicens: *Quis eſt hic?* Quaſi ex tot ſignis in ea Urbe patratis, antea quis eſſet, non noviſſent. Quæ verba livorem & invidiam ſapere videntur, quaſi eum tanto indignum honore judicarent: Populus ſimplex & candidus reſpondet: *Hic eſt Jeſus Propheta*, ideſt, inquit Hieron. hic, *quem & Moyſes ſimi-*

Digitized by Google

ſimilem ſui dixerat (Deuterou. 18. v.15.) *eſſe venturum*, *& qui propriè apud Græcos cum articulo ſcribitur*. Scribit Adricomius, Jeſum intraſſe Hieroſolymam per Portam dictam *Auream*, quæ cùm ſemper ſtaret clauſa, ad ejus adventum prodigiosè aperta eſt: ſed quo fundamento hoc prodigium aſſerat, neſcitur, cùm potiùs Hieroſolymam à Monte Oliveti & Valle Joſaph ingredientibus hæc una porta adeſſet, & ideò ſemper aperta.

XV. Controvertitur inter Interpretes, an Jeſus Hieroſolymam ingreſſus ſtatim ejecerit vendentes & ementes de Templo, ut videtur dicere Matthæus, an verò die ſequenti, ut dicit Marcus cap.11. v.11. Conveniunt quidem ambo Evangeliſtæ, quòd Chriſtus poſt ingreſſum Hieroſolymam bis intraverit in Templum, ſemel quidem ſtatim poſt ingreſſum, & iterum ſequenti die, ſed diſsentiunt: quia Matthæus aſserit in primo ingreſsu ejeciſse de Templo vendentes &c. Marcus verò aſserit, hoc eveniſse in ingreſsu ſecundæ diei. Quis autem hiſtoriæ ordinem ſervet, controvertitur. S. Auguſtinus lib. 2. de Conſ. Evangeliſt. cap.68. favet Matthæo; ubi enim retulit ordinem narrationis utriuſque, concludit: *Sed quia Matthæus ita connectit*,, Et relictis illis abiit foras extra Civitatem in Bethaniam,, *Unde mane revertentem in Civitatem arbori maledixiſſe commemorat; probabiliùs creditur ipſe potiùs tenuiſſe ordinem temporis de vendentibus & ementibus ejectis de Templo. Cùm enim dicit*,, & relictis illis abiit foras,, *quibus relictis intelligi poterit, niſi cum quibus ſuperiùs loquebatur, indignantibus, quòd pueri clamarent* Hoſanna Filio David? *Prætermiſit ergo Marcus, quod primo die factum eſt, cùm intravit in Templum, & recordatum interpoſuit, cum dixiſſet, quòd non invenerit aliquid in ficulnea præter folia, quod ſecundo die factum eſt, ſicut ambo teſtantur*. Nec diſsentire videtur Hieronymus in cap.21. Matth.

XVI. Alii verò, præſertim ex Recentioribus, ſentiunt, ordinem temporis à Marco potiùs ſumendum eſse, ac ejectionem vendentium & ementium de Templo, non primæ, ſed ſecundæ diei conſignandam eſse; nec verentur aſserere, lapſum eſse ſentire oppoſitum, quaſi ſentire cum Auguſtino labi ſit. Ordo autem Marci cap.11. v.11. hic eſt: *Et introivit Hieroſolymam in Templum: & circumſpectis omnibus, cùm jam veſpera eſſet hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. Et alia die cum exirent à Bethania, eſuriit..... Et veniunt Hieroſolymam: & cum introiſſet in Templum cœpit ejicere vendentes & ementes in Templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit*. Hæc Marcus: cui autem adhærendum ſit, meo Lectori permitto,

dum-

dummodo pro Matthæo cùm Auguſtino ſentire veluti lapſum non damnet.

XVII. Ingreſsus ergo Jeſus Hieroſolymam triumphali pompa, ſtatim perrexit, non in Arcem Sion, quaſi Regem ſeculi ageret, ſed in Templum Dei, ad cujus gloriam venerat promovendam, cùmque illud vidiſset humanis commerciis profanari, zelo Dei accenſus inde ejecit profanatores. Nota tamen, negotiatores iſtos non fuiſse in Templo, ſed in atrio Templi, & rursùs cum duplex eſset atrium, unum extremum, quod vocabatur profanum, & atrium Gentium, quod Gentilibus & Immundis orationis cauſa patebat; aliud pro Iſraelitis, ubi erat porticus dicta Salomonis; & aliud ipſi Templo proximum, ſolis Sacerdotibus pervium, ubi erat Altare, de quibus Joſephus lib.15. Antiquit. cap. ultimo, & lib. de Bello Judaico cap.6. ex priori atrio, nempè extremo, ejecit Dominus ementes ac vendentes, quamvis ibi nec venderentur nec emerentur niſi hoſtiæ aliaque ad ſacrificia neceſsaria, quæ olim in Urbe vendebantur ac emebantur.

XVIII. Hujus abuſus originem & progreſsum acri ſtylo refert ac perſtringit Hieronymus in cap.21. Matth., quem audire non pigeat, cùm ejus zelus etiam ad Eccleſiæ abuſus, ſi qui ſunt, tollendos extendatur. Cùm ergo de cunctis penè regionibus Judæorum Populus ad Templum maximè in Feſtis diebus confluerent, unde innumerabiles ferè hoſtiæ taurorum, arietum, hircorum, & à pauperibus pulli columbarum & turturum offerri debebant; & plerumque accideret, ut qui de longè venerant, non haberent victimas: *Excogitaverunt*, inquit, *Sacerdotes, quomodo prædam de Populo facerent, & omnia animalia, quibus opus erat ad ſacrificia, vendebant, ut & venderent non habentibus, & ipſi rursùm emta ſuſciperent. Hanc ſtropham* (verſutiam) *eorum crebra venientium inopia diſſipabat, qui indigebant ſumtibus, & non ſolùm hoſtias non habebant, ſed ne unde emerent quidem aves & vilia munuſcula. Poſuerunt itaque &* nummularios, *qui mutuam ſub cautione darent pecuniam. Sed quia erat Lege præceptum, ut nemo uſuras acciperet, & prodeſſe non poterat pecunia fœnerata, quæ commodi nihil haberet, & interdum ſortem perderet, excogitaverunt & aliam techuam, ut pro nummulariis* Collybiſtas *facerent, cujus verbi proprietatem latina lingua non exprimit.* Collyba *dicuntur apud eos, quæ nos appellamus* Tragemata, *vel vilia munuſcula, verbi gratia frixi ciceris, uvarumque paſſarum, & pomorum diverſi generis. Igitur quia uſuras accipere non poterant* Collybiſtæ, *qui pecuniam fœnerati erant, pro uſuris accipiebant varias*

ſpe-

ſpecies: ut quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent, quæ nummis coemuntur, quaſi non hoc ipſum Ezechiel prædicaverit, dicens,, Uſuram & ſuperabundantiam non accipietis,,(c.22.v.12.) *Iſtiuſmodi Dominus cernens in domo Patris negotiationem ſeu latrocinium, ardore ſpiritus concitatus, juxta quod ſcriptum eſt in ſexageſimo octavo Pſalmo*(v.10.),, Zelus domus tuæ comedit me,, *fecit ſibi flagellum de funiculis, & tantam hominum multitudinem ejecit de Templo, dicens*,, Scriptum eſt: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum,, *Latro enim eſt, & Templum Dei in latronum convertit ſpecum, qui lucra de Religione ſectatur, cultuſque ejus non tam cultus Dei, quàm negotiationis occaſio eſt*. Hæc Hieronymus. Sed attendenda ſunt, quæ ſequuntur.

XIX. *Hoc juxtà hiſtoriam: ceterùm ſecundùm myſticos intellectus, quotidie Jeſus ingreditur Templum Patris, & ejicit omnes tam Epiſcopos Presbyteros & Diaconos, quàm Laicos & univerſam turbam de Eccleſia ſua, & unius criminis habet vendentes pariter & ementes, ſcriptum eſt enim* (Matth.10. v.8.),, Gratis accepiſtis, gratis date,, *; menſas quoque nummulariorum ſubvertit. Obſerva, propter avaritiam Sacerdotum, altaria Dei menſas nummulariorum appellari; Cathedraſque vendentium columbas evertit; qui vendunt gratiam Spiritus Sancti, & omnia faciunt, ut ſubjectos populos devorent, de quibus dicitur* (Pſal.13. v.4.),, Qui devorant populum meum ſicut eſcam panis,,. *Juxta ſimplicem intelligentiam Columbæ non erant in Cathedris, ſed in caveis: niſi fortè columbarum inſtitores ſedebant in Cathedris; quod penitùs abſurdum eſt: quia in Cathedris Magiſtrorum magis dignitas indicatur, quæ ad nihilum redigitur, cùm mixta fuerit lucris. Quod de Eccleſiis diximus, unuſquiſque de ſe intelligat; dicit enim Apoſtolus*,, Vos eſtis Templum Dei, & Spiritus Sanctus habitat in vobis,, (1. Cor. 3. v.16.) *Non ſit in domo pectoris noſtri negotiatio; non ementium vendentiumque commercia, non donorum cupiditas; ne ingrediatur Jeſus iratus & rigidus, & non aliter mundet Templum ſuum, niſi flagello adhibito: ut de ſpelunca latronum, & de domo negotiationis, domum faciat orationis*. Hæc ſi Lector ſeriò recogitet, comperiet, me non inutiliter eum in Hieronymo detinuiſſe.

XX. Tanti autem facit idem Hieronymus hoc Chriſti geſtum ejicientis tantam multitudinem de Templo, quin aliquis ei ſe ſe oppoſuerit, ut ibidem ſubjungat: *Plerique arbitrantur, maximum eſſe ſignorum, quòd Lazarus ſuſcitatus eſt, quòd cæcus ex utero lumen acceperit, quòd ad Jordanem vox audita ſit Patris*,

quòd transfiguratus in monte gloriam oſtenderit triumphantis; mihi inter omnia ſigna, quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe; quòd unus homo, & illo tempore contemtibili, & in tantum vilis, ut poſtea crucifigeretur, Scribis & Phariſæis contra ſe ſævientibus & videntibus lucra deſtrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, menſaſque ſubvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus. Igneum enim quiddam & ſidereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis majeſtas lucebat in facie.

CAPUT XXIII.

De ultimæ Cœnæ Celebratione.

§. I.

Chriſtus legale Paſcha celebravit.

I. DE hoc egi in Theologia Scholaſtico-dogmatica tom. 3. 3. p. Tract. de Euchariſtia qu. 1. dub. 4., ubi §. 1. oſtendi diem, qua Judæi celebrare debebant Paſcha. §. 2. Diem, quâ Chriſtus ſuum ultimum Paſcha, in qua Euchariſtiam inſtituit, & Cœnam celebravit. §. 3. Græcos impugnavi. §. 4. contraria fundamenta evertere curavi: Item dub. 5. oſtendi valere Conſecrationem ſive in azymo ſive in fermentato. Quæ cùm inutile foret repetere, ideò ibi dicta ad præſens trahemus, aliqua etiam adjungentes. Primò ergo ſtatuendum eſt, Chriſtum eo anno, quo mortuus eſt, Judæorum Paſcha celebraſse, nec ſuum tantùm, nempè Euchariſticum inſtituiſse. Deinde de die, qua eo anno tum Chriſtus tum Judæi Cœnam Paſchalem celebrarunt, ſermo erit. Ut à primo exordiar.

II. Volunt aliqui Recentiores, Chriſtum eo anno, quo paſſus & mortuus eſt, Cœnam Paſchalem non comediſſe, ſed ſolùm Cœnam Euchariſticam inſtituiſſe in primis veſperis Lunæ ſeu diei decimæ quartæ, & Cruci affixum fuiſſe lunâ decimâ quartâ ad ſecundas veſperas inclinante, quâ horâ debebat ſecundùm Legem Agnus Paſchalis immolari, ut ſic figura impleretur. Ita præter alios cenſet P. Lamy in ſua Concordia Evangelica. Supponit enim, anno Æræ Chriſtianæ trigeſimo tertio, ſeu ætatis Chriſti trigeſimo ſeptimo, cui conſignat Chriſti mortem, diem decimam quartam primi menſis cœpiſſe juxta calculum aſtronomicum feria quinta, ſeu die Jovis ad veſperam. Cùm igitur Chri-

Chriſtus in Crucem actus fuerit die ſequenti ſeu Veneris juxta perantiquam Eccleſiæ Traditionem, ſequitur Chriſtum mortuum fuiſſe in fine, ſeu in ſecundis veſperis diei decimæ quartæ, quando Agnus Paſchalis immolari, ac ſubinde comedi debebat, & propterea morte præventum Paſcha legale peragere non potuiſſe.

III. Hæc opinio præter novitatem, quæ ſola eam reddere poteſt ſuſpectam, contraria eſt tribus Evangeliſtis Matthæo cap.26., Marco cap.14., & maximè Lucæ c.22. v.7., qui dicit: *Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. Et miſit Petrum & Joannem dicens, euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus.... Euntes autem invenerunt ſicut dixit illis, & paraverunt Paſcha. Et cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo: & ait illis: deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.* Si ergo quando Jeſus miſit Diſcipulos ad parandum Paſcha jam venerat dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, ideſt Agnus Paſchalis; cùm, ut conſtans eſt, dies Azymorum inciperet, & Agnus mactaretur non in primis ſed in ſecundis veſperis diei decimæ quartæ; & inſuper cùm Evangeliſta ſtatim ſubjungat, quòd Diſcipuli paraverunt, & factâ horâ, nempè poſt occaſum ſolis ejuſdem diei, exhibeat nobis Chriſtum cum Diſcipulis diſcumbentem, clarum eſt, eum nec miſiſſe Diſcipulos die præcedente, nempè in primis veſperis, ſed in ſecundis, quibus Paſcha immolabatur, & conſequenter diſcumbendo cum illis Agnum Paſchalem comediſſe, nec ſolam Euchariſticam Cœnam feciſſe. Comedit enim id, quòd paratum invenerat à Diſcipulis, & ab eo, apud quem diverterat: hi autem de Cœna Euchariſtica nihil conſcii Cœnam utique Paſchalem Agni paraverant.

IV. Nec valet dicere, Chriſtum jubendo parari Paſcha intellexiſſe Sacram Euchariſtiam, non Paſcha legale, quod præſciebat ſe morte præventum non celebraturum, & hoc indicant illa ejus verba: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Nam ultra jam dicta, quæro: An Chriſtus, qui miſit Diſcipulos, ut dicerent ei, apud quem Cœnam paraturi erant: *Ubi eſt refectio mea, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem?* Paſcha celebraverit apud eum, cujus domum indicaverat, nec ne? Si primum: ergo Chriſtus comedit Paſcha, quod ille homo ei paraverat: paraverat autem Agnum more Hebraico. Si verò ſecundùm; ergo Chriſtus vana ſpe illum ac Diſcipulos ludificavit, ac promiſſis non ſtetit. Rursùs non inficiabor, Chriſtum Paſchatis, quod deſiderabat, nomine, Euchariſtiam, quam inſti-

ſtituere in illa Cœna decreverat, indicare etiam voluiſſe, ſed etiam voluiſſe indicare Cœnam Paſchalem, quam parandam præceperat, nemo puto negabit, quam propterea ſe deſideraſſe dicit, & quia ultima erat, quam cum Diſcipulis celebrabat, & quia in ea decreverat eis relinquere in Sacroſancta Euchariſtia æternum ſui amoris pignus, ſuum nempè Corpus & Sanguinem.

V. Præterea aſſerere, Chriſtum ultimam Cœnam, in qua Euchariſtiam iuſtituit, celebraſſe exeunte die decima tertia primi menſis, eſt dare arma Græcis volentibus, ut infra dicetur, Chriſtum Euchariſtiam inſtituiſſe in fermentato, non in azymo: nam azymis non incipiebant uti Judæi, niſi in veſpere decimæ quartæ diei, à qua incipiebant dies azymorum, & in qua ſecundùm Legem Paſcha immolabant. Hinc, ut advertit Graveſon Diſsert. 19., Patres diſputantes contra Quartadecimanos (ſic dictos, quia volebant Chriſtianos perinde ac Judæos Paſcha celebrare debere die decima quarta, in quamcumque hebdomadæ diem incideret, eò quòd ſuum Paſcha Chriſtus ea die celebraſset) nunquam negarunt, Chriſtum celebraſse ſuum Paſcha die quartadecima primi menſis, nec Victor Papa contra Aſiaticos agens, nec Nicænum I., à quo Quartadecimani damnati ſunt. Signum ergo eſt, Patres illos pro comperto habuiſse, Chriſtum ultimam Cœnam, in qua Euchariſtiam inſtituit, non decima tertia, ſed decima quarta die exeunte habuiſse.

VI. Tertiò, ſi Chriſtus eo anno morte præventus Agnum Paſchalem comedere non potuit, Apoſtoli eo anno, quo Chriſtus mortuus eſt, Agnum Paſchalem non comederunt: Credibile enim non eſt, die decimaquarta, qua deſinente Chriſtum mortuum ſuppouit hæc opinio, & qua Agnus Paſchalis à Judæis comedebatur, Apoſtolos, furenti Judæorum rabie hùc illùcque diſperſos, potuiſse in unum locum ſimul convenire ad edendum Agnum Paſchalem, vel in ſocietatem Judæorum Paſchalem Cœnam peregiſse. Apoſtoli ergo eo anno Legem de celebrando Paſchate violaſsent, pœnamque incurriſsent latam Numer. 9. verſ. 13. *Si quis autem mundus eſt, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phaſe, exterminabitur anima illa de populis ſuis, & quia ſacrificium Domino non obtulit tempore ſuo, peccatum ſuum ipſe portabit.*

VII. Quartò ejuſmodi ſyſtema repugnat publicæ Eccleſiæ profeſſioni, quæ ſemper credididit, ea nocte duplicem à Chriſto Cœnam, vel ſi mavis duplicem ejuſdem Cœnæ partem, ſolâ interjectâ pedum lotione (Joann. 13.) peractam fuiſ-

fuiſſe. Unde in Sacris Officiis S. Thomæ Hymnum adoptavit.

In ſuprema nocte Cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Obſervata lege plenè
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.
Et rursùm
Noctis recolitur Cœna noviſſima
Qua Chriſtus creditur Agnum & Azyma
Dediſſe fratribus, juxta legitima
Priſcis indulta Patribus
Poſt Agnum typicum, expletis epulis
Corpus Dominicum datum Diſcipulis:
Sic totum omnibus quod totum ſingulis,
Ejus fatemur manibus.

Quod confirmavit in Conc. Tridentino ſeſſ. 22. cap. 1. his verbis: *Chriſtus in Cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo Filiorum Iſrael immolabat, novum inſtituit Paſcha*. Unde Photius ipſe Cod. 116. relata quorumdam opinione, qui Chriſtum eo quo mortuus eſt anno Paſcha Judaicum omnino prætermiſiſſe dicebant, illudque ſolum celebraſſe, quod ipſe inſtituit, novum videlicet pro veteri, contendebant, Eccleſiæ Catholicæ ſententiam eis opponens: *Eccleſia*, inquit, *docet, tunc Chriſtum legitimum Paſcha perfeciſſe, antequam myſticam inſtitueret Cœnam*. Adeòque firma eſt in Catholica Eccleſia hæc ſententia, ut Suarez in 3. p. S. Thom. q. 50. ar. 6. ſect. 3. oppoſitam ut hæreticam pronuntiet his verbis: *Statuendam primò eſt, Chriſtum Dominum ante paſſionem ſuam legalem Cœnam cum Diſcipulis celebraſſe, Agnumque Paſchalem ritu Judaico immolaſſe & comediſſe. Quæ res tam aperta eſt in Evangeliſtis, ut mirum ſit non defuiſſe hoc tempore Hæreticos, qui eam negarent .... Hæc ſententia eſt planè hæretica*. Quamvìs autem, priuſquam cenſurâ adeò gravi eam inuram, expectare velim judicium Eccleſiæ ita decernentis; ſciendum tamen, quòd cùm quidam Hieronymus Vecchiettus eam libello edito promulgaſſet, ſeverum Quæſitorum Fidei judicium auctor ſubiit; fuit in carceres & vincula conjectus, tanquam qui *contra Sacrarum Litterarum Fidem, contra Eccleſiæ univerſæ auctoritatem, contra Sanctorum Patrum doctrinam locutus fuiſſet*. De hoc legi poteſt Janus Nicius Erythræus Hi-

Hiſtor. narrat. parte 1., Pinacothecæ Vir. Illuſtr. pag. 196.

VIII. Et quidem Eccleſiæ Catholicæ mentem fuiſſe ſemper, quòd Chriſtus eo ultimo anno Legale Paſcha comederit, teſtantur Patres, Origenes Tract.35., Chryſoſtomus Homil.82. (modò 81.) in Matth. dicens: *Cur autem Paſcha* (Chriſtus) *celebravit? Ut in omnibus oſtenderet, ſe ad ultimum uſque vitæ ſuæ diem non Legis adverſarium fuiſſe*. Optima ſanè ratio. Qui enim ab initio voluit circumcidi, & in progreſſu omnia legalia ſervare voluit, in extremo vitæ Paſcha Legale noluit omittere. Hieronymus in cap.26. Matth. v.26. *Poſtquam*, inquit, *typicum Paſcha fuerat impletum, & Agni carnes cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paſchæ transgreditur Sacramentum*. S. Epiphanius hæreſ. 30. contra Ebionitas, ſeu veriùs Encratitas, ex hoc facto Chriſti Agnum Paſchalem comedentis, probat licitum eſſe carnium eſum his verbis: *Quomodo de eſu carnium non ſtatim ipſorum dementia redarguetur? Primum quidem Domino edente Paſcha Judæorum; Paſcha autem Judæorum Agnus erat & Azyma, hoc eſt panes non fermentati, & edebantur carnes agninæ aſſatæ; velut etiam Diſcipuli ejus dicunt: Ubi vis, ut paremus tibi, ut edas Paſcha? Rursùs autem ipſe Dominus ait: Deſiderio deſideravi hoc Paſcha comedere vobiſcum. Et non dicit ſimpliciter Paſcha, ſed hoc Paſcha, ut ne quis ad ſuam rapiat opinionem; Paſcha autem erat, velut dixi, carnes aſſatæ igne*.

IX. Videntes Adverſarii, ſe ceteros Patres habere contrarios, in ſui patrocinium trahere conantur S. Auguſtinum, qui Tract.120. in Joan. dicit, acceleratam fuiſſe Chriſti ſepulturam propter *Cœnam puram*, quam in nocte Paraſceve facturi erant: & rursùs alibi dicit: *Chriſtum non feciſſe ſeu comediſſe Paſcha, ſed fuiſſe*.

Sed verè invitum trahunt Auguſtinum. Nam Cœna illa pura facienda in Paraſceve (ut loco ex 3. p. ſupra citato dixi) non erat Cœna Paſchalis; hanc enim præcedente veſpere fecerant, ſed erat Cœna, quam veſtimentis cibis corporibus & animis omnino puri, propter Sabbatum imminens, celebrare debebant, de qua Irenæus lib.4. cap.14. aliàs 10. Minùs autem eis favet alio loco Auguſtinus. Nam ibi non loquitur de Paſchate Judæorum, de quo nos hic, ſed de Paſchate noſtro ſcilicet Chriſtianorum, hoc enim Chriſtus non comedit, ſed ipſe fuit, cùm in Cruce fuit immolatus: unde Paulus 1. Cor. 5. v.7. *Paſcha*, inquit, *noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Et idem Auguſtinus Tract.55. dicit, quòd cùm nomen *Paſcha* ab aliquibus interpre-

pretatur *Paſſio*, ab Hebræis verò & Latinis *Tranſitus*, utroque modo Chriſtus eſt Paſcha: & quia immolatus pro nobis, & quia per ipſum à captivitate Mundi hujus & Diaboli tranſitum facimus ad æternum Regnum ab ipſo nobis promiſſum. Ceterùm ſi quis velit ex Auguſtino diſcere Cœnam Paſchalem, quam ipſe fecit, non quæ ipſe fuit, eum in ſequentibus legat, ubi deſcribit Chriſtum ſurgentem à Cœna, ut pedes Diſcipulorum lavet, & iterùm recumbentem & dantem panem proditori: ait enim: *Non ita debemus intelligere Cœnam factam, veluti eam conſummatam atque tranſactam: adhuc enim cœnabatur, cùm Dominus ſurrexit & pedes lavit Diſcipulis ſuis. Nam poſtea recubuit, & buccellam ſuo traditori poſtea dedit, utique Cœna nondum finita, hoc eſt, dum adhuc panis eſſet in menſa.* Quæ autem fuit illa prior pars Cœnæ, niſi Cœna Legalis, in qua Agnum Paſchalem comederat; quid pars poſterior ejuſdem Cœnæ, in qua panem porrexit traditori, niſi Cœna Euchariſtica?

Quia verò oppoſitæ ſententiæ Auctores non alia de cauſa factum eſse putant, ut Judaicum Paſcha Chriſtus omitteret anno illo, quàm quia eum non in Paſchate ipſo, ſed in Paſchatis pervigilio Cœnam celebraſse exiſtimant; quo tempore, cùm nondum illi Judaici Paſchatis celebrandi obligatio incumberet, illo omiſſo, ſuum tantùm inſtituit. Ideò hoc fundamentum inane eſse ſequentibus oſtendam.

§. II.

Chriſtus Cœnam Paſchalem non antevertit.

X. Ex his, qui Chriſtum ultimum legale Paſcha celebraſse admittunt, aliqui volunt, ipſum eo anno illud anticipaſse ac celebraſse, non die decimaquarta in ſecundis veſperis, ſed die decimatertia exeunte, & eadem die Euchariſtiam inſtituiſse. Qua die cùm nondum eſsent Azyma in domibus Hebræorum, volunt, eum non in Azymo, ſed in fermentato Euchariſtiam inſtituiſse. Ita Græci, qui proinde hoc Chriſti exemplo putant, Euchariſtiam non in Azymo, ſed in Fermentato pane conficiendam eſse. Contra eos oppoſitum ſtatuimus citato tom.3. in 3.p. Tract. de Euch. q.2. dub.4. §.3., quibus aliqua addemus.

XI. Prætermitto igitur, quòd, ut ibi dixi, tres Evangeliſtæ Matthæus Marcus & Lucas dicunt, Chriſtum Paſcha celebraſse prima die Azymorum, quæ à ſecundis veſperis diei decimæ

Digitized by Google

mæ quartæ, in quibus Paſcha immolabatur, exordium ſumebat, non verò die decima tertia exeunte, in qua nec dies Azymorum inchoabatur, nec victima Agni poterat immolari.

Nec dicant, hoc ſe colligere ex Evangeliſta Joanne cap. 13. v. 1., qui alios tres præfatos explicans dicit: *Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Jeſus, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc Mundo ad Patrem, cùm dilexiſſet eos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. Et Cœna facta* &c. Si ergo Cœnam fecit ante diem feſtum Paſchæ, Paſcha celebravit ante diem decimam quartam, quæ Paſchæ dies erat, & in qua Judæi Agnum immolatum comedebant, ſed ante, & ideò diem prævenit. Quod magis confirmare ſe putant ex eodem Joanne c. 18. v. 28., ubi dicit, quòd Judæi dum adducerent Jeſum à Caipha in prætorium, *ipſi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*. Nondum ergo Judæi Paſcha manducaverant, quando Chriſtum in Prætorium adduxerunt. Cùmque illud jam manducaſſet Chriſtus, ſignum eſt, quòd illud antevertit.

XII. Mirum eſt, quòd Aſiatici, qui volebant, Paſcha à Chriſtianis lunâ quartadecimâ quacumque die incideret, celebrandum eſſe, & hoc ſe à Joanne Evangeliſta edoctos eſſe aſſerebant, quia hac die Chriſtus Paſcha comederat, *Quartadecimani*, & non potiùs *Tertiadecimani*, dicti ſint, ſi juxta Joannem, non Lunâ quartadecimâ, ſed tertiadecimâ, Chriſtus Paſcha celebraſſet. Et mirum inſuper, quòd Victor Papa, & alii, ipſumque Concilium Nicænum I., hunc eorum lapſum non detexerint, eoſque non monuerint, Chriſtum ex Joannis doctrina non quartadecimâ, ſed tertiadecimâ lunâ Paſcha ſuum celebraſſe.

XIII. Quare repetendum eſt, quòd loco citato dixi, Joannem dicendo *Ante diem feſtum Paſchæ* benè concordare cum aliis tribus Evangeliſtis dicentibus: *Prima die Azymorum*; nempè apud Judæos olim, ſicut nunc apud Chriſtianos, alios fuiſſe dies legales, ſeu ſacros celebrandis ſolemnitatibus ſtatutos, qui à veſpera ad veſperam, uti nunc in Eccleſia Catholica, ducebantur: unde Levitici 23. v. 32. *A veſpera ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra*. Alios naturales à media nocte ad aliam mediam noctem percurrentes. Artificiales alios, ab aurora ad auroram. In unoquoque die duplex pars, nocturna & diurna diſtinguebatur. Nocturna in quatuor vigilias à ſolis occaſu ad ſolis ortum dividebatur, quarum quælibet tres horas regulariter complectebatur. Pars diurna in quatuor horas diſtribuebatur. Primam, tertiam, ſextam & nonam, quarum quælibet ternis etiam horis coaleſcebat. Prima ab ortu ſolis inchoabat, & per

& per tres ſequentes horas durabat; quibus finitis ſuccedebat Tertia, quæ per tres horas uſque ad meridiem continuabat; inde à meridie ſexta hora incipiens ad alias tres horas perdurabat. Demum Nona incipiens, uſque ad occaſum ſolis alias tres horas complectebatur. Inde vigiliæ noctis ſumebant exordium. Quia veró pro varia anni tempeſtate dies ac noctes modò breviores, modò longiores ſunt, in hyeme noctes longiores & dies breviores, in æſtate autem è converſo; ideò in hyeme vigiliarum horæ longiores erant, diurnæ arctiores, in æſtate verò diurnæ horæ longiores erant, arctiores nocturnæ, numquam numero plures vel pauciores cenſebantur. His ex Serry aliiſque prænotatis;

Solvitur nodus, quo tenentur Græci, & conciliatur Joannes cum aliis Evangeliſtis, dicendo, quòd Chriſtus Cœnam Paſchalem egit juxta Joannem *Ante diem feſtum Paſchæ*, ſumendo *diem* naturalem à media nocte incipientem: *Ante diem* pariter artificialem Paſchæ ab aurora initium habentem, & proinde nòn dicit: *Ante diem Paſchæ*, ſed ante *Diem Feſtum* Paſchæ, qui erat prima dies Azymorum, immolationi & eſui Agni ſuccedens. Ceteri autem tres Evangeliſtæ de die legali & ſacro, qui à veſpere diei præcedentis ſumebat exordium. Ita reſpondet etiam S. Thomas 3.p.q.46. ar.9. ad 1.: unde ſenſus Joannis eſt: *Ante diem feſtum Paſchæ*, ideſt die quartadecima menſis primi ad veſperam, antequàm ſolemnis Paſchæ dies illuxiſſet, quæ erat quintadecima menſis, de qua Levit.3. v.5., & Numer. 28. v.6. *Menſe primo quartadecima die menſis ad veſperam Paſcha Domini eſt, & quintadecima die menſis hujus ſolemnitas Azymorum Domini eſt*. Pridie ergo hujus ſolemnitatis, ideſt die 14. ad veſperam, Cœnam legalem Chriſtus habuit. Pridie, inquam, ſumendo diem pro die naturali vel artificiali, ſicut eam ſumit Lucas cap.23. v.54. *Et dies erat Paraſceves & Sabbatum illuceſcebat*: Et Marcus cap.15. v.42. *Et cum jam ſerò eſſet factum, qui erat Paraſceve, quod eſt ante Sabbatum, venit Joſeph*. Cùm tamen illud *ſerò* legaliter non eſset ampliùs Paraſceve, ſed initium Sabbati.

XIV. Nec etiam obeſt, quod ex eodem Joanne cap. 18. affertur, quòd Judæi non introierint in Prætorium, ne contaminarentur: *Sed ut manducarent Paſcha*. Nam manducare *Paſcha*, juxta phraſim Scripturæ, non ſtat pro ſola manducatione Agni Paſchalis, ſed etiam pro aliis cibis immolatis, quibus, ſeptem illis diebus Paſchalibus, bobus & ovibus, mundi ac puri animo & corpore veſci debebant, de quibus Deuter. 16. v.2. dici-

tur: *Immolabiſque Phaſe* (ideſt Paſcha) *Domino Deo tuo de ovibus & de bobus*; pro Cœna autem Paſchali ſolus Agnus immolabatur: *Cur autem* (inquit S. Auguſtinus Tract.114. in Joann.) *non introierunt in Prætorium? exponens cauſam*, Ut non contaminarentur (*inquit*) ſed ut manducarent Paſcha: *Dies enim agere cœperant Azymorum, quibus diebus contaminatio illis erat in alienigenæ habitaculum intrare*. Ita ſentit etiam S. Thomas 3.p.q.46. ar.9. ad 1., afferens etiam S. Joann. Chryſoſtomum, qui hom.82. in Matth. dicit: *Quòd Paſcha poteſt accipi pro toto feſto Judæorum, quod ſeptem diebus agebatur*.

XV. Mirandum tamen eſt, quòd Joſephus Scaliger & Ludovicus Capellus, aliique Recentiores auſi ſint aſſerere, reliquas dierum illorum victimas, quibus Judæi toto illo ſeptiduo veſcebantur, nuſquam in Sacris Litteris *Paſchatis* nomine appellari. Nam ut ſupra oſtendi ex Deuteron. c.16.v.2., ubi loquens de cibis, quos comedere debebant immolatos ſeptem diebus Azymorum, nempè ovibus & bobus, vocat eos *Phaſe*. Quòd ſi Verſio noſtra Vulgata apud eos non tantæ auctoritatis eſt, ut eos moveat, legant Textum Hebraïcum, ſic v.2. & 5. ejuſdem capitis dicentem: *Paſcha Domino Deo tuo ovem & bovem in loco, quem elegerit Dominus ad habitare faciendum nomen ſuum ibi. Non comedes ſuper eo fermentatum: ſeptem diebus comedes ſuper eo infermentatum, panem afflictionis*. Legant Hebræo-Samaritanum: *Sanctificabis autem Paſcha Domino Deo tuo, oves & boves, in loco, quem elegit Dominus Deus tuus, ut habitaret ibi nomen ejus. Non comedetis cum eo fermentum: ſeptem diebus cum eo Azyma panem afflictionis*. Syriacum item: *Macta igitur Paſcha Domino Deo tuo ex ovibus & ex bobus* &c. *Ne comedas cum eo fermentatum: ſed ſeptem diebus comede cum eo Azymum, panem humilem*. Demum Verſionem Septuaginta Interpretum: *Immolabis Paſcha Domino Deo tuo oves & boves in loco* &c. *Non comedes fermentatum ſuper illud: ſeptem diebus comedes ſuper illud Azyma panem afflictionis*. Et hoc idem in ſua ex Hebræo Verſione reperient Proteſtantes: *Mactabis Paſcha Domino Deo tuo oves & boves*. Id ergo *cum quo*, & *ſuper quod* per ſeptiduum comedendi panes Azymi præcipiuntur, *Paſcha* in omnibus Scripturæ Textibus & Verſionibus appellatur. At per ſeptiduum panes azymi cum victimis de bobus & ovibus comeduntur, non cum Agno Paſchali, qui ſola prima Azymorum veſpera, ſeu nocte totus erat comedendus, & ſi quid ſupererat, ante auroram igne conſumendum erat Exodi 12. v.10. Ergo victimæ de bobus & ovibus toto illo ſeptiduo comedendæ *Paſcha* quoque eo loco à Moyſe vocantur. Et ideò meritò à Joan-

à Joanne dicitur *Judæi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*; quin ex hoc inferatur, eos Agnum Paſchalem nondum comediſſe. Quamvis enim Pacha primo loco ab immolatione Agni diceretur, ad alias tamen victimas, quæ per ſequens ſeptiduum immolabantur, extendebatur, eo modo quo apud nos Paſchæ nomen primò quidem diei Reſurrectionis convenit, attamen ad alios ſeptem dies, ſeu totam octavam extenditur.

XVI. Sed probandum eſt, Chriſtum nec voluiſſe nec debuiſſe antevertere diem ſtatutam pro celebratione Paſchatis. Non voluiſſe, colligo; quia Apoſtoli non pridie, ſed ipſa prima die Azymorum acceſſerunt ad Jeſum dicentes Matth. 26. *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Si autem Chriſtus præſcius, ſe occidendum illa ipſa prima die Azymorum, qua ex Lege Paſcha debebat celebrare, voluiſset illud uno die antevertere, Apoſtolos præmonuiſſet, ut die præcedente præpararent, vel accedentes ad ipſum prima die Azymorum repuliſſet, dicens, ipſi non ſupereſſe tempus Paſcha comedendi, quia illa die erat occidendus. Imo nec potuiſſent Diſcipuli hoc ab illo petere; nam ſuppoſito quòd eadem die, qua Agnus Paſchalis comedebatur, ipſe eſſet cruci agendus, nec ad ipſum accedere potuiſsent, quia nocte præcedente captus, ea die ad tribunalia militibus ſtipatus rapiebatur.

Nec debuiſſe oſtendo. Quare enim debuiſſet Chriſtus eo anno diem celebrationis Paſchæ antevertere? An quia cognoverat, ſe ſtata die eam celebrare non poſſe, quia occidendus ea die? At ubi præceptum præveniendi celebrationem Paſchatis ab eo, qui præſcit, ſe ſtatutâ die celebrare non poſse? Aderat quidem Lex Num. 9. v. 10., ut ſi quis impeditus immunditia aliqua legali, vel longè diſtans à Gente ſua, non poſset primo menſe Paſcha celebrare, celebrare illud teneretur menſe ſecundo; at nullibi invenitur Lex, quæ præcipiat, ut qui præſcit ſe moriturum die Paſchatis, antecedenti die illud celebret.

Rursùs quæro. Cùm Apoſtoli, ut ex Evangelio, ſimul cum Chriſto Paſcha comederint; hoc ne ritè fecerunt, antevertentes cum eo diem præſcriptum, an non? Certè non ritè; quia nullam habebant præcognitionem, ſe die ſequenti morituros, ut de facto non ſunt mortui, ideòque abſque ulla ratione Paſcha anteverterunt, & conſequenter non ritè: ſicque Chriſtus induxiſset illos ad rem malam, quia contra Legem; quod non eſt cogitandum. Adde ſcandalum, quod paſſi fuiſsent Apoſtoli neſcientes, quòd Chriſto inſtaret mors ſequenti die, & viden-

tes, eum Paſchatis celebrationem antevertere, quod in Lege vetitum erat. Scandalum paſſi fuiſſent Judæi, ſi illud ſciviſſent, & facilè poterant ſcire, & hoc ei objeciſſent, qui leviora crimina, quæ ei poſſent objicere, ſibi fingebant. Scandalum paſſus fuiſſet Dominus domûs, ad quem Chriſtus Diſcipulos miſit, ut in domo ejus Paſcha pararet, imo nec ita facilè permiſiſſet.

Tandem Agnus Paſchalis, quem in propriis domibus comedere Judæi debebant, occidendus erat in Templo, nec comedi omnino poterat, niſi ſanguis ejus ad Altare à Sacerdotibus ſpargeretur, & adeps ipſius combureretur, ut legitur Exod. 12., & Deuteron. 16. v. 5. Si ergo Chriſtus Paſchatis celebrationem antevertit: aut Agnum non immolatum comedit, & ſic Legem violavit, imo nec Paſcha verè celebravit; aut Sacerdotes in gratiam Chriſti illum ante tempus immolarunt; quod credibile non eſt. Sacerdotes enim ſummo odio in Chriſtum accenſi contra Legem facere noluiſſent, imo hanc ejus inſtantiam crimini ei vertiſſent, & in materiam ipſum de hoc accuſandi tranſtuliſſent. Minùs ergo culpandi ſunt, qui, ut ſupra, contendunt, Chriſtum eo anno legale Paſcha omiſiſſe, quàm Græci putantes, illud antevertiſſe. Ab eorum rationibus ſolvendis abſtineo: eas enim ſolutas in præcit. Tomo 3. in 3. p. q. 1. de Euch. dub. 4. §. 4. Lector inveniet.

XVII. Hoc unùm contra Græcos oſtendam, nimirùm hanc, quam confingunt in Chriſto, Paſchatis anticipationem nihil juvare eorum intentum, quòd propterea non in Azymo, ſed in fermentato Cœnam legalem & Euchariſticam confecerit. Quod ſic probo. Nam ſi Chriſtus mortis ſuæ præſcius Paſchalem Cœnam antevertiſſet, pari quoque ratione Azymorum comeſtionem anticipaſſet, nam hæc Paſchalis ritus magna pars erat, nec niſi cum panibus azymis Agnus Paſchalis comedendus erat. Liquet hoc claro exemplo. Si enim cuique contingeret, vel quia immundus eſſet, vel quia in itinere procul à Gente ſua, Paſchatis celebrationem in menſem alterum differre, in menſem quoque alterum Azymorum comeſtionem differebat, ut nonniſi cum Azymis Paſcha comederet. Verba Legis aperta ſunt Numer. 9. v. 10. *Homo qui fuerit immundus ſuper anima, ſive in via procul in Gente veſtra, faciat Phaſe Domino in menſe ſecundo quartadecima die menſis ad veſperam: cùm azymis & lactucis agreſtibus comedent illud.* Sicut ergo qui differebat Paſcha, debebat illud comedere cum Azymis: ita ſi Chriſtus diem Paſchatis præveniſſet, Azymorum quoque uſum & comeſtionem præ-

ve-

Digitized by Google

veniſſet, quia Paſchalis Agnus nonniſi cum Azymis comedi poterat: cùmque poſt Cœnam legalem Euchariſticam inſtituerit, eam in azymo non in fermentato inſtituit. Unde hæc conficta anticipatio Modernorum Græcorum intentum nihil juvat.

§. III.

Judæi Paſcha legale non diſtulerunt.

XVIII. Aliqui volunt, Chriſtum quidem die quartadecima ad Veſperam legale Paſcha comediſſe, ſed Judæos ad diem 15. ſequentem diſtuliſſe. Et hoc accidiſſe quidam dicunt, quia Lege Synedrii ſeu ſtatuto Majorum ſancitum erat, ne duo feſta ſibi invicem immediatè ſuccederent ac celebrarentur. Cùm enim feſtis diebus Judæi parare cibos, ſepelire mortuos, aut alia opera, etſi non multum laborioſa exercere non poſſent, grave nimis fuiſſet Populo in regione tam calida duobus diebus continuis à dictis operibus abſtinere. Idcirco eo anno, quo Chriſtus mortuus eſt, quia dies primus Azymorum, qui erat dies feſtus, incidebat in feriam ſextam immediatè præcedentem feſtum Sabbati; ne duo feſta conjungerentur, feriâ ſextâ celebrarunt Paſcha, & Chriſtum, qui veſpere præcedente illud celebraverat, Cruci affixerunt, ac primam diem Azymorum Sabbato celebrarunt. Nec ſine Divino numine hoc factum eſſe putant, ut qua die typicus Agnus immolabatur ex Lege Moſaica, verus Agnus à Judæis immolaretur, atque ita typo Veritas optimè reſponderet.

XIX. Sed, ut obſervat inter ceteros Serry Exercit. 51., commentitium apparet dictum decretum & commentitia ratio decreti. Decretum inquam commentitium, cum in Talmud *Maſſuthet ſacca* cap. 5. ſermo fiat *de Solemnitatibus Sabbato conjunctis, ſive antecedant ſive ſubſequantur, omnino celebrandis*. Imo anno 1718. conſtat, Pentecoſten Sabbato conjunctam diſtincta die, ut planè duobus continuis diebus feriati ſint, celebraſſe. Commentitia quoque allata decreti ratio eſt. Nam & in magnis ſolemnitatibus, ac ipſa etiam prima Paſchatis die cibos ad eſum parare Judæis licet, Exodi 12. v. 16. *Dies prima* (Azymorum) *erit ſancta atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent*. Et mortuos etiam ſepelire ad veſperam nil vetat, ubi in diem alteram ſepultura differri nequit: ut quotidiano experimento eſt comprobatum. Unicum feſtum Sabbati excipiebatur.

XX. Ve-

XX. Verùm demus, Judæos modò in Kalendariis ſuis ita Novilunia ſeu Neomenias diſponere, ut feſti dies numquam cum Sabbato continui ſint, atque ut hoc vitent incommodum, Canones quoſdam habeant de ſuis feſtis, quos accuratè obſervant, qualis eſt ille de Paſchate: *Numquam Badu Paſcha*, ideſt Paſcha nunquam incidat in ſecundam, quartam, aut ſextam feriam, ſeu in dies Lunæ, Mercurii, Veneris hac voce *Badu* ſignificatas: certum tamen eſt (notat P. Graveſon Diſſert. 19.) illos Canones, quibus moderni Judæi utuntur, fuiſſe penitùs ignotos tempore Paſſionis Chriſti. Id ex libris Talmudicis longè poſt paſſionem Chriſti conſcriptis, Viri Eruditi demonſtrant, ubi paſſim memorantur feſta, quæ Sabbato continua ſunt, ut ſupra indicavi; & etiam ex teſtimonio Aben Ezra Rabbini peritiſſimi aſſerentis in cap. 23. Levit. tàm ex *Miſna*, quàm ex *Talmude* probari, Paſcha in ſecundam quartam & ſextam feriam plerumque incidiſſe. Quod & demonſtrat Bartholocius in Biblioth. Rabbinica ex *Miſna* & *Gemara*. Id etiam demonſtrat Joſephus lib. 13. Antiquit. cap. 16. his verbis: teſtis eſt nobis Nicolaus Damaſcenus ſic ſcribens: *Antiochus erecto trophæo ad Lycum fluvium, ubi Indatem Parthorum ducem profligaverat, hæſit ibi per biduum ad preces Hircani Judæi, quòd in id tempus fortè quædam Judæorum feſtivitas incurrerat, per quam non licebat eis iter facere. Et verum eſt, quod ille ſcripſit. Nam Pentecoſte inſtabat poſt Sabbatum, quo tempore noſtris iter facere nefas habetur*. Eo ergo tempore, ideſt ante Chriſtum duo feſta duobus continuis diebus celebrabantur, nempè Sabbatum & Pentecoſtes. Sed quid plura? Quartadecimani poſt Chriſtum, quibus Religio erat iiſdem diebus Paſcha celebrare, quibus Judæi, illud celebrabant quacumque die, nullâ exceptâ, incidiſſet, ut teſtantur Euſebius lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 23., Epiphanius hæreſ. 50., Auguſt. lib. de hæreſ. cap. 29., Philaſtrius in hæreſi de Feſto Paſchatis, Theodoritus lib. 3. Hæret. Fabul. & alii. Novum ergo eſt hoc aſſertum decretum de differenda Celebratione Paſchatis in diem ſequentem, ne Paſchale Feſtum Sabbato continuum eſſet: ac proinde impedire non poterat, quin eo anno, quo mortuus eſt Chriſtus, Judæi quartadecimâ lunâ, etſi duo feſta continua ſuccederent, nempè prima dies Azymorum & Sabbatum Paſcha celebrarent.

At hoc etiam confirmare debent Adverſarii. Poſito enim eorum Syſtemate, quòd Judæi eo anno primam diem Azymorum tranſtulerint in Sabbatum, ne duo feſta ſibi continua eſſent, non vident, ſe impingere in eundem ſcopulum? Sanè ſi prima dies Azymorum celebretur die Sabbati, fit, ut ſeptima dies, quæ

non

non minus ſolemnis eſt, quàm prima, incidere debeat in diem Veneris, ſeu ſextam feriam ſequentis hebdomadæ. An ergo etiam ſeptimam diem transferent ad Sabbatum, & ſic non ſeptem ſolùm, ut Lex præſcribit, ſed octo dies Azymorum celebrabunt? Nonne vident, ſe incidere in Scyllam, dum ſe evitare putant Carybdim.

XXI. Inſurgunt etiam alia ſupra recenſita incommoda. Dicunt, quòd licèt Judæi eo anno ob rationes dictas Paſcha ad diem decimam quintam diſtulerint, Chriſtus tamen cum ſuis die decimaquarta illud ad veſperam celebravit. Ergo illo anno Agnus Paſchalis, qui alibi quàm in Templo immolari non poterat, & quidem eadem die ad veſperam, qua manducabatur, ſolum die decimaquinta ad veſperam immolatus fuit. Iſta namque Agni mactatio debebat publicè in Templo fieri, conſentientibus Sacerdotibus, omnique populo, neque à privato homine anticipari poterat. Chriſtus ergo, qui cum ſuis die præcedente Agnum Paſchalem comederat, Agnum non immolatum comediſſet, ac ſic Legem violaſſet. Inſuper cùm hoc ſecretò non fecerit, miſerat enim Diſcipulos ad parandum Paſcha in domo aliena, dato etiam quòd Dominus conſenſerit, hoc certè adeò latere non potuit, quin ad aliquorum notitiam (maximè cum non pauci geſtarum Chriſti eſſent exploratores) deveniret, cum maximo eorum ſcandalo, & aliorum, qui reſciviſſent. Ideòque incredibile eſt, quòd Chriſtum ac ſuos de hoc non accuſaſſet. Tanta enim erat apud Judæos in obſervandis iis, quæ circa Neomeniam ſtatuerat Synedrium, ut Maimonides in Tract. *Kedduſch, Hak Kodeſch*, ſeu de Conſecr. Menſis cap. 2. num. 10. dicat: *Cum domus Judicii*, ſeu Sanhedrin, *Neomeniam conſecravit ſive erret, aut in errorem incidat, illa tamen eſt conſecrata; nec quiſquam eſt, qui non teneatur feſta obſervare, ſecundùm illam diem, licèt errorem noverit*. Magnum ergo piaculum Chriſto fuiſſet, ſi ſe in Celebratione Paſchatis decreto Synedrii non conformaſſet, quamvis illud in hoc errare dignoſceret, ac ſubinde invidiam præſertim Phariſæorum non evaſiſſet.

XXII. Quod autem dicitur, hac via, cùm Chriſtus fuerit in Cruce immolatus eadem die, qua Judæi Agnum Paſchalem mactabant, optimè ſalvari, quòd figuratum reſponderit Figuræ & Veritas typo; nec multum urget, nec omnino verum eſt. Non urget, quia conſonantia veritatis cum typo eſt quidem neceſſaria quoad rem, ſed non quoad omnes rei circumſtantias, alioquin purus typus non eſſet. Neque verum omnino eſt. Nam Chriſtus in crucem actus fuit, & non in Templo; Agnus

jugulabatur, & quidem in Templo: Chriſtus horâ ſextâ in Crucem actus eſt, nonâ autem mortuus: ſicque ad diei clauſulam, qua Agnus edendus fuiſſet, tres adhuc horæ ſupererant: rectiùs ergo in noſtro Syſtemate veritas typo reſpondet, quo ipſo Paſchatis die Chriſtus ponitur Crucifixus peracta primis in Veſperis Agni legali comeſtione. Vide S. Thomam 3.p. q.46. ar.9. ad 1.

XXIII. Aliud excogitavit Syſtema P. Harduinus, quo apparentem antilogiam inter Joannem & alios tres Evangeliſtas circa ultimum Chriſti Paſcha tollere ſe putat; ſupponit enim Galilæos & Iſraelitas ſeorſim à Judæis Paſcha Hieroſolymis celebrare conſueviſſe, ut aliud eſset Paſcha Galilæorum & Iſraelitarum, aliud Paſcha Judæorum. Quo ſuppoſito dicit, quòd Chriſtus Dominus, cùm in Galilæa nutritus & educatus eſset, anno quo mortuus eſt, peregit Hieroſolymis unà cum Diſcipulis ſuis, qui pariter Galilæi erant, Paſcha die integra ante Paſcha Judæorum. Hac via, inquit Harduinus, conciliantur tres Evangeliſtæ cum Joanne. Cùm enim duplex eſset Agnorum mactatio, quæ Paſcha dicitur, una pro Galilæis & Iſraelitis die præcedente, altera pro Judæis die ſequente: ideò tres priores Evangeliſtæ Matthæus Marcus & Lucas, dum dicunt, Chriſtum prima die Azymorum miſiſse Petrum & Joannem, ut pararent Paſcha, loquuntur de priori Paſchate, nempè Galilæorum & Iſraelitarum, quod eo anno integra die præceſſit Paſcha Judæorum. Quando verò S. Joannes dicit, quòd dies, qua Chriſtus mortuus eſt, fuit Paraſceve Paſchæ, deſignare voluit illud Paſcha, quod Judæi eo anno peregerunt Chriſto mortuo, & poſt Paſcha Galilæorum & Iſraelitarum. Ita Harduinus.

XXIV. Ingenioſum ſanè inventum. Sed optandum foret, ne primus ipſe ſine ullo documento Scripturæ & Patrum, in lucem edidiſſet. Unde hauſit duplex hoc Paſcha unum Galilæorum, alterum Judæorum: unum priùs celebratum, alterum poſteriùs? Ex Scriptura non certè: hæc enim de uno tantùm Paſchate luna 14. primi menſis celebrando, nullâ factâ diſtinctione inter Galilæos & Judæos, ubique meminit: de hoc etiam apud Patres altum ſilentium invenitur. Inveriſimile etiam eſt, quòd Chriſtus, qui ex Tribu Juda & ſtirpe David oriundus erat, voluerit cum Galilæis potiùs quàm cum Judæis Paſcha celebrare. Minus fundamentum habet quod aſserit, nempè, quòd ne Judæi eadem die, qua Galilæi Paſcha celebrarent, ſancitum eſſet, ut ſi Paſcha in feriam ſecundam quartam vel ſextam, quæ hac voce *Badu* deſignantur, incideret, tunc priùs Galilæi, poſtridie Judæi illud celebrarent. Si verò in ceteras quatuor ferias

rias, nempè primam tertiam quintam & ſeptimam incideret, tunc Judæi illis feriis Paſcha peragerent, Galilæi verò ac Iſraelitæ poſtero die. Hæc Harduinus: at ex quo fonte hoc hauſit, quo probatæ fidei teſtimonio illud munit? Joſephus Hebræus patriâ Hieroſolymitanus, & proinde non Galilæus aut Iſraelita, ſed Judæus, de hac diſtinctione in celebrando Paſcha nec verbum facit: imo lib. 3. Antiquit. cap. 10. expreſsè dicit, quòd *Lunâ quartadecimâ* primi menſis, qui Niſan dicitur, *Sacrificium, quod tunc exeuntes* (ex Ægypto) *feciſſe diximus, Paſcha nominatum, quotannis inſtaurare Lege jubemur*. Eadem ergo dies apud omnes Hebræos ſtata Lege in celebrando Paſchate ſervabatur. Quare illa diſtinctio dierum pro Galilæis ac Judæis fictitia reputanda eſt.

XXV. Volunt alii, Judæos diſtuliſſe eo anno Paſcha, ut in Chriſtum liberiùs poſſent deſævire, ac judicium in illum exercere: quia, ut eſt apud R. Moyſen Maimonidem Lib. *Hilkot Sanhedrin* cap. 11., *Judices rerum capitalium non judicant in die Paraſceve Sabbati, aut die feſto*. Sed hoc perperam dicitur: quamquam enim ſecundùm Leges & conſuetudines ſuas Judæi ipſo Paſchatis die feſto judicare non poſſent; quod tamen factum attinet, ipſa Evangelica hiſtoria ſatis oſtendit, in judicio de Chriſti capite ferendo, nihil minus curæ eis fuiſſe, quàm ut ritè & ſecundùm jura judicium fieret: nam etiam juxta *Maſſechet Sanhedrin* cap. 4. *Judæi judicia capitalia tranſigunt interdiu, & finiunt interdiu*; & tamen totam noctem in Chriſto capitaliter judicando inſumſere. Eum profunda nocte captum ad Annam & Caipham deduxere; nec niſi orto jam ſole ad Pilatum traxere. Dicebant quidem Matth. 26. v. 5. Principes Sacerdotum & Seniores *Non in die feſto*; at hoc non ſcrupulo violandæ Legis dicebant, ſed timore tumultus in Populo: *Ne fortè tumultus fieret in Populo*. Certè in ipſo Encæniorum feſto Jo. 8. Chriſtum lapidibus obruere conati ſunt, nihil tanti feſti ſolemnitate eos remorante. Quid ergo mirum, ſi oblata demum occaſione, & Chriſto à Juda proditore in manus eorum tradito poſt Paſchalem Cœnam, ideſt Feſto jam inchoato, ne Populus ex eorum manibus, ut timebant, eum raperet, non obſtante Feſto, judicio præcipiti eum morti tradiderunt?

XXVI. Claudam ergo cum S. Thoma 3. p. q. 46. ar. 9. ad 1., ubi ait: *Quidam dicunt, quòd Chriſtus die convenienti, ideſt quartadecima luna, Paſcha cum Diſcipulis ſuis manducavit*: demonſtrans, quòd uſque ad ultimum diem non erat contrarius Legi, *ut Chryſoſtomus dicit ſuper Matth.* Hom. 82. *Sed Judæi occupati* cir-

Digitized by Google

circa procurationem mortis Chriſti, contra Legem celebrationem Paſchæ in craſtinum diſtulerant .... Sed nec iſtud videtur eſſe conſonum verbis Matthæi dicentis ,, primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant,,. *Simul ergo Chriſtus & Judæi vetus Paſcha celebraverunt; & ſicut Beda dicit ſuper Marcum* (cap.43. juxta ejus ordinem) licèt Chriſtus, qui eſt Paſcha noſtrum, ſit crucifixus ſequenti die, *hoc eſt quinta decimâ lunâ*; tamen nocte, qua Agnus immolabatur, corporis ſanguiniſque ſui Diſcipulis tradens myſteria celebranda, & à Judæis tentus ac ligatus, ipſius immolationis, hoc eſt paſſionis ſuæ, ſacravit exordium. Quibus apparet, eadem die immolationis Agni cœpiſſe immolationem Chriſti, etſi ſolùm ſequenti die fuerit conſummata.

§. IV.

Locus Cœnæ, & Commenſales.

XXVII. DE Loco, ad quem miſit Dominus Diſcipulos, ut pararent Cœnam, quis fuerit, & quis illius domi Pater-familias, Nicephorus lib.1. Hiſt. cap.18., & Cedrenus in Comp. hiſt. cenſent, Dominum ſeu patrem-familias, apud quem Chriſtus fecit Cœnam fuiſſe Joannem Evangeliſtam. Sed hoc apertè repugnat Evangelio; tum Matth. cap.26., ubi quærentibus Diſcipulis: *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* reſpondit: *Ite in Civitatem ad quendam* &c. Joannes autem Evangeliſta cum eſſet ibi præſens cum aliis, non erat in Civitate, nec Chriſtus dixiſſet *ite ad quendam*; tum & maximè repugnat Lucæ cap.22. v.8., qui diſtinctè factum narrans dicit, quòd miſit Jeſus Petrum & Joannem, eis imponens, ut hominem aquam portantem ſibi occurrentem ſequerentur, & domum, quam ipſe intraret, intrarent & ipſi, ac dicerent Patri-familias domus: *Magiſter dicit, ubi eſt diverſorium, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem? Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum: & ibi parate.* Quibus apparet, Petrum & Joannem neſciſſe, quò mitterentur; ſciviſſe autem poſtea ex ſigno ipſis dato. Si autem domus, ad quam mittebantur, fuiſſet domus ipſius Joannis, qui mittebatur, quid opus erant ejuſmodi indicia ad quærendam & inveniendam illam? nunquid non poterat dicere Joanni: vade in domum tuam, & ibi para nobis Paſcha? Quid opus erat quærere Patrem-familias domus, ſi ipſius Joannis domus erat, & ipſe erat Pater-familias? Ceterùm Joannes Evangeliſta, nec unquam pater-familias fuit, nec propriam domum habebat, qui & do-

domum & omnia cum Petro, ut ſequeretur Chriſtum, reliquerat. Unde Auguſtinus Tract. 119. in Joan. miratur, quomodo Mariam Virginem ſibi à Chriſto moriente commendatam potuerit accipere *in ſua*, cum nec prædia, nec domum, in quam eam acciperet, haberet: de quo etiam S. Ambroſius lib. Exhortat. ad Virgines.

XXVIII. Veriùs ergo creditur, Patrem-familias, in cujus domo Chriſtus Cœnam fecit, fuiſſe quidem Joannem, non tamen Evangeliſtam, ſed alium cognomento *Marcum*, à Marco Evangeliſta ſimpliciter vocato Marco diverſum, S. Barnabæ diſcipulum & conſobrinum, filium verò cujuſdam fidelis mulieris Mariæ nomine. Huic domus erat Hieroſolymis, in quam Fideles & Apoſtoli etiam poſt Chriſti aſcenſum in cœlum convenire conſueverant. In hac latitaſſe creduntur Apoſtoli poſt Chriſti necem, in hac accepiſſe Spiritum Sanctum die ſacro Pentecoſtes; in hanc Petrus à carcere Herodis liberatus ſe recepit: *Ubi erant multi congregati & orantes* Act. 12. v. 12.. Marcus iſte Joannes SS. Paulo & Barnabæ adhæſit, cùm ab Hieroſolymis Antiochiam rediere Act. 12. v. 25., eoſque etiam Pergen Pamphiliæ eſt comitatus, Anno autem æræ communis 45. Hieroſolymam reverſus eſt, Act. 13. v. 13.; Anno verò 51. Act. 15. v. 37. hunc Marcum comitem aſſumere Barnabas voluit, ſed diſſentiente Paulo ſeparati ſunt, ac Paulus cum Sila perrexit in Syriam & Ciliciam, Barnabas verò cum Joanne Marco navigavit Cyprum. In hujus ergo Joannis Marci domo Chriſtus Cœnam Paſchalem peregit, pedes Diſcipulorum lavit, Euchariſtiam inſtituit. Propterea domum tot titulis nobilitatam omnium primam in Templum fuiſſe converſam, & *Eccleſiam Sion* nuncupatam, tradunt multi. Marcus iſte Paulo in carcere detento opem non modicam tribuit. Ejus propterea meminit ad Coloſſ. 4. v. 10. *Salutat vos Marcus conſobrinus Barnabæ.... Si venerit ad vos, excipite illum*. Ejus etiam meminit in Epiſtola ad Philemonem anno 62., quo Marcus Romæ ipſi famulabatur. Anno verò 65. Timotheo in Aſia laboranti adhærebat, quem 2. ad Tim. 4. v. 11. hortatur, ut ſecum adducat: *Marcum aſſume & adduc tecum*: *eſt enim mihi utilis in miniſterium*.

Hujus Joannis Marci mentionem facit Martyrolog. Romanum ad diem 27. Septembris his verbis: *Bibli in Phœnicia S. Marci Epiſcopi, qui & Joannes à Beato Luca nominatur*: unde illius civitatis Epiſcopus fuiſſe creditur. A Græcis, qui ſolâ illius umbrâ ægros ſanatos ferunt, Apoſtolus appellatur. Qua morte & quo anno obierit, incertum. Cùm vero referente Eu-

ſebio lib.3. Hiſt. cap.39. , & lib.7. cap.25., Epheſi duo eſſent ſepulchra, quorum unum credebatur eſſe Joannis Evangeliſtæ, alterum Joannis Marci, ibidem Joann. Marcum obiiſſe probabile eſt. De hoc tamen Joanne Marco ſuo loco alia dicam.

XXIX. Commenſales in Cœna cum Chriſto fuiſſe Apoſtolos, extra dubium eſt. Sed quia Cœna illa fuit duplex, ſeu duplicem partem habuit; una fuit Legalis & Judaica, in qua Chriſtus Agnum Paſchalem comedit, altera Chriſtiana & Euchariſtica, in qua ſuum Corpus in cibum, & Sanguinem dedit in potum: certum eſt priori Cœnæ ſeu parti Cœnæ omnes Diſcipulos accubuiſſe; id enim Matthæus Marcus & Lucas fatentur dicentes, Chriſtum diſcubuiſſe *cum duodecim Diſcipulis* ſuis; quibus ſubſcribunt Patres. An verò omnes duodecim interfuerint & participaverint in ſecunda Cœna ſeu parte Cœnæ, nempè Cœnâ Euchariſticâ, etiam Judas proditor, dubitatur. Negativæ parti adhærent, S. Hilarius in Matth. cap.30., Theophylactus in cap.26. Matth., Rupertus lib.10. in Matth.; & Innocentius III. lib.4. de Myſteriis Miſſæ cap.13. in hanc opinionem videtur propendere, problematicè tamen utramque proponit: E contra affirmativam tuentur Origenes homil. 36. in Matth., Cyrillus Hieroſol. Catech. 13., & Alexandrinus in Joan. lib.9. cap.13., Cyprianus ſeu Auctor ſerm. de Cœna Domini, Chryſoſtomus Homil.82. & 83. in Matth., Hieronymus lib.2. contra Jovin., S. Auguſtinus Tract.62. in Joan., & alii: quibus omnibus ſubſcribit S. Thomas 3.p. q.81. ar.2. in 4. diſt.11. q.3. ar.2. quæſt.1. & 2., & in cap.13. Joannis Lect.3. & 4.

XXX. Hanc ſententiam, quæ modò ferè communis eſt, amplector; tum ob auctoritatem præfatorum Patrum; tum quia Sacris Evangeliis videtur conformior. Primó, quia S. Marcus cap. 14. deſcribens ultimam Chriſti Cœnam dicit, quòd *paraverunt Paſcha. Veſpere autem facto, venit cum duodecim, & diſcumbentibus eis & manducantibus, ait Jeſus: Amen dico vobis unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.... Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.* In Cœna ergo legali aderat, & cum aliis manducabat Judas. Deinde procedens Marcus ad Cœnam Euchariſticam dicit: *Et manducantibus illis accepit Jeſus panem... & dedit eis, & ait: Sumite, hoc eſt Corpus meum. Et accepto Calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes.* Omnes ergo de pane, quem dixerat eſſe Corpus ſuum, & de Calice, quem dixerat eſſe Sanguinem ſuum, ederunt & biberunt, qui cum eo diſcumbebant & manducabant; ſed inter iſtos erat etiam Judas proditor; ergo & ipſe de Cœna Euchari-

ſti-

ſtica manducavit & bibit: cum enim Cœnâ Euchariſticâ jam confectâ ac diſtributâ adhuc præſentem facit Joannes cap. 13. v.21. & 26., dum Chriſtus ait, unum ex illis, qui aderant eſſe proditorem; ac tunc ſolùm abiiſſe, poſtquam Jeſus ei tradiderat intinctum panem: unde v.30. ait: *Cùm ergo accepiſſet ille bucellam, exivit continuò*.

Quando autem Judas panem intinctum à Chriſti manibus, ſeu buccellam accepit, *Non eſt exiſtimandum* (inquit S. Auguſtinus Tract.62. in Joann.) *ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Chriſti Corpus accepit. Intelligendum eſt enim, quod jam omnibus eis diſtribuerat Dominus Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui, ubi & ipſe Judas erat, ſicut S. Lucas evidentiſſimè narrat: ac deinde ad hoc ventum eſt, ubi ſecundùm narrationem Joannis apertiſſimè Dominus per buccellam tinctam atque porrectam ſuum exprimit traditorem, fortaſſis per panis tinctionem, illius ſignificans fictionem. Non enim omnia, quæ tinguntur, abluuntur: ſed ut inficiantur nonnulla tinguntur. Si autem bonum aliquid hic ſignificat tinctio, eidem bono ingratum non immeritò eſt ſecuta damnatio*. Ita Auguſtinus: cui S. Thomas ſubſcribit 3. p. q.81. ar.2. ad 3. Quod & Innocentius III. lib.4. de Myſt. Miſſæ c.13. confirmat dicens: *Nec debet intelligi, quòd ſub buccella panis intincta Chriſtus Euchariſtiam dederit traditori, ſed per buccellam intinctam atque porrectam ſuum denique traditorem expreſſit, fortaſſis per panis intinctionem illius ſignificans fictionem*.

XXXI. Secundò hoc idem probatur ex Luca cap.22. v.21., ubi habemus, Chriſtum poſt Calicis traditionem (ex quo, ut Marcus ſupra, biberunt omnes) illicò ſubjeciſſe: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecùm eſt in menſa*. Sed ante Calicis conſecrationem jam Corpus ſuum conſecratum omnibus diſtribuerat, ergo etiam diſtribuerat Judæ ibi adhuc adſtanti. Hoc autem à Luca fuiſſe dictum per recapitulationem, Judas enim ante Cœnam Euchariſticam abierat; ſine fundamento aſſeritur: nam, ut ex Joanne dicebamus, Judas tunc ſolùm abiit poſt acceptum panem intinctum, quem accepit Cœnâ Euchariſticâ jam diſtributâ.

Hoc confirmo ex eo, quòd Chriſtus factâ Cœnâ Judaicâ, ante Cœnam Euchariſticam lavit pedes Diſcipulorum, tanquam hâc præviâ diſpoſitione oſtendens, quòd qui ad eam accedit, debet priùs mundari. Quòd autem etiam Judæ laverit pedes, conſtat ex Joann. 13. v.10., ubi Jeſus Petro dixit: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes: ſciebat enim, quiſnam eſſet qui traderet eum*.

eum. Propterea dixit: non eſtis mundi omnes. Judas ergo lotioni pedum aderat. Cùm ergo Jeſus eâ peractâ iterum recubuerit, & Cœnam Euchariſticam diſpenſaverit, nec Judas niſi poſt acceptam buccellam abierit, ut idem Joannes fatetur; clarum eſt, eum Cœnæ Euchariſticæ interfuiſſe, & de ea manducaſſe. Unde Eccleſia in Miſſa diei Corporis Chriſti canit: *Panis vivus & vitalis hodie proponitur, quem in Sacræ menſa Cœnæ turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur*: Turbæ autem duodenæ datum non eſſet, ſi Judas eum non accepiſſet.

XXXII. Demùm ex Actibus Apoſtolorum cap. 1. v. 20. colligitur, Judam fuiſſe cum ceteris Apoſtolis creatum Sacerdotem, imo & Epiſcopum: nam de eo D. Petrus interpretatur illud Pſalmi 108. *Epiſcopatum ejus accipiat alter.* Apoſtolos autem & Sacerdotes & Epiſcopos creavit, dum Lucæ 22. v.19. dixit eis: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut de Sacerdotibus ſtatuit Tridentinum ſeſſ. 22. Can.2. Igitur Judas quoque cum aliis Euchariſtiam accepit.

XXXIII. His tamen obſtare videtur primò: nam Matth.26. poſtquam dedit Dominus Corpus ſuum & Sanguinem Diſcipulis, dixit v.29. *Non bibam amodo de hoc genime vitis uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in Regno Patris mei.* Illis ergo ſolis dedit Corpus ſuum & Sanguinem, qui cum eo erant in Regno ſuo iterum bibituri; non ergo Judæ dedit, qui cum eo in Regno ſuo non erat iterum bibiturus.

Hæc difficultas movit Hilarium, & etiam Innocentium III. citatis locis ad dubitandum, an Judas Cœnæ Euchariſticæ particeps fuerit. Cui tamen reſpondet S. Thomas ar.2. citato ad 1. Quòd *hæc ratio non cogit, quia Chriſtus loquitur Diſcipulis, à quorum Collegio Judas ſe ſeparavit. Non autem Chriſtus eum excluſit. Et ideò Chriſtus quantùm eſt in ſe etiam, cum Juda vinum in Regno Dei bibit: ſed hoc convivium ipſe Judas repudiavit*: nam etiam Matth.19. v.28. omnibus Apoſtolis dixit: *In regeneratione... ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim.* Et tamen Judas, qui unus de duodecim erat, ſeſſurus non erat, quia à duodecim Collegio proditione ſe ſeparavit.

XXXIV. Obſtare videtur ſecundò, quia Chriſtus cognoſcebat, Judam eſſe indignum, & Corpus ſuum futurum illi ad mortem, non ad vitam: non ergo videtur; quòd ei corpus & ſanguinem ſuum dederit, maximè cùm ipſe Matth.7. v.6. dixerit: *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittere margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & converſi dirumpant vos*, ut verè Judas contra Chriſtum fecit.

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo cum S. Thoma dicta q. 81. ar. 2. in Corp., quòd *conveniens quidem fuiſſet*, quòd Chriſtus Judæ Corpus ſuum & Sanguinem non daret, *conſideratâ malitiâ Judæ. Sed quia Chriſtus nobis debuit eſſe exemplum juſtitiæ, non conveniebat ejus magiſterio, ut Judam occultum peccatorem ſine accuſatore & evidenti probatione ab aliorum communione ſepararet: ne per hoc daretur exemplum Prælatis Eccleſiæ ſimilia faciendi; & ipſe Judas exaſperatus inde ſumeret occaſionem peccandi*: & ibidem ad ſecundum idem repetens: *Chriſto*, inquit, *nota erat Judæ iniquitas ſicut Deo: non autem erat ſibi nota per modum, quo hominibus innoteſcit. Et ideò Chriſtus Judam non repulit à communione, ut daret exemplum, tales peccatores occultos non eſſe à Sacerdotibus expellendos.* Idem reſpondet Innocentius III. cap. 13. lib. 4. de Myſt. Miſſæ citato; & hoc maximè, quando peccator occultus cum aliis accedens tacitè petit; unde ille peccat, qui ſui conſcius debuit abſtinere, ut in Juda contigit.

XXXV. Quòd ſi dixeris, peccatum Judæ jam Apoſtolis innotuiſſe, partim, quando ipſi interroganti: *Nunquid ego ſum?* Chriſtus reſponderat, *tu dixiſti*: partim quando dixerat Joan. 13. *Cui intinctum panem porrexero*: Et Matth. 26. *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet*.

Reſpondebo negando aſſumtum. Verbum enim illud, *tu dixiſti*, etſi aliquando ſit affirmantis, ut Matth. 26. v. 64., & Marci 16. v. 62., interdum tamen eſt vel interrumpentis vel ſuſpendentis ſermonem, quaſi dicatur *Tu videris*, Hoc *tu dicis*, ego *non dico*. Sic cum Pilato quærenti *Tu es Rex Judæorum?* Chriſtus Lucæ 23. reſpondit *Tu dicis*; non tamen judicatus eſt affirmaſſe, ut ex Joan. 18. v. 34. colligere licet: unde Auguſt. lib. 3. de Conſ. Evangeliſt. cap. 1. ad illa Judæ verba Matth. 26. v. 25. *Nunquid ego ſum Rabbi?* & Chriſti reſponſum: *Tu dixiſti*, ait, *etiam hic non expreſſum eſt, utrum ipſe eſſet. Poteſt enim adhuc intelligi, tanquam, non ego dixi: potuit etiam hoc ſic dici à Juda, & à Domino reſponderi, ut non omnes adverterent*. Quo factum eſt, ut adhuc aſpicerent ad invicem Diſcipuli hæſitantes, & Petrus innueret Joanni, ut peteret, quis eſſet Joan. 13. v. 24. quod autem dixit: *Qui intingit mecum manum in paropſide*: fuit commune Apoſtolis, ſicut & illud, *qui manducat mecum*, quaſi diceret, qui ad eam familiaritatem eſt admiſſus, ut mecum ſedere ſoleat in menſa eadem & paropſide uti. Unde eſt potiùs exaggeratio criminis, quàm ſignum agnoſcendi proditoris. Et ideò Apoſtoli, his auditis, adhuc quærebant Lucæ 22. v. 29. *Quis eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet?* Illud tandem, *cui intin-*

ctum

ctum panem porrexero, & poſt Communionem & ſoli Joanni dictum fuit: quare Joan. 13. v. 28. ſubditur: *Et nemo ſcivit diſcumbentium, & quid dixerit ei*: & licèt Judas poſt acceptum intinctum panem abierit, nemo ſuſpicatus fuit, eum ad patrandum ſcelus abiiſſe, ſed potiùs *quòd dixiſſet ei Jeſus, eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, aut egenis ut aliquid daret*: unde S. Thomas 2. 2. q. 33. ar. 7. ad 2. *Dominus*, inquit, *peccatum Judæ tanquam Deus ſicut publicum habebat: unde ſtatim poterat ad publicandum procedere; tamen ipſe non publicavit, ſed obſcuris verbis eum de peccato ſuo admonuit*. Quod repetit in Diſputatis q. un. de Correct. fraterna ar. 2. ad 5.

§. V.

An Chriſtus ſumſerit ſuum Corpus: an paſſibile: & an ſtans Agnum comederit.

XXXVI. Quæri poteſt, an Chriſtus ſumſerit ſuum Corpus & Sanguinem in Cœna.

Affirmativè reſpondet S. Thomas 3. p. q. 81. ar. 1. Et probat primo ex Hieron. Epiſt. 150. ad Hebidiam q. 2. *Dominus Jeſus Chriſtus ipſe conviva & convivium, ipſe comedens & qui comeditur*; deinde hac ratione: *Chriſtus ea, quæ ab aliis obſervanda inſtituit, ipſe primitùs obſervavit,, : Unde & ipſe priùs baptizari voluit, quàm aliis Baptiſmum imponeret, ſecundùm illud Act. 1.,,* Cœpit Jeſus facere & docere: *Unde & primò ipſe Corpus ſuum & Sanguinem ſumſit, & poſtea Diſcipulis ſumendum tradidit*. Quamvis autem in Evangelio ſolùm legatur, quòd accepit panem & calicem, tamen inquit ad primum: *Non eſt intelligendum, quòd acceperit ſolùm in manibus, ut quidam dicunt, ſed eo modo accepit, quo aliis accipiendum tradidit. Unde cùm Diſcipulis dixerit* „ Accipite & comedite,, *& iterum*„ Accipite & bibite,, *intelligendum eſt, quòd ipſe accipiens comederit & biberit*: *unde & quidam metricè dixerunt*.

Rex ſedet in Cœna, Turbâ cinctus duodenâ:
Se tenet in manibus, ſe cibat ipſe cibus.

XXXVII. Accedit, quòd Chriſtus in ultima Cœna obtulit ſacrificium ſui Corporis & Sanguinis, quod offerendum in memoriam ſui præcepit Sacerdotibus, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ 22. v. 19., & 1. Cor. 11. v. 24. & 25.: Ergo ſicut Sacerdotes hoc ſacrificium offerentes, non ſolùm diſtribuunt Chriſti Corpus, ſed & præcipuè ejus Corpus edunt & San-

& Sanguinem bibunt: ita ipſe non ſolùm diſtribuit Apoſtolis manducandum Corpus ſuum & Sanguinem bibendum, ſed prior manducavit & bibit.

Rursùs ſi Sanguinem ſuum bibendum aliis tradidiſſet & ipſe non bibiſſet, turbati fortè denuò fuiſſent Diſcipuli, ſicut turbati fuerunt Joan. 6., quando illum ſe daturum ad bibendum promiſit; ne ergo turbarentur, exemplo ſuo præire voluit. Ita S. Joan. Chryſoſt. homil. 83., modò 82. in Matth. *Et ipſe quoque ex illo bibit. Ne enim hæc audientes dicerent: quid ergo? ſanguinem ne bibimus, & carnem manducamus? Et ne turbarentur; nam cùm hac de re verba faceret, de ipſis verbis multi offenſi ſunt. Ne itaque tunc turbarentur, primus ipſe hoc facit, ut illos ad myſteriorum participationem tranquillo animo ſubeundam induceret. Ideò ergo ſuum ipſe Sanguinem bibit.*

XXXVIII. Si dicas primò: ſi Chriſtus ſuum Corpus & ſuum Sanguinem ſumſiſſet, fuiſſet totus intra ſe ipſum: hoc autem impoſſibile videtur.

Reſpondeo, impoſſibile quidem eſſe potentiâ naturali, quòd idem totum ſit in ſe ipſo, non tamen potentiâ ſupernaturali. Quod autem Chriſtus converteret panem in ſuum Corpus, ut illud jam in manibus teneret, & in os ſumeret, ſupernaturale fuit. Accedit, quòd, ut ait D. Thomas hoc ar. 1. ad 2., *Chriſtus ſecundùm quod eſt ſub hoc Sacramento, comparatur ad locum, non ſecundùm proprias dimenſiones, ſed ſecundùm dimenſiones ſpecierum Sacramentalium, ita quod in quocumque loco, ubi ſunt illæ ſpecies, eſt ipſe Chriſtus. Et quia ſpecies illæ potuerunt eſſe in manibus, & in ore Chriſti, ipſe totus Chriſtus potuit eſſe in ſuis manibus, & in ſuo ore.*

XXXIX. Si dicas ſecundò: Chriſtus non potuit ſe ipſum ſumere, nec ſpiritualiter in hoc Sacramento, quia nihil ab eo accipere poterat, nec purè Sacramentaliter, quia ſumtio Sacramentalis ſine ſpirituali imperfecta eſt.

Reſpondeo, ſumtionem Chriſti ſumentis ſe ipſum fuiſſe Sacramentalem, quia ſumebat Corpus & Sanguinem ſuum, non ut cibum communem, ſed ut ſacrum, & ſub Sacramento contentum: fuiſſe etiam ſpiritualem, quia ſanctè ac cum ſpiritus devotione factam, & habuit pro effectu ſpiritualis dulcedinis delectationem. Unde concludit S. Thomas ar. 1. citato ad 3., quòd aliter accepit, *quàm ceteri ſacramentaliter & ſpiritualiter ſumunt: quia augmentum gratiæ ſuſcipiunt, & ſacramentalibus ſignis indigent ad veritatis perceptionem*: Chriſtus autem ab initio conceptionis gratiâ plenus capax augmenti non

erat, & ad cognoſcendum ſe ipſum ſignis non indigebat.

XL. Sed quæres, an Corpus, quod ipſe ſumſit & Diſcipulis dedit, fuerit paſſibile, an impaſſibile.

Reſpondet S. Thomas 3.p. q.81. ar.3., quòd Corpus ſuum, quod tunc ipſe ſumſit & dedit Diſcipulis, erat paſſibile, ſub modo tamen impaſſibili ſumſit ac dedit. Prior pars probatur ex Innocentio III. lib.4. de Myſt. Miſſæ cap.12. dicente: *Tale Corpus tunc dedit Diſcipulis, quale habuit*: quibus addit S. Thomas: *Manifeſtum eſt enim, quòd idem Corpus Chriſti erat, quod à Diſcipulis tunc in propria ſpecie videbatur, & in ſpecie Sacramenti ſumebatur. Non autem erat impaſſibile, ſecundùm quod in propria ſpecie videbatur, quinimo erat paſſioni paratum: unde nec ipſum Corpus Chriſti, quod in ſpecie Sacramenti dabatur, impaſſibile erat.*

Poſterior verò pars ab eodem S. Thoma ſic oſtenditur: *Impaſſibili tamen modo erat ſub ſpecie Sacramenti, quod in ſe erat paſſibile, ſicut inviſibiliter, quod in ſe erat viſibile. Sicut enim viſio requirit contactum corporis, quod videtur, ad circumſtans medium viſionis, ita paſſio requirit contactum corporis, quod patitur, ad ea, quæ agunt. Corpus autem Chriſti ſecundùm quòd eſt in Sacramento ... non comparatur ad ea, quæ circumſtant, mediantibus propriis dimenſionibus, quibus corpora ſe tangunt, ſed mediantibus dimenſionibus ſpecierum panis & vini: & ideò ſpecies illæ ſunt, quæ patiuntur & videntur, non autem ipſum Corpus Chriſti.* Hæc adeò clara ſunt, ut explicatione non egeant.

XLI. Ex his ſequitur, quòd ſi hoc Sacramentum fuiſſet ſervatum vel conſecratum tempore mortis Chriſti, Corpus Chriſti non fuiſſet ibi vivum, ſed mortuum; quia ut S. Thom. dicta q.81. ar.4. docet, Corpus Chriſti idem in ſubſtantia eſt in hoc Sacramento, ac in propria ſpecie, quamvis non eodem modo. Et ideò quidquid abſolutè convenit Chriſto, ſecundùm quod in ſe eſt, poteſt attribui ei & in propria ſpecie & in Sacramento exiſtenti, ſicut vivere, mori, dolere, eſſe animatum vel inanimatum. Quæ verò conveniunt ei per comparationem ad corpora extrinſeca, poſſunt ei quidem attribui in propria ſpecie exiſtenti, ſed non prout eſt in Sacramento, ſicut irrideri, conſpui, crucifigi, flagellari, & cetera hujuſmodi. Quamvis tamen flagella, ſpinæ, clavi, & alia ab agente extrinſeco illata, Corpus Chriſti in ſua ſpecie afficerent, effectus tamen ex illis ſecuti, ut dolor, plagæ, ſeparatio ſanguinis & animæ à corpore, etiam in eodem, propter corporis identitatem, ut exiſtente in Euchariſtia fuiſſent; & ſi ibi fuiſſet Chriſti Corpus mortuum, fuiſſet ſine ſangui-

guine, ſine anima, ſicut ſi in Sacramento manſiſſet poſt reſurrectionem, ibi fuiſſet vivum cum anima & ſanguine, ac impaſſibile, ſicut modò.

Unde notandum cum eodem S. Thoma dicto ar.4. ad 2., quòd ex vi conſecrationis ſub ſpecie panis eſt Corpus Chriſti & Sanguis ſub ſpecie vini. Sed nunc quidem, cùm realiter Sanguis Chriſti non eſt ſeparatus ab ejus corpore., ex reali concomitantia etiam Sanguis Chriſti eſt ſub ſpecie panis ſimul cum Corpore Chriſti, & Corpus ſub ſpecie vini ſimul cum Sanguine. Sed ſi tempore paſſionis Chriſti, quando ſcilicet Sanguis realiter fuit ſeparatus à Corpore Chriſti, fuiſſet hoc Sacramentum conſecratum, ſub ſpecie panis fuiſſet ſolum Corpus, & ſub ſpecie vini fuiſset ſolùm Sanguis. Et eadem ratione (ut ait S.Doctor ad 3.) ſi tunc fuiſſet hoc Sacramentum conſecratum, quando anima erat ſeparata à corpore, non fuiſset Anima Chriſti ſub hoc Sacramento, non propter defectum virtutis verborum, ſed propter aliam diſpoſitionem rei. Hæc iiſdem ferè verbis S. Thomas.

XLII. Supereſt pro coronide diſcutiendum de ſituatione, quâ Chriſtus ultimam Cœnam celebravit. Evangeliſtæ omnes dicunt, eum *diſcubuiſſe*: Mos enim erat illius ætatis, tàm apud Judæos, quàm apud alias Nationes, etiam Romanos, non in ſcamnis atque ſedilibus menſæ aſſidere, ſicut modò, ſed in tricliniis ſeu lectulis menſalibus prandere ac cœnare, menſæ cubitis inhærendo, quem morem ſervant adhuc Turcæ, ut fertur. Hinc etiam apud nos perſeverat phraſis, *diſcumbere* ſeu *accumbere menſis*. Ex hoc modo menſæ recumbendi facilè concipitur, quo pacto potuerit Joannes Apoſtolus in Cœna ſupra pectus Domini recubuiſse; nempè cum proximus Chriſto accumberet menſæ, facile illi fuit caput in Chriſti ſinum inclinare, quod non ita facile fuiſset, ſi in ſcamnis ac ſedilibus (ut modò) ſediſſent ambo. Pariter intelligitur, quomodo Maria Magdalena *ſtans retrò ſecus pedes Domini*, diſcumbentis apud Simonem Phariſæum, potuerit *lacrymis rigare pedes ejus & capillis capitis ſui tergere*, ut habemus apud Lucam cap.7. Nam Chriſtus ſtratus pro more recumbens pedes in eam altitudinem compoſitos habebat, ut à pœnitente retrò ſtante facilè attingi poſſent. Quare turpiter falluntur pictores, qui Chriſtum menſæ aſſidentem exhibent, & Magdalenam ante pedes ejus proſtratam, quam Lucas dicit, quòd illud pietatis officium *ſtans retrò* gerebat. Hanc fuiſse conſuetudinem etiam apud exteras Nationes, habetur Eſther.1. v.6., ubi in deſcriptione generalis convivii, quod ſeptem diebus Aſſuerus celebravit, inter alia dicitur: *Lectuli quoque aurei & ar-*

Digitized by Google

gentei ſuper pavimentum, ſmaragdino & pario ſtratum lapide, diſpoſiti erant: & cap.7. v.8. de eodem Rege Aſsuero legitur; *Qui cùm reverſus eſſet de horto nemoribus conſito, & intraſſet convivii locum, reperit Aman ſuper lectulum corruiſſe, in quo jacebat Eſther*. Ecce in loco convivii lectulos non ſellas, jacentes non ſedentes. Hinc Maldonatus in præfatum Lucæ locum dicit, Magdalenam facilè potuiſse pedes Jeſu retrò attingere: *Quia qui ad menſam antiquo more ſuper toros accumbebant, ita jacebant, ut caput verſus menſam, pedes versùs exteriorem partem haberent, quà miniſtri fercula ferentes menſam obibant*.

XLIII. Difficultas tamen eſt de ultima Cœna, quam Chriſtus fecit, & in qua Agnum Paſchalem comedit, qui ex præcepto Exodi 12. v.11. à ſtantibus potiùs comedendus erat: *Sic autem comedetis illum; Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter*: quod certè indicat, non à diſcumbentibus modo explicato, ſed ſtantibus & paratis ad iter, comedi debuiſse; cùm tamen Evangeliſtæ exhibeant nobis Jeſum etiam in hac Cœna recumbentem.

XLIV. Variè tamen reſpondetur. Primò dicunt aliqui, quòd cùm duplicem Cœnam ibi Chriſtus peregerit, unam Judaicam, in qua Agnum Paſchalem comedit, deinde poſt modicum temporis intervallum alteram, nempè Euchariſticam; potuit primam ſtando peragere, ſecundam verò accumbendo, & in hac eum accumbentem exhibent Evangeliſtæ. Alii volunt, illud Moyſis præceptum pertinuiſse ſolum ad primi Paſchatis obſervationem in Ægypto; quia tunc tantùm feſtinatione opus erat, & congruebat, ut Judæi ſtatim poſt ab Ægypto egreſsuri, eſsent lumbis accincti, & baculos tenentes in manibus, viatorum inſtar. Alii cum Baronio dicunt, ritum hunc comedendi Agnum Paſchalem pedibus ſtando, jam à tempore exilii Babylonici fuiſse intermiſsum, ac penitùs antiquatum, quod Baronius ex pervetuſto Rituali Hebræorum Libro conſtare dicit. Nihil ergo eſt, cur de hac re ſolliciti ſimus.

CA-

CAPUT XXIV.

De Paſſionis Chriſti exordiis .

§. I.

De Judæ proditione .

I. ABsoluta Cœnâ Euchariſticâ, cui & Judam interfuiſse oſtendi, ſceleſtus ille nihil motus, quòd Chriſti bonitas ſui Corporis & Sanguinis eum participem fecerit ; cùm accepiſset buccellam, inſtigante Satana (Joann. 13. v.30.) exivit continuò, ut conceptum proditionis ſcelus, de quo jam cum Principibus Sacerdotum convenerat, eadem nocte conſummaret: infandum ſanè quod à viro nequiſſimo patrari poſset flagitium, & maximè ab uno ex illis, quos Jeſus ut intimos ac familiares elegerat. Hanc circumſtantiam Chryſoſtomus (ſerm. de proditione Judæ) advertens, horrore abreptus dicit: *Unus de duodecim . . . Hæc erat caterva regalis , de hoc choro Judas egreſſus eſt . Judas inquit, Iſcariotes. Quid mihi ejus patriam dicis ? utinam ipſum quoque neſcire licuiſſet .* At quando jam nec patriam, nec nomen, nec ſcelus ignorare licet, ignoſcat Chryſoſtomus, ſi in hoc lectorem meum aliquantulùm detinuero .

II. Judas ergo dictus fuit *Iſcbariotes*. Unde autem Iſchariotæ nomen derivarit, non una eſt ſententia. S. Hieronymus (ut refert Baronius ad ann. Chriſti 32. num. 9.) in cáp. 28. Iſaiæ , & c.10. Matt., putavit, Judam Iſchariotem fuiſse è Tribu Ephraim, & Iſcharioth vicum eſse ejuſdem Tribus. In Lib. tamen de nominibus Hebraicis exiſtimavit, eum fuiſse de Tribu Iſsachar, ideòque *Iſſacbariotem* vocandum eſſe, quamvis contractiori nomine Iſchariotes dicatur. Baronio tamen magis placet, Judam dictum fuiſſe *Iſcbariotem* ex duobus verbis, nempè *Is*, quod interpretatur *Vir*, & *Cariotb*, quod eſt Oppidum in Tribu Juda, de quo fit mentio Joſue 15. v.25., Hieron.48. v. 24., & Amoſ.2. v.2. : unde *Iſ-Cariotb* idem eſt ac *Vir Cariotbenſis* . A patria autem plures fuiſſe denominatos viros, ex Sacris Litteris apparet .

III. Occaſio tantum ſcelus concipiendi & patrandi Judæ fuit hæc . Aſſumtus fuerat ipſe in depoſitarium eleemoſynarum , quibus Chriſtus ac ceteri Apoſtoli donabantur, adeòque pecuniarum amore ad prava diſtractus fuit, ut videns Mariam Lazari

ſo-

ſororem pretioſum unguentum ſuper Chriſti pedes effudiſſe; hanc profuſionem indignè ferens, dixerit Joann. 12. v. 5. *Quare hoc unguentum non vaniit trecentis denariis & datum eſt egenis? Dixit autem hoc* (ſubdit Evangeliſta) *non quia de egenis pertinebat ad eum; ſed quia fur erat, & loculos habens, & ea, quæ mittebantur, portabat*. Quia autem Chriſtus Mariæ pietatem laudavit, dicens: *Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud. Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis*: indignatus Judas, ſtatim accurrit ad Sacerdotes, ac de prodendo Jeſu cum illis convenit, triginta argenteis in pretium ſtatutis. Circa quod duo ſuperſunt examinanda: unum, quâ die Judas contractum cum Principibus Sacerdotum de tradendo eis Chriſtum inierit: alterum, cui valori reſpondeant triginta illi argentei.

IV. Quoad primum, miſſis variis opinionibus ex diverſo modo loquendi Evangeliſtarum Matthæi cap. 26., & Joannis cap. 12., cenſeo biduò ante Paſcha, ideſt die Mercurii Judam ſtetiſſe coram Principibus Sacerdotum, & pacto iniquitatis pretio, promiſiſſe, traditurum ſe eis Jeſum, & die Jovis ſequenti poſt Cœnam Euchariſticam ſumtam ad conſummandum proditionis ſcelus perrexiſſe, & de facto conſummaſſe. Priorem partem ſumo ex Matthæo cap. 26., ubi Chriſtus antequam Sacerdotes & Seniores Populi in domo Principis Sacerdotum cogerent Concilium, ut eum occiderent, Diſcipulis ſuis proditionem manifeſtavit, dicens: *Scitis, quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius Hominis tradetur, ut crucifigatur*. Deinde nullo alio interjecto medio ſubdit: *Tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum & Seniores Populi... & conſilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent & occiderent*. Coram hoc Concilio ſe præſentavit Judas: unde poſt multa: *Tunc*, inquit, *abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iſcharıotes ad Principes Sacerdotum, & ait illis: quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos*.

V. Scio, reſponderi, Matthæum citato loco, & Marcum etiam cap. 14., inter Concilium Sacerdotum, & acceſſum proditoris ad illos, narrare Cœnam in Bethania factam, in qua Maria unxit pedes Jeſu, quæ ſecundùm Joannem cap. 12. facta fuit ante ſex dies Paſchæ. Unde cum deſcribatur Judas poſt illam Cœnam abiiſſe ad Principes Sacerdotum, fit, ut abierit ante biduum præcedens Paſcha.

Sed hoc non obſtat. Nam Matthæus & Marcus inter convocationem Concilii & acceſſum proditoris mediam ponunt nar-

narrationem Cœnæ in Bethania factæ, non quia eo medio tempore, ſeu biduo ante Paſcha revera facta fuerit, ſed rei paulo ante factæ per recapitulationem mentionem fecerunt. Nam cùm narrare inciperent Conciliabulum factum adversùs Chriſtum, & deinde narraturi eſſent acceſſum Judæ proditoris ad illud, ut occaſionem indicarent, qua Judas indignatus ad Chriſtum prodendum ultimò impulſus fuit, interpoſuerunt narrationem illius Cœnæ, licèt paucos ante dies factæ; ubi indignatus Judas ob effuſionem unguenti ſuper pedes & caput Jeſu à Maria ſorore Lazari factam, videnſque, Jeſum partes mulieris ſuſcepiſſe, furore percitus, ut pecuniam, quam ex illius unguenti venditione ſperaverat, ſibi ex parte compenſaret, audito, Principes Sacerdotum congregatos eſſe, ut Jeſum tenerent & occiderent, eum illis vendere decrevit. Unde S. Lucas cap. 22. rem hanc hiſtorico ordine referens, ait: *Appropinquabat autem dies feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha: & quærebant Principes Sacerdotum & Scribæ, quomodo Jeſum interficerent: timebant verò plebem* (ecce Conciliabulum factum paulò ante, ideſt biduò ante Paſcha) *Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iſchariotes, unum de duodecim. Et abiit & locutus eſt cum Principibus Sacerdotum & Magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gaviſi ſunt, & pacti ſunt pecuniam illi dare.* Ecce Concilium initum biduo ante Paſcha, ecce Judam apud Concilium de Chriſti venditione paciſcentem, nulla Cœnæ factæ in Bethania interpoſitione: quam Conciliabulum præceſſiſſe ex eo etiam colligitur, quia quod ultimò movit Principes Sacerdotum ad quærendam Chriſti necem, fuit ſuſcitatio Lazari, quem ſciverunt fuiſse unum ex diſcumbentibus in illa Cœna.

VI. Ex his apparet, optimè conciliari inter ſe Evangeliſtas, abſque eo quòd dicamus, Cœnam illam & unctionem, de qua loquitur Joannes, fuiſse diverſam ab ea, de qua loquitur Matthæus, & ita potuiſse celebrari unam ſexto die ante Paſcha, alteram biduo; tum quia Evangeliſtæ ibi nonniſi de una Cœna mentionem faciunt in Bethania facta: altera enim Cœna, ſeu verius prandium, ad quod à Phariſæo fuit invitatus Chriſtus, in quo mulier peccatrix lavit pedes ejus, & unguento unxit, de qua S. Lucas c. 7., fuit procul dubio diverſa, & ante facta; tum quia omnia, quæ Evangeliſtæ de hac Cœna licèt diverſo modo dicunt, uni ac eidem accommodari poſsunt. Quòd enim Matthæus dicat Mariam unxiſse caput Chriſti unguento, Joannes autem pedes, optimè componitur ab Auguſtino lib. 2. de Conſ. Evangeliſtarum cap. 79. dicente, quòd *ubi ſinguli Evangeliſtæ*

ſi-

ſingula commemorant, utrumque factum intelligimus. Proinde & hic non ſolùm caput ſed & pedes Domini accipiamus perfudiſſe mulierem. Quòd apud Matthæum Diſcipuli indignantur, apud Joannem ſolus Judas, ait idem S. Auguſtinus citato loco, manifeſtum eſse, Diſcipulorum nomine eundem Judam ſignificari pluralem numerum pro ſingulari uſurpando: Vel *quòd alii Diſcipuli ſenſerint hoc ac dixerint, aut eis Juda dicente perſuaſum ſit, atque omnium voluntatem Matthæus & Marcus expreſſerint. Sed Judas propterea dixerit, quia fur erat, ceteri verò propter pauperum curam. Joannem autem de ſolo illo id commemorare voluiſſe, cujus ex hac occaſione furandi conſuetudinem credidit intimandam.* Uno verbo: etſi omnes Diſcipuli hoc dixerunt, non eadem tamen intentione, qua Judas.

VII. Quod verò videantur iſtæ Cœnæ in diverſis domibus celebratæ; cùm Matthæus dicat, Chriſtum cœnaſſe in domo Simonis leproſi, Joannes verò indicet, cœnaſse in domo Marthæ, aderant enim Martha & Maria, & Martha miniſtrabat; non eſt autem veriſimile eam miniſtraſſe in aliena domo: non officit; tum quia Simonem illum leproſum fuiſse Patrem Lazari & Marthæ, cenſet Theophylactus in Matth., quod etiam refert Nicephorus lib. 1. Hiſt. cap. 27.; tum etiam, quia etſi Cœna illa non fuerit facta in domo Marthæ & Lazari, ut quoſdam ſenſiſse dicit Chryſoſtomus Homil. 64., modò 65. in Joan., potuit propter cognationem vel familiaritatem cum Simone, & præcipuè ob devotionem erga Chriſtum, utraque ſoror Maria & Martha miniſtrare: unde Chryſoſt. citato loco ait: *Non miniſtrabat enim tanquam vocata, neque communi incumbebat miniſterio, ſed Chriſto ſoli honorem defert, neque ut homini, ſed ut Deo adſtat.*

VIII. Iis, quæ ſupra diximus, nimirùm feriâ quartâ Sabbati ſeu hebdomadæ, quæ nobis dies Mercurii, coactum fuiſse Conciliabulum, cum quo pactum iniit Judas de Chriſto tradendo, ſuffragatur, S. Auguſt. Epiſt. modò 36., aliàs 86. ad Caſulanum cap. 13., ubi aſſignans cauſam, cur quarta & ſexta feria jejunet Eccleſia, ait: *Cur autem quarta & ſexta maximè jejunet Eccleſia, illa ratio reddi videtur, quòd conſiderato Evangelio, ipſâ quartâ Sabbati, quam vulgò quartam feriam vocant, conſilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Judæi. Intermiſſo autem uno die, cujus veſperâ Dominus Paſcha cum Diſcipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem vocamus quintam Sabbati, deinde traditus eſt ea nocte, quæ jam ad ſextam Sabbati, qui dies paſſionis ejus manifeſtus eſt, pertinebat. Hic dies primus Azymorum fuit à veſpera incipiens, ſed Matthæus Evangeliſta quintam Sab-*

Sabbati dicit fuiſſe primàm diem Azymorum, quia ejus veſperâ ſequente futura erat Cœna Paſchalis, quâ Cœnâ incipiebat Azymum, & ovis immolatio manducari: ex quo colligitur, quartam Sabbati fuiſſe, quando ait Dominus „ Scitis, quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius Hominis tradetur, ut crucifigatur „ *Ac per hoc dies ipſe jejunio deputatus eſt, quia ſicut Evangeliſta ſequitur & dicit.* Tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum & Seniores Populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & conſilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent & occiderent: *Intermiſſo autem uno die, de quo dicit Evangelium*: Prima autem Azymorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? *Hoc ergo die intermiſſo paſſus eſt Dominus quod nullus ambigit, ſexta Sabbati, quapropter & ipſa ſexta jejunio deputatur*. Ex S. Auguſtino igitur apparet, diem Mercurii fuiſse biduum ante diem feſtum Paſchæ, ſeu primam diem Azymorum: hac die coactum Concilium Judæorum adversùs Chriſtum; & conſequenter hac die Judam Concilio illi ſe præſentaſſe, & de tradendo eis Chriſtum cum Judæis pretio conveniſse.

IX. Poſterior autem pars liquet. Nam ex Matthæo cap.26. Marco cap.14., & Luca cap.22. habetur quòd Judas conventione factâ cum Judæis, quærebat opportunitatem, ut eis traderet Jeſum: hanc opportunitatem eum inveniſſe die Jovis ſequenti poſt Cœnam, conſtat ex Joanne cap.13., quòd cum accepiſset buccellam & audiſset à Chriſto *quod facis, fac citiùs*, perſpiciens ſuæ proditionis crimen eſse ei notum, Satana eum urgente, terga vertens Chriſto & ſociis *exivit continuò*: & cùm interea Chriſtus in hortum Getſemani oraturus Patrem ſeceſſiſset, Judas ad Principes Sacerdotum properans, eiſque ſignificans adveniſse opportunitatem eum capiendi, acceptâ ſatellitum cohorte, eâdem nocte ad locum illum ipſi probè notum, ut dicit Joann. cap.18. v.2. Judas cum ſatellitibus acceſſit, ac oſculo proditionis ſigno, in manus eorum Jeſum tradidit.

X. De pretio iniquæ venditionis corrigenda in primis eſt popularis exiſtimatio, quòd triginta denariorum ſummam non exceſserit, cùm ex Matthæo cap.26. v.15. habeatur, quòd *conſtituerunt ei triginta argenteos*. Quid autem eſsent hi triginta argentei, & cujus valoris ac ſummæ, inter eruditos diſceptatur. Etenim vilem ſummam non conſtituiſse, ex eò maximè apparet, quod ut refert idem Matthæus cap.27., ex iis à Juda deſperatione acto in Templum projectis, Principes Sacerdotum *emerunt agrum figuli in ſepulturam peregrinorum*.

Statuto igitur, pretium venditionis Chriſti fuiſse triginta

non

non denarios, ſed argenteos, dubitatur, quid per hos argenteos Matthæus intellexerit? Rupertus Abbas lib.10. in Matth. putat, quemlibet argenteum valorem unius Julii Romani non exceſſiſſe, & hoc probare ſe putat, quia Judas in more habebat furari decimam partem illorum, quæ Chriſto & Apoſtolis oblata, ei tanquam Apoſtolici Collegii depoſitario tradebantur: unde quia ſi Mariæ unguentum venditum fuiſſet tercentis argenteis, Judas ſibi uſurpaſſet triginta: quod perdiderat in venditione unguenti, ſibi compenſari voluit in venditione Magiſtri. Sed hoc ſine fundamento excogitatur. Nam in primis, ut refert Joannes cap.12. v.5., Judas non dixit, quòd unguentum illud venditum fuiſſet tercentis argenteis, ſed *tercentis denariis*: ergo Judas ſolùm triginta denarios ſibi compenſare potuiſſet. Deinde hoc pretium non Judas exegit, ſed à Judæorum Principibus conſtitutum eique oblatum acceptavit: unde Matthæus dicto cap.26., ait: *At illi conſtituerunt triginta argenteos*.

Lyranus in cap.26. Matth. ſcribit, unumquemque argenteum fuiſſe valoris decem Juliorum, nempè unius ſcuti Romani. Sed quo fundamento id aſſerat, non dicit.

Baronius ad Ann.34. Num.15. &c., relatis rejectiſque variis opinionibus, exiſtimat, argenteum ſignificare libram argenti, libra autem argenti duodecim argenti uncias complectitur; quare in hac ſententia quilibet argenteus pluſquam centum Julios Romanos complecteretur. Sed hæc ſententia multis improbabilis videtur; Quia vix credi poteſt, Judæos tantam ſummam, nimirùm trecentorum aureorum & ſupra, ſeu 720. florenorum pro opere nullius laboris Judæ, non quæſito, ſed ſpoutè ſe offerenti (merces enim ultronea vileſcit) obtuliſſe.

Volunt ergo alii, triginta argenteos idem eſſe ac triginta ſiclos. Siclus autem aliquando ſumebatur pro pondere, aliquando pro moneta, abſolutè tamen ſumtus pro moneta intelligebatur, quæ alio nomine *Stater* vocabatur, ſeu *Didrachma* quia drachmas duas hebraicas, ſeu quatuor atticas pendebat: unde teſte Joſepho lib. 3. Antiquit. cap. 9. *Siclus nummi genus eſt apud Hebræos, quales ſunt tetradrachmi Attici*. Sed in valore ſicli diverſos invenio Recentiores. Aliqui, ut Macri in ſuo Hierolexico V. *Siclus* dicit, duos Romanos Julios, ſeu duos Regales Hiſpanicos valuiſſe, & hujus ſpeciei monetæ triginta proditori Judæ in pretium iniquitatis traditas eſſe, & citat Cornelium à Lapide, & Budæum de Aſſe. Quare non plus quam ſexaginta Julios Judas accepiſſet: nimis vile pretium. Alii propterea ſentiunt ſiclum triginta obulos & ſex denarios in valore æquaſſe,

Digitized by Google

ſe, & propterea triginta argenteos ſeu ſiclos Judæ traditos fuiſſe circiter ſcuta decem. Ita Tilmontius in Mem. Hiſtor., & Calmet in Dict. verbo *Siclus*. Janſenius in Tetrateucho ad cap. 26. Matth. ſiclum parum plus minuſve fuiſſe quàm florenum exiſtimat; ideòque ſummam Judæ traditam fuiſſe triginta vel ad ſummum triginta ſex florenorum. Cui accedere videtur Serry Exercit. 52., ubi vult, argenteum ſeu ſiclum fuiſſe valoris ſex Juliorum Romanorum: ideòque Chriſtus argenteis triginta venditus, non pluris quàm centum octoginta Juliis, ſeu decem & octo ſcutis Romanis æſtimatus fuit. Hæc opinio videtur veriſimilior, quia in medio conſiſtens.

Nec enim viliſſimum pretium pro Chriſto obtuliſſe Judæ Judæi credendi ſunt, ſive quia Judas avarus ac pecuniæ cupidus non ſtatim, ut fecit, acquieviſſet, ſive quia erat pretium pro capiendo & occidendo homine, cujus vitam tollere toto ſtudio conabantur: neque etiam pretium ſupremum; cùm enim Judæi parvi facerent Chriſtum, vocantes eum *Filium fabri*, & continuò per contemtum dicentes: *Quis eſt hic?* vitam ejus non pluris æſtimaſſe, quàm vitam ſervi credendi ſunt; vita autem ſervi ſecundùm Legem triginta ſiclis reputabatur: unde Exodi 21. v. 32. ſtatuitur, quòd ſi bos ſervum vel ancillam invaſerit & occiderit, Dominus bovis triginta ſiclos Domino ſervi vel ancillæ dabit. Tanti ergo vita ſervi ſecundùm Legem pendebatur, ad quam credibile eſt reſpexiſſe Judæos, dum Judæ pro venditione Chriſti pretium conſtituerunt.

XI. Neque obeſt id, in quo magnam vim facit Baronius, nimirùm quòd ex proditionis pretio à proditore projecto emtus fuerit ager, quaſi tam vili ſumma emi non potuiſſet. Nam pretium triginta florenorum ſeu argentorum non videtur nimis exiguum, cum Jeremiæ 32. v. 9. habeatur Hanameelem pro agro appendiſse *argentum ſeptem ſtateres* (ſeu ſiclos) *& decem argenteos*: maximè cùm non conſtet, quantus ager fuerit, & an totus vel ſolùm pars eâ emtus pecuniâ, & longè conſtet fuiſse tunc majorem pecuniæ caritatem, quàm modò. Accedit, quòd ager ille ſterilis erat, utpotè ager figuli, ex quo non aliud, quàm argilla ad figulorum uſum pro vaſis conſtruendis percipiebatur, nec ad alium uſum emtus fuit, quàm ſepulturæ peregrinorum.

XII. Neque ſimiliter obeſt, quòd Romæ in Eccleſia S. Crucis dictæ in Jeruſalem, Pariſiis, & alibi, quidam aſserventur nummi dicti ex illis eſse, quos proditor projecit in Templo, habentes hinc effigiem hominis, illinc floſculum, qui tamen ad valorem duorum Juliorum vix pertingunt. Nam hoc adhuc da-

 to,

to, non haberetur intentum. Quis enim id nobis certò definiet, triginta argenteos eadem ſpecie fuiſse ſolutos, ut ſinguli ſiclus eſsent, & non potiùs multiplicatis inferioribus nummis integram illi ſummam fuiſse ſolutam? Certè poſſum dicere, me triginta ſcutis rem aliquam emiſse, etſi non in ſpecie ſcuti argentei, ſed in Juliis, ſive alia inferiori moneta eam ſummam dederim.

§. II.

Alia de Juda proditore examinantur.

XIII. Si quæratur, qua de cauſa Judas Chriſtum prodiderit; Hac in re Cajani hæretici, ſeu *Cainani* ſeculo ſecundo ſic dicti, quia Cain fratricidam colerent ac venerarentur, dicebant, cauſam, qua motus fuit Judas ad tradendum Chriſtum fuiſse deſiderium ſalutis humani generis, quam ex morte Chriſti obventuram eſse præſciebat, ideòque illum Judæis occidendum tradidiſse; unde Judam benè egiſse aſserebant, eumque colebant, tanquam qui humanæ ſaluti, quæ non aliâ viâ, quàm ipſius opera ac miniſterio erat promovenda, ultimam manum appoſuerit. Ita S. Auguſtinus lib. de hæreſ. cap.18. de Cajanis: *Judam*, inquit, *traditorem Divinum aliquid putant, & ſcelus ejus beneficium deputant, aſſerentes, eum præſciſſe, quantùm eſſet generi humano Chriſti paſſio profutura, & occidendum Judæis propterea tradidiſſe*. De Cajanis idem ſentiunt Irenæus lib.1. adversùs Hæreſes cap. ultimo, & Tertullianus lib. de Præſcript. adversùs Hæret. cap.47., quod & Philaſtrius hæreſ.35. (quamvis de aliis à Cainiſtis) his verbis: *Alii autem ab Juda traditore inſtituerunt hæreſim, dicentes, bonum opus feciſſe Judam, quòd tradiderit Salvatorem. Hinc enim, inquiunt, nobis omnis ſcientiæ bonæ auctor extitit, per quem cœleſtia nobis myſteria manifeſtata ſunt. Virtutibus etenim in cœlo nolentibus pati Chriſtum & ſcientibus, quòd ſi fuerit paſſus, vitam hominibus donaturus ſit. Hoc ſciens, inquit, Judas, quòd ſi fuerit paſſus Chriſtus, ſalutem hominibus allaturus eſſet, hinc tradidit Salvatorem*. Ita hi ſtulti ex ſceleſto proditore Chriſti Juda faciebant Virum ſanctum, & humanæ ſalutis promotorem contra malos Angelos, quos ex invidia tantum bonum toto conatu impedire ſupponebant.

XIV. Verùm fœdiſſimum & prorsùs abominabile ſcelus, contra quod cœlum & terra in æternum clamabunt, tradendo Chriſtum admiſiſse Judam, certo certius eſt.

Ad

Ad Judam namque prophetico ſpiritu reſpexit David Pſalm.108. dum ait: *Conſtitue ſuper eum peccatorem & Diabolus ſtet à dextris ejus. Cum judicatur exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus pauci, & Epiſcopatum ejus accipiat alter* &c. quæ de Juda proditore prædicta intellexit S. Petrus Act.1. A dextris ejus ſtetit Diabolus, eo enim inſtigante proditionem concepit ac patravit, Joan.13. v.2. *Cùm Diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iſcbariotæ*: & v.27. *Poſt buccellam introivit in eum Satanas*. Oratio ejus facta fuit ei in peccatum, quia licèt Judam pœnituerit, attamen pœnitentia nihil ei profuit, ſed ipſum traxit ad laqueum & damnationem. Peccavit ergo Judas: & quantùm peccaverit oſtendit Chriſtus ipſe Matth. 26. v. 24. quando dixit: *Væ autem homini illi, per quem Filius Hominis tradetur: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*: & majus fuiſſe peccatum Judæ, quàm Pilati & aliorum, declarat Joan.19. v.11. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*.

XV. Neque quòd Judas tradendo Chriſtum videatur impleviſſe conſilium Dei de noſtra per Chriſti mortem ſalute, excuſatur à crimine, ac laudandus potiùs, ut præfati Hæretici effutiebant. Aliud enim fuit conſilium Dei, alia intentio Judæ. Audiatur Chryſoſtomus hom.82., modò 81. in Matth. *Verùm dicat quiſpiam: ſi ſcriptum eſt, Chriſtum ita paſſurum eſſe, cur accuſatur Judas? Nam quæ ſcripta erant perfecit. At non hoc illo animo fecit, ſed ex ſcelere. Niſi autem animum exploraveris, ipſum Diabolum à crimine liberabis.... Neque enim Judæ proditio ſalutem nobis operata eſt, ſed Chriſti ſapientia, qui mirâ ſolertiâ aliorum ſceleribus ad ſalutem noſtram eſt uſus. Quid ergo, inquies, ſi Judas non prodidiſſet, an non alius proditurus erat? Et quid hoc ad rem quæſitam? Si crucifigi oportebat Chriſtum, inquies, per quendam oportebat: ſi per quendam, per hominem hujuſmodi procul dubio. Si porrò boni fuiſſent omnes, hinc cohibitum fuiſſet ſalutis noſtræ negotium. Abſit*. Inde procedit oſtendendo, alia non defutura Divinæ Sapientiæ conſilia: & permiſiſſe Judam ſicut & alios improbos naſci; quia ſi mali ſunt, non neceſſitate, ſed voluntate mali fiunt: *Quis enim* (addit S. Auguſt. lib. de Unit. Eccleſiæ cap. 9.) *dubitaverit, quòd Judas Chriſtum, ſi voluiſſet, non utique tradidiſſet: & Petrus ſi voluiſſet, ter Dominum non negaſſet? Sed ideò fuit de iſtis certa prædictio, quia & Deus etiam futuras prævidet voluntates*.

XVI. Quomodo autem nequitiâ Judæ ad bonum uſus ſit Deus, tradit idem S.Aug. Tract.27. in Joan., ubi ait, quòd *ſicut ini-*

iniqui malè utuntur bonis operibus Dei, nam lingua, manus, pedes ſunt bona opera Dei; & tamen iniqui eis malè utuntur ad ſcelera perpetranda: *Sic contra Deus benè utitur malis operibus hominum iniquorum*: & infra: *Omnibus ergo bonis Dei, ne per ſingula currere longum ſit, malè utitur malus: contrà: malis hominum malorum benè utitur bonus. Et quid tam bonum, quàm unus Deus?... Quantò ergo ille melior, tantò meliùs utitur & malis noſtris. Quid Juda pejus? Inter omnes adhærentes Magiſtro, inter duodecim, loculi illi commiſſi ſunt, & diſpenſatio pauperum diſtributa: ingratus tanto beneficio, honori tanto, accepit pecuniam, perdidit juſtitiam, tradidit vitam mortuus; quem ut Diſcipulus ſecutus, ut inimicus perſecutus eſt. Totum hoc malum Judæ, ſed malo ejus benè uſus eſt Dominus. Tradi ſe pertulit, ut redimeret nos. Ecce malum Judæ in bonum converſum eſt. Satanas quantos Martyres perſecutus eſt? Si Satanas perſequendo ceſſaret, hodie tam glorioſam coronam S. Laurentii non celebraremus. Si ergo ipſius Diaboli malis operibus benè utitur Deus; quod facit malus malè utendo, ſibi nocet, non bonitati Dei contradicit*. Et Tract. 113. *Judas*, inquit, *non laudabilis utilitate traditionis hujus, ſed ſceleris voluntate damnabilis*.

XVII. Ex his apparet, cur licèt Judas tradendo Chriſtum fecerit id, quod fecit Pater & ipſe Chriſtus, malè tamen fecit, quia non eodem animo & voluntate fecit. Pater, teſte Paulo Rom. 8. v. 32. *pro nobis omnibus tradidit ipſum*: Chriſtus, eodem teſte Galat. 2. v. 20. *tradidit ſemetipſum pro me*. Unde S. Auguſt. in Pſal. 65. *Si ergo*, inquit, *Pater Filium tradidit, & Filius ſemetipſum tradidit, Judas quid fecit?* Reſpondet: *Pater tradendo Filium ad mortem pro nobis, benè fecit: Chriſtus tradendo ſe ipſum pro nobis, fecit benè: tradendo Judas Magiſtrum pro avaritia ſua, fecit malè*: & in Pſalm. 93. *Si traditio Chriſti, & non tradentis animus conſiderandus eſt, hoc fecit Judas, quod fecit Deus Pater, de quo ſcriptum eſt, quod Filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Hoc fecit Judas, quod fecit ipſe Dominus Chriſtus, de quo ſcriptum eſt, qui ſe ipſum tradidit pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. Et iterum, ſicut Chriſtus, inquit, dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea. Et tamen gratias agimus Deo Patri, qui unico Filio non pepercit, ſed pro nobis tradidit eum: gratias agimus ipſi Filio, qui ſe ipſum tradidit pro nobis, & in eo voluntatem Patris implevit: & deteſtamur Judam, de cujus facto nobis tantum beneficium præſtitit Deus, & rectè dicimus, reddidit ei Dominus ſecundùm iniquitatem ejus, & ſecundùm malitiam ejus diſperdidit eum. Non enim ille pro nobis tradi-*

didit illum, ſed pro argento, quo vendidit eum, quamvis traditio Chriſti ſit noſtra receptio, & venditio Chriſti ſit noſtra redemtio. Sic & illi, qui Martyres perſecuti ſunt, perſequendo in terra, in cælum mittebant, & ſcientes quidem præſentis vitæ damnum inferebant, neſcientes autem futuræ vitæ lucrum conferebant. Hactenùs S. Auguſtinus & quidem perdoctè, ut de more. Quæ omnia perſtrinxit S. Thomas 3. p. q. 47. ar. 2. ad 3. his verbis: *Eadem actio diverſimodè judicatur in bono vel in malo, ſecundùm quod ex diverſa radice procedit. Pater enim tradidit Chriſtum, & ipſe ſemetipſum ex caritate; & ideò laudantur: Judas autem tradidit ipſum ex cupiditate, Judæi autem ex invidia, Pilatus ex timore mundano, quo timuit Cæſarem; & ideò ipſi vituperantur.*

XVIII. Cauſa igitur, quæ movit Judam ad Chriſti venditionem fuit inordinata pecuniæ cupiditas ſeu avaritia, & hæc fuit ejus peccatum. Conſtat hoc ex Evangeliis Matthæi c. 26., ubi indignatus Judas, quòd Chriſtus permiſerit effuſionem unguenti, quod putabat ipſe potuiſſe venundari, ex cujus venditione ſperabat ſibi partem retinere. Nec enim, ut declarat Joannes cap. 12., ſollicitus erat pro pauperibus, ſed pro ſe ipſo: *Non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat*: quid fecit? ait Matthæus ibi v. 14. *Abiit ... ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Non quæſitus, ſed ſpontè inſana pecuniæ cupiditate abreptus ſe obtulit Magiſtri ſui proditorem. Hinc Judam avaritiæ omnes accuſant Patres: Auguſtinus, ut ſupra vidimus, quod repetens in Pſ. 63. *Illa*, inquit, *avaritia, quæ captivavit Diſcipulum comitem Chriſti, captivavit & militem cuſtodem ſepulchri: Damus, inquiunt, vobis pecuniam, & dicite, quia vobis dormientibus, venerunt Diſcipuli ejus, & abſtulerunt eum.* Cyrillus Hieroſol. Catecheſi 23. Myſtagogica 5., ait: *Judas fuit, qui in avaritiæ tentationem ingreſſus, non enatavit, ſed ſubmerſus corpore & ſpiritu ſuffocatus eſt.* Chryſoſtomus Homil. 64. in Joan., Leo Magnus ſerm. 9. de Paſſione cap. 4. *Hoc*, inquit, *perfidus Judas inebriatus veneno, dum ſitit lucrum, pervenit ad laqueum, & tam ſtultè impius fuit, ut triginta argenteis & Dominum venderet & Magiſtrum.* Ita alii Patres. Addit S. Auguſtinus in Pſalm. 108., Judam nec rectè de Chriſti Divinitate ſenſiſſe, putabat enim, ſe Chriſtum fallere, quando ea, quæ mittebantur, de loculis auferebat.

XIX. Sed difficultas eſſe poteſt primò: Si Chriſtus ſciebat, Judam eſſe pecuniæ avidum & furem, cur ipſe eum conſtituit pecuniæ depoſitarium & diſpenſatorem?

Reſpondeo, rem arcanam eſſe; ſi tamen aliquid conjicere li-

licet, Chriſtus hoc fecit, ut ejus cupiditatem cohiberet. Ita S. Joann. Chryſoſtomus Homil. 64., modò 65. in Joan. dicens: *Quòd ſi quis quærat, cur furi loculos pauperum commiſerit, & avarum diſpenſatorem fecerit? Reſpondebimus, rem arcanam unum noſſe Deum. Quòd ſi quidpiam ſit conjecturando dicendum, ut omnem auferret excuſationis cauſam. Non enim dicere poterat, ſe ex pecuniarum amore id feciſſe, cùm poſſet cupiditati ſuæ ex loculis facere ſatis, ſed ex ingenti nequitia, quam volebat Chriſtus cohibere, indulgentiâ erga illum multâ uſus. Quamobrem illum furantem non arguebat, etſi non neſcius, ejus malam obſtruens cupiditatem & omnem auferens excuſationem*: ut ſcilicet ejus animum à proditione deterreret, ipſum admonens & omnia faciens, ut animum ejus emolliret. S. Auguſtinus de Opere Monachorum cap. 5. dicit, quod *Loculos Judæ commendavit, ut etiam fures ſi evitare non poſſemus, tolerare in Eccleſia diſceremus*. Toleravit Chriſtus Judam, eumque à proditione ex parte ſua deterruit, ſed ille ex prava ſua voluntate locum dare voluit Diabolo potiùs, quàm Chriſto: unde S. Auguſtinus in Pſalm. 136. *Quomodo autem*, inquit, *Diabolus intravit in cor Judæ, ut traderet Dominum? non autem intraret, niſi ille locum daret*.

XX. Difficultas eſſe poteſt ſecundò: Quomodo Chriſtus Judam à proditione cohibuit, cum potiùs ad illam accelerandam impulerit dicens Joan. 10. v. 27. *Quod facis, fac citiùs?*

Reſpondet S. Thomas in cap. 13. Joan. Lect. 5., quòd hæc *verba non ſunt præcipientis ſeu conſulentis, cùm peccatum cadere non poſſit ſub præcepto & conſilio Divino... ſed ſunt verba permittentis. Nam Diabolus miſerat in cor Judæ, ut traderet eum, ſcilicet Jeſum, quod jam tractaverat cum Principibus. Sed implere non poterat, niſi ipſe Chriſtus permitteret: quia ſupra c. 10. v. 18.*,, Nemo tollit animam meam,, &c. *Et Iſaiæ 53. v. 7.*,, Oblatus eſt, quia ipſe voluit,,. *Sunt etiam verba crimen proditionis exprobrantis, ut oſtenderet, quòd dum ille conferret beneficia, iſte intentaret mortem... Sunt etiam verba ad opus noſtræ redemtionis anhelantis (ut Auguſtinus dicit) non tamen præcepit facinus, ſed prædixit, non tam in perniciem perfidi ſæviendo, quàm ad ſalutem Fidelium feſtinando*. Ita S. Thomas.

Audiamus S. Auguſtinum Tract. 62. in Joann., ex quo S. Thomas locutus eſt,,. Quod facis, *inquit*, fac citiùs,, *Non præcepit facinus, ſed prædixit Judæ malum, nobis bonum. Quid enim Judæ pejus, & quid nobis melius, quàm traditus Chriſtus, ab illo adverſùs illum, pro nobis præter illum?*,, Quod facis, fac citiùs,, *O verbum libentiùs parati, quàm irati! o verbum non tam pœnam expri-*

exprimens proditoris, quàm mercedem ſignificans Redemtoris! Dixit enim ,, Quod facis, fac citiùs ,, *non tam in perniciem perfidi ſævientis, quàm ad ſalutem Fidelium feſtinando, quia traditus eſt propter delicta noſtra & dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea. Unde & de ſe ipſo dicit Apoſtolus; qui dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me. Niſi ergo ſe traderet Chriſtus, nemo traderet Chriſtum. Quid habet Judas, niſi peccatum? Neque enim in tradendo Chriſto ſalutem noſtram cogitavit, propter quam traditus eſt Chriſtus, ſed cogitavit pecuniæ lucrum, & invenit animæ detrimentum; accepit mercedem, quam voluit, ſed nolenti eſt data quam meruit. Tradidit Judas Chriſtum, tradidit Chriſtus ſeipſum: ille agebat negotium ſuæ vendicationis, iſte noſtræ redemtionis* ,, Quod facis, fac citiùs,, *non quia tu potes, ſed quia hoc vult, qui totum poteſt.*

XXI. Voluntatem Chriſti tradendi ſe pro noſtra ſalute non eſt remoratus Judas: feſtinus abiit ad Sacerdotes, & acceptâ ſatellitum cohorte eâdem nocte, in augmentum perfidiæ ſub amici ſpecie ad Chriſtum accedens, oſculo eum tradidit in eorum manus. Porrò quid deinceps actum ſit, inferiùs examinabitur. Judas tandem patrati ſceleris enormitatem cognovit; unde S. Matthæus cap. 27. v. 3. *Tunc*, inquit, *videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet, pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus, dicens: Peccavi tradens Sanguinem juſtum. At illi dixerunt: quid ad nos? tu videris: & projectis argenteis in Templo, receſſit; & abiens laqueo ſe ſuſpendit: Et* (ut addit S. Petrus Act. 1. v. 18.) *ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus.* Is, qualem meruerat, fuit exitus proditoris. Videndum breviter eſt, quando hoc contigerit, & qualis fuerit hæc Judæ pœnitentia, quæ non ad ſalutem, ſed ipſum duxit ad laqueum.

XXII. Circa primum, quando nimirùm Judas pœnitentiâ ductus ad Principes Sacerdotum pecuniam retulerit, & ad laqueum feſtinarit, variæ ſunt opiniones. Auctor Quæſt. Novi Teſt. (olim ſub Auguſtini nomine) q. 94. vult, totum hoc accidiſſe poſt Chriſti mortem, ait enim: *Occupatis ergo eis ad necem Domini à mane uſque ad horam nonam, quomodo Judas eis retuliſſe pretium Sanguinis, quod acceperat, ante crucem Domini probatur, & dixiſſe illis in Templo, peccavi, quòd tradiderim Sanguinem juſtum? cùm conſtet utique, omnes Principes & Sacerdotes ante paſſionem Domini non fuiſſe in Templo; quippè cùm etiam in Cruce poſito inſultarent ei.* Exiſtimat auctor iſte, infelicem proditorem non ſtatim pœnituiſſe, aut argenteos pretium iniquitatis projeciſſe, nec ſtatim ad laqueum cucurriſſe, ſed ſolùm poſt viſa, quæ

in Chriſti morte facta ſunt prodigia. Sed hæc ſingularis opinio non ſubſiſtit, ut dicam. At Græci Auctores, Œcumenius in Act. Apoſt. cap., Euthymius in cap. 26. Matth., & Cedrenus apud Baron. ad ann.34. num. 24. ex Papia, ut ajunt, ejuſmodi de interitu Judæ narrant hiſtoriam: nempè quòd Judas ſuſpendio vitam non finivit, ſed à ſuſpendio dejectus fuit, priuſquam ſuffocaretur; & hoc ad magnum impietatis exemplum. In tantum enim corpore inflatus fuit, ut progredi non poſſet, cùmque currus levi curſu pertranſiret, curru compreſſus eſt, ut ejus inteſtina effunderentur. Hanc hiſtoriam alii aliter narrant: Judam nempè adeò inflatum manſiſſe in capite & oculis, ut nulla arte poſſent aperiri. Porrò ſanies & vermes toto ejus corpore confluentes ferebantur egredientes per ſola ſecretiora loca. Tandem poſt multa tormenta & ultiones, cùm in ſuo prædio mortuus eſſet, præ fœtore illud deſertum permanſit, & inhabitatum uſque ad hodiernum diem: ſed neque ad hoc uſque tempus locum illum quiſquam præterire poteſt, niſi obturatis manu naribus. Sed hæc an Papiam auctorem habuerint, an Apocryphorum ſomnia ſint, prudentis judicio relinquo. Hoc certum eſſe debet, quòd ſi ſtemus, ut ſtandum eſt, narratis in Sacris Litteris, Judas ante Chriſti mortem deſperatione ductus, ad Sacerdotes proditionis pretium retulit, inde ad laqueum tranſiens, in illo vitam finivit & crepuit medius, ut dicunt Matthæus cap. 27., & Act. 1. Petrus. Quo enim impetu patrati flagitii horror ad reddendos nummos eum impulit, eodem ad ſui necem adegit. Ita Patres omnes ſenſerunt. An verò hæc contigerint poſt Pilati ſententiam, an verò ante, dum Sacerdotum Principes illam à Pilato extorquere conabantur, diſputant aliqui. Si ordinem Matthæi teneamus, ante Pilati ſententiam hæc omnia eveniſſe dicendum eſt: ait enim cap.27. v.2. *Et vinctum adduxerunt eum* (Jeſum) *& tradiderunt Pontio Pilato Præſidi*: deinde ſtatim ſubdit: *Tunc videns Judas, quod damnatus eſſet*, ideſt ut exponit S. Hieronymus in dictum Caput, *Videns Judas Dominum adjudicatum morti, pretium retulit Sacerdotibus*. Ex quo deducunt aliqui, Judam, qui ex argenti cupiditate, non odio, Chriſtum tradiderat, non tradidiſſe eum animo, ut occideretur, ſed fortè exiſtimaſſe, quód vel in exilium mitteretur vel detineretur in carcere, ne Populum commoveret.

XXIII. Pœnitentiam Judæ fuiſſe abſque ulla utilitate, quia illum duxit ad laqueum, non ad Deum, dicit S. Chryſoſtomus Homil.86., modò 85. in Matth.: ideò autem quia de indulgentia deſperavit; unde S. Auguſtinus Homil. 27. inter 50. (mo-

dò ſerm.352.) *Judam, inquit, traditorem, non tam ſcelus, quod commiſit, quàm indulgentiæ deſperatio fecit penitùs interire*. Et in Pſal.146. dicit, quòd Judas Deum timuit, ſed nihil ei profuit, quia non ſperavit. Origenes Tract.35. in Matth., & Theophylactus dicunt, quòd cùm Dominum jam mortis damnatum Judas audiſſet, ſeque veniæ hìc obtinendæ omnino imparem cogitaſſet, ad mortem properavit, ut morituro Domino moriens ipſe præiret, eumque, à quo veniam poſtularet, in altera vita opperiretur.

XXIV. Arborem illam, in qua Judas ſe ſuſpendit, fuiſſe ficum, Juvencus Poeta cecinit:

Exorſuſque ſuas laqueo ſibi ſumere pœnas
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Beda etiam de Locis Sanctis cap.4. in eandem ſententiam ſcribit: *Portam David egredientibus fons occurrit in Auſtrum per vallem directus, ad cujus medietatem ab occaſu Judas ſe ſuſpendiſſe narratur: nam & ficus magna ibi & vetuſtiſſima ſtat, juxta quod Juvencus ait* &c. Nec mirum ſubdit Baronius ad ann. Chriſti 34. num.75., adhuc Bedæ temporibus ficum illam fuiſſe ſuperſtitem; nam de ficu Romulea, Nerone tertiùm & Meſſala Conſulibus, in trunco & ramis areſcente, hæc ſcribit Tacitus Annal. lib.3. in fine: *Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quæ per octingentos & quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus & areſcente trunco diminutam, prodigii loco habitum eſt, donec in novos fœtus reviviſceret*. Ficus ſanè arbor infauſta: ejus frondibus veſtes ſibi conſuiſſe poſt peccatum primos hominum parentes, ſcimus Gen.3.v.7. Hanc ſterilem inventam Jeſus cùm eſuriret diris devovit, & illa ſtatim exaruit. Non ergo eſt incredibile, quòd in arbore maledicta Judas æternam ſuam maledictionem deſperatus quæſierit & invenerit.

XXV. Ager figuli, quem, pretio venditionis Jeſu Chriſti à Juda in Templum projecto *Haceldama* dictum, Sacerdotes emerunt, indignum judicantes, pretium Sanguinis in uſus Loci Sancti impendere, ad meridiem Montis Sion jactu lapidis à piſcina Siloe extare fertur, quem parietes 70. cubitorum longitudine & 50. latitudine circuunt, qui cooperiuntur deſuper fornice ſeptem foraminibus in ſuperiori parte patente, unde cadavera demittuntur in ſolum intra 24. horarum, vel ut alii dicunt, tridui aut quatridui ſpatium reſolvenda: ſalinis enim & ſummè acribus ſpiritibus, carni proinde ſolvendæ aptiſſimis, terram illam fœtam eſſe oportet. Fornicem hunc curante Helena Imperatrice erectum ferunt, adduntque ejus juſſu è terra illa plures

onerarias naves Romam tranſvexiſſe, quæ è regione Montis Vaticani depoſita, adhuc vim ſuam cadavera ſolvendi ſervat, vulgò dicitur *Campo Santo*: ſed de his fidem non facio. Ager ille S. Hieronymi ætate ad meridiem Hieroſolymis adhuc oſtendebatur: ait enim lib. de Locis Hebraicis: *Aceldama ager ſanguinis, qui hodieque monſtratur in Elia ad Auſtralem plagam Montis Sion*. Locus anguſtiſſimus erat, ideòque, ut ſupra dictum eſt, ſolis triginta argenteis, maximè cùm ulterius ſterilis eſſet, emi potuit. In hunc agrum cadaver Judæ omnium primum illatum fuiſſe, ex Rabano Mauro plures narrant (hoc tamen in Rabano reperire, ſibi nunquam licuiſſe, dicit Calmet verbo Ager figuli) ſed Judam in ſuo ſepulchro, ſeu veriùs in ſua æterna maledictione relinquamus.

§. III.

Petri Negatio.

XXVI. Chriſto proditorii oſculi ſigno à Juda tradito, & à militibus comprehenſo, Petrus adhuc fidelis Diſcipulus, evaginato gladio accurrit, & Malchum ſervum Principis Sacerdotum invadens, ejus auriculam dexteram abſcidit. At Jeſus tumultum compeſcens, & Petrum cohibuit, & Malcho amputatam aurem reſtituit: Poſt hæc ſubdit Marcus cap. 14. v. 5. *Tunc Diſcipuli ejus relinquentes eum omnes fugerunt. Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum. At ille rejecta ſindone nudus profugit ab eis... Petrus à longè ſecutus eſt eum* &c.

XXVII. Quæri hic poteſt, quis fuerit ille adoleſcens amictus ſindone, qui ſequens Jeſum, & à militibus detentus, rejecta ſindone nudus profugit. Voluerunt quidam, hunc fuiſſe Jacobum fratrem Domini cognomento Juſtum, eâ potiſſimùm ratione adducti, quòd Hegeſippus de eo ſcripſerit, atque alii teſtati ſint, ipſum amictum ſindone incedere ſolitum fuiſſe. Sed hoc non videtur ſuſtineri poſſe. Nam qui amictus ſindone fugit, dicitur à Marco *Adoleſcens quidam*; tantùm autem abeſt, ut Jacobus tunc temporis fuerit adoleſcens, ut potiùs annum ſupra ſexageſimum ageret. Cùm enim Epiphanius hæreſi 78. teſtetur, ipſum fuiſſe ætatis annorum nonaginta ſex, cùm martyrium conſummavit, & poſtquam teſte Hieronymo Eccleſiam Hieroſolymitanam triginta annis rexerat, & hoc contigerit anno Neronis ſeptimo (ut Joſephus, Euſebius & Hieronymus dicunt) qui an-

annus eſt Domini ſexageſimus tertius; apparet, eum triginta tribus annis Domino fuiſſe majorem, & ſexaginta tres annos egiſſe, cùm Chriſtus captus fuit & occiſus, ideòque adoleſcentis nomine indicari eum non potuiſſe.

XXVIII. Communiùs ergo creditur, adoleſcentem illum fuiſſe Joannem Evangeliſtam cœnatoria veſte adhuc indutum, quæ linea erat. Ita ſentiunt Ambroſius in Pſalm. 36., S. Gregorius lib. 14. Moral. cap. 23. modò 49., Beda in Marcum c. 14., & alii plures, quos ſequitur Baronius ad ann. 34. num. 68. dicens, credibile eſſe, hunc Diſcipulum Jeſu amantiſſimum, cùm Judæ proditionem cæteris manifeſtiùs cognoviſſet, mœrore ſummo affectum, nec de veſtibus reſumendis, ſed de Chriſto ſolo cogitantem, cùm eſſet nox, ſola ſindone, ut erat in Cœna, indutum, ad hortum fuiſſe Chriſtum ſecutum. Alii tamen ſentiunt, S. Joannem capto Domino non fugiſſe, ſed unà cum Petro ipſum ſecutum fuiſſe à longè, & cùm eſſet notus Pontifici introduxiſſe Petrum in atrium illius: de S. Joanne intelligentes id, quod ipſe ſcripſit Joan. 18. v. 15. *Sequebatur autem Jeſum Simon Petrus & alius Diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus Pontifici, & introivit cum Jeſu in atrium Pontificis*. Ita ſentiunt S. Joan. Chryſoſtomus homil. 66. modò 65., & homil. 85. modò 84. in Matth., & homil. 82. modò 83. in Joan. ad illa verba „ Sequebatur autem Petrus & alius Diſcipulus „ ait: *Quis eſt alius Diſcipulus? Qui hæc ſcripſit: & cur ſe non nominat? Nam cum ſupra pectus Jeſu recubuit, jure nomen occultat. Nunc autem cur idipſum facit? Eadem certè de cauſa. Nam hìc quoque rem præclaram narrat, quòd nempè omnibus aufugientibus, ipſe ſequeretur. Ideò nomen tacet ſuum, & Petrum priorem ponit, ſuique tamen meminiſſe coactus eſt, ut ediſcas, eum accuratiùs quàm alios, ea quæ in aula geſta ſunt enarraſſe, utpotè qui intus eſſet*. Ita etiam S. Hieronymus Epiſt. 16., modò 96. ad Principiam, qui dicit, Joannem notum fuiſſe Pontifici propter nobilitatem generis. Idem S. Thom. in cap. 18. Joann. Lect. 3., qui tamen dicit, Joannem fuiſſe notum Pontifici, quia pater ejus illi ſervus erat, vel aliquis ex conſanguineis ſuis; hoc tamen non dixit, ut vitaret jactantiam. Sanctus tamen Auguſtinus rem in medio relinquit: nam Tract. 113. in Joan. *Quiſnam*, inquit, *iſte ſit Diſcipulus* (qui nimirùm cum Petro ſequebatur Jeſum) *non temerè affirmandum eſt, quia tacetur. Solet autem ſe idem Joannes ita ſignificare & addere, quem diligebat Jeſus. Fortaſſis ergo & hìc ipſe eſt. Quiſquis tamen ſit, ſequentia videamus*.

Si ergo Auguſtinus rem hanc definire non vult, nec ego de-

definiam. Certè adoleſcens, qui ſola ſindone ſuper nudo indutus ſequebatur Jeſus, & qui detentus, rejecta ſindone aufugit nudus, non dicitur, quòd eſſet *Diſcipulus*, ſed ſolùm *adoleſcens quidam*: qui autem cum Petro ſequebatur Jeſum Diſcipulus vocatur: *& alius Diſcipulus*. Unde dato, quòd ille, qui cum Petro ſequebatur Jeſum, fuerit Joannes, non ſequitur, quòd idem fuerit, qui aufugit; quomodo enim ſequebatur, qui aufugerat? Neque eſt credibile, quòd qui ſolâ ſindone ſuper nudo amictus nudus aufugit rejectâ ſindone, fuerit Joannes vel alius Diſcipulus veſte cœnatoria indutus: non enim crediderim, Diſcipulos cum Chriſto diſcubuiſſe in Cœna ſola ſindone ſeu linteo ſuper nudo indutos, ſeù veriùs involutos. Accumbebant quidem in lectis, ſed, ut puto, veſtes ſaltem omnes, ut ſolo linteo involuti cœnarent, non abjiciebant. Quare non diſpliceret, quòd Tilmontius tomo 1. de S. Joan. Evang. Nota 3. proponit, nimirùm quòd adoleſcens ille fuerit aliquis, qui in domo vicina & in lecto ſpoliatus dormiens, & eo tumultu excitatus, linteo ſolo involutus illuc accurrens, ac à militibus detentus, dimiſſo in manus eorum linteo, nudus aufugerit. Sed principale quæſitum aggrediamur.

XXIX. Petrus ergo, alio Diſcipulo comite, ſive iſte fuerit Joannes ſive alius, ſecutus fuit Chriſtum uſque ad atrium Summi Sacerdotis: *Diſcipulus autem ille erat notus Pontifici, & introivit cum Jeſu in atrium Pontificis. Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exivit ergo Diſcipulus alius, qui erat notus Pontifici & dixit Oſtiariæ, & introduxit Petrum*. Ita Joan. 18. v. 15. & 16. Poſt hæc conſecuta eſt Petri Negatio, de qua hîc quæremus: & quidem primò: quinam fuerit numerus negationum Petri: ſecundò, an Petrus ſemel vel ter ante Galli cantum Chriſtum negaverit: tertiò, de peccato negationis Petri, ac de ejus pœnitentia.

XXX. Exordiamur à primo. Dubitatur ab aliquibus, quo in loco Petrus negaverit Chriſtum, an in domo Annæ, an Caiphæ. Putant aliqui, negationes Petri in domo Annæ contigiſſe, vel ſaltem primam, quia S. Joannes alias negationes narrat poſtquam dixerat, quòd Annas miſit Chriſtum ligatum ad Caipham. S. Auguſtinus Tract. 113. in Joann. ſentire videtur, trinam Petri negationem in domo Annæ cœpiſſe, & in eadem fuiſſe completam: quòd autem inter primam negationem & alias duas interpoſita ſit miſſio Jeſu ab Anna ad Caipham, factum eſt per recapitulationem: unde ait: *Sed cùm dixiſſet Evangeliſta, quòd eum ligatum miſerit Annas ad Caipham, reverſus eſt ad locum narrationis, ubi reliquerat Petrum, ut explicaret, quòd in domo An-*

Digitized by Google

Annæ de trina ejus negatione contigerat,, Erat autem, *inquit*, Simon Petrus ſtans & calefaciens ſe,, *Hoc recapitulat, quod ante jam dixerat, deinde quæ ſecuta ſunt junxit.*

Alii autem, quibus aſſentitur Baronius ad ann. Chriſti 34. num. 71., & cum eo uterque Janſenius, cenſent, omnes Petri negationes in domo Caiphæ contigiſſe; quia ex contextu Joannis habetur, quòd Diſcipulùs, qui cum Petro ſequebatur Jeſum, qui erat notus Pontifici, introivit cum Jeſu in atrium Pontificis; Petrus autem ſtabat ad oſtium foris, ſed inſtante Diſcipulo ab oſtiaria introductus, ad ejus interrogationem primò negavit, ſe Jeſu Diſcipulum: deinde ſtabat cum miniſtris ad prunas calefaciens ſe, ibique adhuc ſtans iterum & tertiò negavit. Ex quo ſequitur, omnia hæc in atrio Pontificis, qui tunc erat Caiphas, contigiſſe: unde ſtatim poſt ultimam negationem ſubjungitur: *Adducunt ergo Jeſum a Caipha in prætorium.* Neque obſtare videtur, quòd inter primam & alias duas negationes v.24. Joannes dicat: *Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem*: nam ut advertit Janſenius Yprenſis in cap.18. Joan., Conjunctio *Et* ponitur pro *autem*, & *miſit* pro *miſerat*; quemadmodum v.26. *Abſcidit* pro *abſciderat*: nam propter interruptam hiſtoriam negationum Petri, ad quam redire volebat, quædam neceſſariò erant repetenda: & ideò illam Chriſti miſſionem ad Caipham repetit, vel potiùs explicat, oſtendens, has negationes Petri contigiſſe, dum Jeſus ab Anna miſſus fuerat ad Caipham: & hanc ſententiam apertè docet S. Cyrillus, & ex aliis Evangeliſtis, maximè Matthæo, videtur colligi, omnes negationes Petri in domo Caiphæ contigiſſe. Utraque opinio probabilis eſt.

XXXI. Ad primum ergo quæſitum redeundo, certum eſt, Petrum ter & non pluries Chriſtum negaſſe. Ita enim prænuntiatum fuiſſe à Chriſto, referunt Matthæus cap.26. v.34. *Ter me negabis*, Marcus cap. 14. v. 30. *Ter me es negaturus*, Joannes cap.13. v.38. *Non cantabit Gallus donec ter me neges*: unde Sanctus Auguſtinus Tract. 113. in Joan. expoſitâ trinâ Petri negatione: *Ecce*, inquit, *medici completa eſt prædictio, ægroti convicta præſumtio. Non enim factum eſt, quod iſte dixrat, animam meam pro te ponam: ſed factum eſt, quod ille prædixerat, ter me negabis.* Trinam Petri negationem ex trina ejus confeſſione, quam poſtea edidit, probant Patres: idem Auguſt. Tract.123. in Joann. *Redditur*, inquit, *negationi trinæ trina confeſſio, ne minus amori lingua ſerviat, quàm timori, & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quàm vita præſens. Sit amoris officium paſcere Domini-*

cum

cum gregem, ſi fuit timoris indicium negare Paſtorem. Cyrillus lib. 12. in Joan. cap. 64. *Quoniam Petrus ter in tempore paſſionis negavit, jure nunc ab eo contra dilectionis confeſſio petitur, ut terna negatio æquali confeſſionis numero compenſetur.* S. Hieronymus Epiſt. 30., modò 8. ad Oceanum *Petrus trinam negationem trina confeſſione delevit*, & Epiſt. 46. modò 90. ad Ruſticum: *Petrus trinam negationem amaritudine abluit lacrymarum.* Idem ſentit Ambroſius lib. 2. de Sacram. cap. 7. Sed in re adeò certa diutiùs immorari non vacat.

Dubium ſupereſſe poteſt, à quibus ad hanc trinam negationem fuerit Petrus inductus, ob diverſum modum loquendi Evangeliſtarum. Nam S. Matthæus cap. 26. dicit, eum primò & ſecundò negaſſe duabus ancillis eum interrogantibus; tertiò autem ab iis, qui ſtabant interrogatum. Idem ferè dicit Marcus cap. 14.. Lucas cap. 22. primò quidem dicit, eum negaſſe interrogante ancillâ, ſed ſecundò & tertiò interrogante alio atque alio. S. Joannes verò dicit, eum negaſſe primò, interrogante ancillâ, ſecundò interrogantibus pluribus, tertiò interrogante cognato ejus, cujus Petrus abſciderat auriculam. Sed hanc dubitationem tollit S. Thomas in cap. 18. Joan. Lect. 4. dicendo, quòd Petrus interrogatus à ſola ancilla negavit primò; inde egreſſus foras & iterum rediens ab alia ancilla interrogatus fuit; ſed non ſolâ; cum enim tunc ſtaret Petrus cum Miniſtris ad ignem, ab his etiam, quibus ipſa dixerat, ſimul interrogatus, negavit ſecundò. Tandem cognato ejus, cujus auriculam Petrus abſciderat, teſtimonium perhibente, interrogantibus aliis, qui aderant, negavit tertiò. Quibus omnia componuntur.

XXXII. Secundum quæſitum facilè ſolvitur, dicendo, ante primum Galli cantum Petrum ſemel negaſſe Chriſtum, iterum & tertiò ante ſecundum. Hoc expreſsè diſtinxit Marcus c. 14., ubi narratâ primâ Petri negatione, ſubjungit: *Et exiit foras ante atrium, & Gallus cantavit*: deinde narratâ ſecundâ & tertiâ addit: *Et ſtatim Gallus iterum cantavit*: unde S. Auguſtinus lib. 3. de Conſ. Evang. cap. 6., ait: *Galli autem cantum poſt tertiam negationem ſecundum intelligimus, ſicut Marcus expreſſit.* Nec obeſt, quòd Matth. cap. 26. v. 34. abſolutè dicat: *Antequam Gallus cantet, ter me negabis*; tum quia trina Petri negatio, etſi poſt Galli cantum voce conſummata, toto tamen tempore ante Galli cantum corde & animo perfecta fuit; tum quia dum Sanctus Matthæus dicit: *Antequam Gallus cantet*, exponi debet, antequam Gallus cantum ſuum conſummaverit: dicitur enim Gallus bis cantare, ſemel media nocte, & iterum propè auroram,

& hic

Digitized by Google

& hic poſterior cantus eſt præcipuus, & quaſi complementum. Petrus ergo priorem negationem edidit ante priorem Galli cantum, hoc eſt circa mediam noctem; reliquas verò duas ante poſteriorem cantum, & hoc explicare voluit Marcus, quando dixit: *Antequam Gallus cantet bis, ter me negabis.*

XXXIII. Ad tertium quæſitum: fuere ex Patribus aliqui, qui Petrum à peccato excuſare conati ſunt. S. Hilarius cap. 32. in Matth. (advertens, Petrum dixiſſe: *Non novi hominem* Matth. 26. v. 72.) *Et verè*, inquit, *propè jam ſine piaculo hominem negabat, quem Dei Filium primus cognoverat.* Multa etiam in excuſationem Petri dicit S. Ambroſius lib. 10. in Lucam, & præcipuè, quòd interrogatus reſponderit, quia neſciret hominem: *Et benè*, inquit, *negavit hominem, quem ſciebat Deum.* Et quòd interrogatus, utrum ex Diſcipulis eſſet illius hominis, reſponderit, non ſum: *Non enim erat hominis Apoſtolus, qui erat Chriſti.* Quaſi abſolutè non negaret ſe noſſe Chriſtum, & ſe eſſe Diſcipulum Chriſti, ſed negaret ſe noſſe eum, & non eſſe Diſcipulum ejus, in ſenſu, quo interrogabatur, & qualem, qui interrogabant, eſſe exiſtimabant, nempè purum hominem, & non Filium Dei, qualem Chriſtum eſſe, ipſe confeſſus fuerat: quare in horum Patrum ſententia, Petrus uſus fuit æquivocatione & reſtrictione mentali; quod non licebat, tunc maximè, cùm agebatur de honore & gloria Chriſti, ideòque aperta ejus confeſſio ſine ſcandalo detineri aut cooperiri non poterat. Quapropter duo præfati Patres culpam Petri videntur quidem minuere, ſed non tollunt. Hilarius enim non dicit, Petrum fuiſſe ſine piaculo, ſed *propè ſine piaculo*, in eo tamen ex infirmitate carnis culpam agnoſcit, quam Petrus ipſe amariſſimè flevit. S. Ambroſius quoque eâdem ratione Petri negationem culpabilem fatetur, dicens: *Malo negaſſe Petrum, quam Dominum feſelliſſe*, qui nimirùm dixerat *Ter me negabis.* Unde cenſura, quâ hanc benignam interpretationem inurit Hieronymus in cap. 26. Matthæi, dicens: *Scio, quoſdam pio affectu erga Apoſtolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent, Petrum non Deum negaſſe, ſed hominem: & eſſe ſenſum, neſcio hominem, quia ſcio Deum. Hoc quàm frivolum ſit, prudens Lector intelligit: ſic defendunt Apoſtolum, ut Deum reum faciant*, nec Hilarium, nec Ambroſium afficere videtur, qui, ut dixi, Petrum à negatione penitùs non abſolvunt. Imo Ambroſius ibidem ſubdit: *Sed nos excuſamus, Dominus ipſe non excuſavit. Nec enim ſatis eſt involuta reſponſio confitentis Jeſum, ſed aperta confeſſio. Quid prodeſt verba involvere, ſi videri vis denegaſſe? Et ideò Petrus non de induſtria ſic re-*

ſpondiſſe inducitur, quia poſtea recordatus eſt, & tamen flevit. Maluit enim ipſe ſuum accuſare peccatum, ut juſtificaretur fatendo, quàm gravaretur negando. Vide S. Auguſtinum Tract. 66. in Joann., ubi graviter præſtringit eos, quia à peccato Petrum excuſare nituntur.

XXXIV. Peccavit ergo Petrus, & quidam graviter; tum quia Chriſtum negavit, negare autem Chriſtum ex objecto grave peccatum eſt; tum quia Chriſtum confeſſus non fuit in eis circumſtantiis, quibus eum confiteri tenebatur, cùm ageretur de honore & gloria Chriſti, juxta illud Lucæ 9. v. 26. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua*: tum quia protulit mendacium ac perjurium Chriſto injurioſum. Unde gravitatem peccati ſui Petrus ipſe cognovit, dum flevit amarè. Quare corrigendus eſt Origenes, qui Tract. 35. in Matth. concedit quidem, Petrum negaſſe Chriſtum, aſſerit tamen, eum non peccaſſe; quia non poterat non negare, cùm nondum accepiſſet Spiritum Sanctum: poterat enim, ſed non de ſuo aut viribus propriis, ſed de gratia Dei, quæ illi non deerat, ut poſſet. Non adfuit tamen illi gratia, quâ non negaret; ut diſceret, quàm inaniter de ſuo præſumſiſſet, quando ait Matth. 26. v. 33. *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor*. Non acceperat quidem Spiritum Sanctum, ut non deficeret, ſed ut poſſet non deficere, illum habebat; & ideò peccavit. Meritò igitur eum Tract. 113. in Joan. ſic increpat Auguſtinus: *Ubi eſt illa promittentis audacia, & de ſe plurimum præſidentis? Ubi ſunt verba illa, quando ait, quare non poſſum te ſequi modo? Animam meam pro te ponam? Hoccine eſt ſequi Magiſtrum, ſe negare Diſcipulum? Siccine pro Domino anima ponitur, ut hoc ne fiat, vox ancillæ formidetur? Sed quid mirum, ſi Deus vera prædixit, homo autem falſa præſumſit?* Inde oſtendens, Petrum negando ſe Diſcipulum Chriſti, negaſſe Chriſtum, quia negavit ſe eſſe Chriſtianum, concludit: *Negavit ergo ipſum, cùm ſe negavit ejus eſſe Diſcipulum. Quid autem aliud iſto modo, quàm ſe negavit eſſe Chriſtianum?* S. Joan. Chryſoſt. homil. 83., modò 82. in Matth. ait, quòd in Petro *Duplex crimen erat, & quòd contradixerit, & quòd ſe aliis antepoſuerit; tertium gravius adeſt, quòd totum ſibi adſcripſerit. His ut medeatur, lapſum evenire ſinit*, ut ſcilicet ex lapſu humilior fieret, nec de ſe ipſo confideret. Uno verbo: Petrum peccaſſe, dicunt omnes Patres, à quibus referendis abſtineo. Solùm affero S. Thomam, qui Quolib 9. ar. 14. hoc ita probat: *Abſque dubio Petrus peccavit mortaliter negando Chriſtum, quod quidem patet ex duobus. Primò, quia ne-*

negavit Fidem in loco, ubi periclitabatur, & ejus confeſſio requirebatur. Ore enim confeſſio fit ad ſalutem, ut dicitur ad Roman. 10. *in quo videtur, quòd ſit de neceſſitate ſalutis confeſſio fidei in caſu prædicto: & præcipuè mendacium in his, quæ fidei ſunt, eſt perniciosiſſimum, ſecundùm Auguſtinum in lib. de Mendacio. Secundò, quia defectui confeſſionis & mendacio addidit perjurium & blaſphemiam, quia ut dicitur Matth.* 26. ,, Cœpit deteſtari & jurare, quia non noviſſet hominem,, *quæ conſtat eſſe gravia peccata: unde Gloſſa dicit ibidem* ,, Tertiò cœpit deteſtari & jurare, quia non noviſſet hominem, quia perſeverare in peccato dat incrementum ſcelerum, & qui minima ſpernit, cadit in majora,,. Ita Sanctus Thomas.

XXXV. Nec valet dicere primò, peccatum per ſurreptionem eſſe veniale, ut patet in primis motibus, qui per ſurreptionem eveniunt; Petrum autem per ſurreptionem peccaſſe negando Chriſtum, quædam Gloſſa dicit. Secundò S. Leo ſerm. 9. de Paſſione Domini alloquens Petrum, ait: *Vidit in te Dominus non fidem victam, non dilectionem averſam, ſed conſtantiam fuiſſe turbatam*: & S. Bernardus lib. de diligendo Deo cap. 12. dicit, D. Petrum fuiſſe *compulſum, non quidem recedere ab amore Dei, cedere tamen aliquantulùm amore ſui*. Si ergo Petrus negando Chriſtum non habuit dilectionem averſam, ſi non receſſit ab amore Dei, non amiſit caritatem, & proinde nec peccavit mortaliter.

XXXVI. Nam reſpondeo ad primum ex S. Thom. Quolib. citato: *Quòd ſurreptio dupliciter accipitur: uno modo ſecundùm quòd opponitur deliberationi; & ſic primi motus dicuntur eſſe ſurreptitii: ſic Petrus ex ſurreptione non peccavit. Alio modo ſecundùm quod opponitur electioni: & ſic Petrus ex ſurreptione peccavit, quia non peccavit ex electione, quaſi ex certa malitia, ſed ex paſſione timoris. Talis autem ſurreptio non excuſat à mortali, ſicut patet in incontinente, qui fornicatur motus concupiſcentiâ, cùm tamen haberet propoſitum continendi.*

XXXVII. Ad ſecundam dico, SS. Leonem & Bernardum velle ſolùm, quòd Petrus non habuerit dilectionem averſam, & non receſſiſſe ab amore Dei per odium vel contemtum: receſſit tamen præferendo amorem ſui ab amore Dei, ſeu plus dilexit ſe ipſum, quàm Deum, quod eſt peccatum mortale contra caritatem: unde S. Thomas 2. 2. q. 24. ar. 12. ad 2. *Caritas*, inquit, *amittitur dupliciter: uno modo directè per actualem contemtum; & hoc modo Petrus caritatem non amiſit: alio modo indirectè, quando committitur aliquid contrarium caritati propter aliquam paſſionem*

concupiſcentiæ vel timoris ; & hoc modo Petrus contra caritatem faciens, caritatem amiſit, ſed eam citò recuperavit. Quare citato Quolib. 9. ar. 14. ad 2. ait, quòd *non fuit extincta ſecundùm prædeſtinationem Divinam, quæ ejus pœnitentiam præparabat, quamvis eſſet in ſe extincta ſecundùm actum*.

XXXVIII. Ex his infertur, quale fuerit peccatum Petri ; non enim fuit contra Fidem, ſed contra Caritatem, qua cùm debuiſſet plus amare Chriſtum, quàm ſe, & illum etiam cum diſpendio vitæ confiteri, plus amavit ſe, quàm Chriſtum ; dum timore amittendæ vitæ erubuit, ſe ejus Diſcipulum confiteri. Non peccaſſe contra Fidem patet ; quia non negavit diſſentiendo, ſed ſolum exteriùs negando : imo neque exteriùs negando, ipſum eſſe Deum aut Meſſiam ; ſed ſolùm ſe noſſe illum, aut ejus eſse Diſcipulum. Hoc autem peccatum directè eſt quidem contra externam confeſſionem Fidei, ſed non contra Fidem. Sicut qui exteriùs negaret, ſe eſſe Chriſtianum, non negaret Fidei veritatem, ſed in ejus confeſſione deficeret : unde S. Auguſt. Tract. 92. in Joann. ait : *Quæ utique* (caritas) *Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus, non potuit verum teſtimonium perhibere, ſed contra ſuam pollicitationem timore magno compulſus eſt ter negare. Timor autem iſte non eſt in caritate, ſed perfecta caritas foras mittit timorem* : & S. Gregorius lib 25. Moral. cap. 11. *Petrus*, inquit, *infirmitate peccavit, quando in eo omne robur Fidei, quod Domino perhibuit, una vox puellæ concuſſit, & Deum, quem corde tenuit, voce denegavit*.

XXXIX. *Sed quia*, ut ait S. Gregorius ibi, *infirmitatis culpa vel ignorantiæ, eò faciliùs tergitur, quò non ſtudio perpetratur* ; ideò vix tertiò negaverat, ſecundò Gallus cantavit : *Et converſus Dominus reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat : quia priuſquam Gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras Petrus flevit amarè* (Lucæ 22. v. 60. &c.) Ubi nota, quòd priùs Dominus converſus reſpexit Petrum, deinde Petrus recordatus ſui ad ſe rediit, cognovit ſe defecisſe, & amarè flevit ; oportet enim, ut priùs Dominus convertatur ad nos per gratiam ſuam, ut nos convertamur ad ipſum per pœnitentiam juxta illud Pſal. 84. v. 7. *Deus tu converſus vivificabis nos*, ubi Auguſt. in dictum Pſalm. *Non quaſi*, inquit, *nos ipſi noſtra ſpontè ſine miſericordia tua convertimur ad te, & tu vivificabis nos : ſed tu convertens vivificabis nos, ut non ſolùm vivificatio noſtra à te ſit, ſed etiam ipſa converſio, ut vivificemur* : unde ſerm. 285. Petrus *niſi deſertus non negaret, niſi reſpectus non fleret*.

XL. Quomodo autem Dominus reſpexerit Petrum, an inte-

teriori tantùm & ſpirituali intuitu, an etiam corporali, dubitatur. Chryſoſtomus homil. 86., modò 85. in Matth., videtur ſentire, Chriſtum etiam oculo corporali reſpexiſse Petrum; unde ait: *Aſpectus ejus pro voce fuit*. Idem ſentiunt Euthymius cap.66. in Matth., Theophylactus in cap.22. Lucæ, & Maximus Taurinenſis homil. de Negatione Petri, moti ex eo, quòd Lucas non tantùm dicit: *Et Dominus reſpexit Petrum*, ſed dicit etiam: *Et converſus Dominus reſpexit Petrum*.

S. Auguſtinus autem vult, ſolo interiori intuitu; ideſt auxilio gratiæ, Petrum ad pœnitentiam moventis, Dominum reſpexiſse Petrum: ita lib.3. de Conſ. Evangeliſt. cap.6., ubi ex profeſso dubium hoc verſans, dicit, non fuiſse poſſibile, ut Chriſtus oculis corporalibus Petrum poſt negationem reſpiceret, quia Chriſtus erat vel in interiori vel ſuperiori parte domus, Petrus autem alibi erat, nempe in atrio exteriori & inferiori, ubi ſtabant ſervi, quod repetit lib. 2. de Gratia Chriſti cap.45. his verbis: *Legant iſti Evangelium & videant, Dominum Jeſum tunc intùs fuiſſe, cùm à Sacerdotum Principibus audiretur; Apoſtolum verò Petrum foris, & deorſum in atrio cum ſervis ad forum nunc ſedentem, nunc ſtantem, ſicut veraciſſimâ & concordiſſimâ Evangeliſtarum narratione monſtratur: unde non poteſt dici, quòd corporalibus oculis eum viſibiliter admonendo reſpexerit. Et ideò quod ibi ſcriptum eſt, reſpexit eum Dominus: intus actum eſt, in mente actum eſt, in voluntate actum eſt. Miſericordiâ Dominus latenter ſubvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratiâ ſuâ viſitavit Petrum: interioris hominis uſque ad exteriores lacrymas movit & produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adjuvando adeſt voluntatibus & actionibus noſtris: ecce quemadmodum & velle & operari operatur in nobis*: Idem ſentit S. Leo ſerm.9. de Paſſione dicens: *Dominus autem Jeſus, qui intra Pontificale Concilium ſolo corpore tenebatur, trepidationem Diſcipuli foris poſiti Divino vidit intuitu, & paventis animum, mox ut reſpexit, erexit, & in fletus pœnitudinis incitavit*. Hæc ſententia videtur mihi probabilior.

Neque obſtat, quòd dicat Lucas: *Et converſus Dominus reſpexit Petrum*: nam ut acutè obſervat S. Auguſtinus lib.3. de Conſ. Evangeliſt. cap.6., *Sicut quotidie dicimus, Domine reſpice me: & reſpexit eum Dominus, qui de aliquo periculo vel labore Divinâ miſericordiâ liberatus eſt: & ſicut dictum eſt: reſpice & exaudi me: & convertere Domine & libera animam meam: ita dictum arbitror,* „Converſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini„ *Denique* (hoc benè nota) *cùm frequentiùs ſoleant*

leant in narrationibus ſuis ponere Jeſum, quàm Dominum, modo Lucas poſuit Dominum dicens,, converſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini,, *Matthæus autem & Marcus, quia de illa reſpectione tacuerunt, non verbi Domini, ſed verbi Jeſu eum recordatum eſſe dixerunt: ut etiam ex hoc intelligamus, illam reſpectionem à Jeſu non humanis oculis, ſed divinitùs factam.* Ita S. Auguſtinus.

CAPUT XXV.

De Paſſionis Chriſti progreſſu.

§. I.

De Pontio Pilato.

I. CUM Principes Sacerdotum & Seniores populi, coacto Concilio, omnibus modis vellent Jeſum morti addicere, nec ipſis ſententiâ latâ eum damnare liceret, eum à domo Caiphæ ad Prætorium, ubi qui nomine Cæſaris Judæam tunc adminiſtrabat, Pontius Pilatus nomine, reſidebat, adduxerunt ab eo damnandum. Hujus occaſione aliqua de Pontio Pilato dicam. Hujus genus & patria latent; eum tamen è Lugduno oriundum putat Petrus Comeſtor. in Hiſt. Act. Apoſtol. cap.53., ad Rhodanum illum accerſit Valier., Theophylactus in cap.27. Matth. è Pontio fuiſſe, unde illi Pontii nomen, exiſtimat. Alii Romanum, aut certè Italum exiſtimant. In Præfectura Judææ Grato à Tiberio ſuffectus anno ſui Imperii 12. eam per decennium adminiſtravit. Vix aſſumto gubernio, ut narrat Joſephus lib.2. de Bello Judaico cap.8., rem quam nullus Præſidum ante ipſum tentaverat, aggreſſus eſt. Nocte intempeſta opertas in Hieroſolymam intulit imagines Cæſaris, quæ res poſt triduum ingentem apud Judæos ſuſcitavit tumultum, quippe qui hoc facto profanatas leges ſuas viderent, quibus vetitum erat collocari in urbe ſimulacrum. Communi ergo conſilio tàm qui in Urbe quàm qui in agris erant, Pilatum tunc Cæſareæ morantem ſupplices adierunt, ut ab Urbe auferrentur imagines, & patria jura ſervarentur. Pilato autem ſupplicantibus abnuente, circa domum ejus proni corruerunt & immobiles quinque diebus continuis noctibuſque manſere. Sextâ die Pilatus tribunali aſſidens, quaſi reſponſum eis daturus, convocat Judæos, ſed diſpoſitis undique militibus convocatum populum me-

Digitized by Google

medium excipi jubet, denuntians eis, ſe omnes trucidaturum, niſi imagines Cæſaris ſuſciperent: annuit militibus, ut gladios educerent. Sed cùm Judæi quaſi uno conſilio ad terram corruentes, & cervices nudatas excipiendis ictibus parantes, altâ voce proteſtarentur, omnes ſe paratos interfici magis, quàm Legem profanare, Pilatus ſtudium populi circa Religionem demiratus, confeſtim de Hieroſolymis ſtatuas juſſit auferri.

Aliam turbam Pilati pervicaciâ apud Judæos excitatam idem Joſephus ibi refert: quód nimirùm Sacrum Theſaurum dictum Corbam ſeu Corbonam, Deo oblatum, ac ſacris uſibus conſecratum, in conſtruendo aquæ ductu expendi juſſerit, & refragantem populum fuſtibus à militibus cædi imperaverit.

Addit Philo Legatione ad Cajum, quòd cùm ſcuta aurea in Herodis regiâ collocata Cæſari conſecrare ſtatuiſſet, ejuſmodi conſecratio Judæis diſplicuit: cumque à Pilato, ut deſiſteret, obtinere non potuiſſent, rem ſe ad Cæſarem delaturos comminati ſunt: quod cum per litteras feciſſent, mandavit quantociùs Imperator ſcuta tolli. Sed quo anno hæc contigerint, incertum. Refert etiam S. Lucas cap.13. v.1. de Galilæis, *quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum*, de quibus Chriſtus dixit v.2. *Putatis, quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt?* Qui tamen fuerint hi Galilæi, latet. Non enim, ut quidam putant, fuerunt Samaritæ illi, quos, ut refert Joſephus lib.18. Antiquit cap.5. in vico Tirathabam Pilatus interfecit, quod, ut dicetur, exauctorizationi Pilati cauſam dedit. Nam, ut obſervat Grotius in cap.13. Lucæ, hi Galilæi erant non Samaritæ: nulla tamen ſocietas Samaritarum cum Galilæis in ſacrificiis erat. Adde, quòd Samaritæ occiſi à Pilato in vico Tirathaba, occiſi non fuerunt inter ſacrificia, quia nondum ad Garizim ſacrum illis montem pervenerant. Et tandem quia hæc Samaritarum occiſio à Pilato facta contigit ſecundo poſt Chriſti mortem anno; quare non potuerunt eſſe illi Galilæi, de quibus Lucas & Chriſtus locuti ſunt. Cenſet ergo Grotius, hos Galilæos, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum, fuiſſe ex factione Judæ Gaulonitæ, quæ factio ſicut ortum in Galilæa habuerat, ita & multos ibi fortè habebat ſectatores; qui cum Hieroſolymam occaſione Paſchatis adventantes, ſuo errore multos imbuere tentaſsent, nimirùm non eſse ſacra pro Romanis facienda, nec eis tributa pendenda, re ad Pilatum delatâ, eos inter ſacrificia occidi juſſit.

II. Ad hunc ergo Pilatum Judæorum Principes Jeſum damnandum adduxerunt. Verùm quia nonniſi Judæorum invidiæ

& odii

Digitized by Google

& odii reum illum noverat, pro ejus liberatione ab initio operam aliquam impendit. De hoc in Evangelio apocrypho Nicodemi multa dicuntur, nimirùm quòd cùm Pilatus per curſorem advocaſset Jeſum, curſor illum adorarit, & ſtrato ſuper terram faſciali, ſuper eum incedere fecerit, quòd tranſeunte Jeſu militum inſignia ſe ſe curvarint. Sed iſta commentitia ſunt. Verum quidem eſt, quòd Pilatus maximè fuerit commotus nuntio ſuæ uxoris (cui aliqui *Proclæ* nomen tribuunt) quâ monebatur, ne inſontem Jeſum damnaret propter moleſta quædam ſomnia, quæ eâ nocte paſsa erat. Sic enim ſcribit Matthæus cap. 27. v. 19. *Sedente autem illo pro tribunali miſit ad eum uxor ejus dicens: nihil tibi ac juſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.* An verò viſus huic mulieri immiſſi à Deo fuerint, an potiùs à Dæmone Chriſti mortem, ex qua ſalutem humani generis prodituram ſuſpicabatur, impedire conante, incertum eſt. Pilatus tamen, ut Judæorum furorem ſaltem leniret, damnato ad flagra Jeſu, tentavit inde eum à morte liberare, propoſita eis ſive Barabbæ ſive Jeſu in ſolemniis Paſchalibus dimiſſione. Sed audiens clamantem populum Joann. 19. v. 12. *Si hunc* (Jeſum) *dimittis, non es amicus Cæſaris*, timore percuſsus, ne Cæſaris gratiâ caderet, lavit ſibi manus, ac putans, ſe hac lotione omnem à ſe innocentis effuſi ſanguinis culpam amoviſse, tradidit eis Jeſum, ut crucifigeretur, uti de facto Cruci affixus fuit: de quo infra.

III. Quia verò teſtibus Juſtino in Apologia 2., & Tertulliano in Apologetico cap. 5., ex quo Euſebius lib. 2. Hiſt. cap. 2. mos apud Romanos obtinuerat, ut vel geſtorum Acta omnia Romam tranſmitterentur, vel ſaltem, ſi quid ſingulare in ſua Provincia contingeret, quilibet Præſes ſcripto Cæſarem certiorem redderet, Pilatus pro recepta conſuetudine de Jeſu nece, reſurrectione, ejuſque Religione datis litteris Tiberium monere, & Acta tranſmittere, non omiſit. Hinc de Pilati Actis memorant Veteres. Seculo enim ſecundo Juſtinus loco ſupra relato, ait: *Hæc ita geſta eſſe, cognoſcere ex Actis, quæ ſub Pilato ſunt ſcripta, poteſtis*: tum infra: *Et quòd iſta fecerit Chriſtus; ex eis, quæ ſub Pilato conſcripta ſunt, commentariis cognoſcere poteſtis.* S. Lucianus Martyr tertio ſeculo ad eadem Pilati Acta viſus eſt Præſidem provocaſse, dum ait: *Conſulite Annales veſtros, & invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Chriſtus, mediâ die fugatum ſolem & interceptum diem*: Veriſimile enim eſt, hoc in Annalibus Romanorum ex iis, quæ Pilatus ſcripſerat, fuiſse inſerta. Tertullianus eodem ſeculo Apologetic. tum cap. 5. citato,

tum

tum cap. 21. *Et omnia*, inquit, *ſuper Chriſto Pilatus & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tunc Tiberio nuntiavit.* Idem ſcribunt Paulus Oroſius lib.7. Hiſt. cap.4., & S.Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſt. cap. 24. his verbis factum enarrans: *Pilatus Chriſti geſta ad Tiberium Cæſarem mittit, & ei tam de virtutibus Chriſti, quàm de Paſſione & Reſurrectione ejus inſinuat. Quæ geſta hodie apud nos retinentur ſcripta. Tiberius autem hoc ad Senatum recenſuit.* Rem gratam poſteris feciſſet Gregorius, ſi geſta, quæ apud ſe ſcripta retinere dicit, publica feciſſet. Idem Nicephorus Callixtus lib.2. Hiſt. cap.8. Ex his tot teſtibus roboratis, quis prudens audebit negare, Chriſti geſta à Pilato fuiſſe ad Cæſarem tranſmiſſa? Addunt inſuper præfati Auctores, & etiam alii, quòd Tiberius permotus iis, quæ de Chriſto à Pilato acceperat, propoſuit Senatui, ut Chriſtum inter Deos referret, quod Senatus facere recuſavit. Sed ab hujus examine ſaltem pro nunc ſuperſedeo.

IV. Quamvis autem certò tenendum ſit, Chriſti Acta à publicis Notariis excerpta à Pilato Romam ad Tiberium fuiſſe tranſmiſſa, aliàs nec Juſtinus nec Tertullianus ad ea tam fidenter ac liberè Paganos ipſos provocaſſent, ſed illorum irriſioni ſe expoſuiſſent, ſi ſpuria extitiſſent; non omnia tamen quæ diverſis ſeculis ſub hoc nomine publicata ſunt probare mihi in animo eſt. Reprobo enim tanquam falſa & impia ea, quæ, referente Euſebio lib.9. Hiſt. cap. 4. & 5., flamines ac Sacerdotes Idolorum tanquam apud Pilatum geſta ſuper Salvatore noſtro compoſuerunt, impietatis & blaſphemiæ plena adversùs Chriſtianos, & quæ jubente Maximino tyranno ad omnes Imperii Provincias direxerunt. Nec tanquam legitima admitto Acta, quibus ſub nomine Pilati Actorum teſte S. Epiphanio hæreſ.50. Quartodecimani hæretici abutebantur ad ſuum errorem confirmandum. An verò tanquam legitima acceptanda ſint ea, quæ apud ſe retinere dixit, ut ſupra, Gregorius Turonenſis, cùm quid in eis contineretur, ipſe non dixerit, affirmari non poteſt. Imo cùm, ut ejus hiſtoriâ apparet, in eis narrentur quædam de Nicodemo à Sacerdotibus Judæorum recluſo in carcere, & miraculosè elevatis parietibus carceris liberato, quæ ex Evangelio Nicodemi toties inter apocrypha declarato deſumta ſunt; etiam Acta Pilati, quæ retinebat apud ſe Gregorius Turonenſis, apocrypha fuiſse, non temerè ſuſpicari licet. Uno verbo: Pilatum Chriſti Acta ad Tiberium miſiſse, teſtimonio Patrum laudatorum certum eſt; quæ autem genuina fuerint, nobis incertum.

V. Qnoad Epiſtolas, duæ ſub Pilati nomine ad Tiberium circumferuntur: unam exhibuit Hegeſippus auctor quarti ſeculi (ſeu quiſquis ſit alius) in Anacephaleoſi de excidio Hieroſolymit., ex quo eam tranſcripſit Baronius ad an. Chriſti 34. n.282.: legitur etiam apud Martinum Polonum in Chronico, & Sixtum Senenſem in Biblioth. Sancta lib.2. in vetuſtis, ut dicit, Bibliothecæ Vaticanæ Monumentis reperta, & Codice Apocryphorum Novi Teſt., à Joanne Alberto Fabritio edito tom.1. pag.298. Alteram, ſeu prioris aliud exemplum, vulgavit Florentinius in Martyrolog. vetuſtius Romanum, quam dicit ſe à Notatore quodam in antiqua pagina cum aliis memoratu dignis excerpſiſſe. Hanc, qualis extat in memorato Fabritii Codice, tranſcribere placet: *Pilatus Tiberio Cæſari ſalutem. De Jeſu Chriſto, quem tibi planè poſtremis meis declaraveram, nutu tandem populi, acerbum, me quaſi invito & ſubticente, ſupplicium ſumtum eſt. Virum herclè ita pium ac ſincerum nulla unquam ætas habuit, nec habitura eſt. Sed mirus extitit ipſius populi conatus, omniumque Scribarum & Seniorum conſenſus, ſuis Prophetis & more noſtro Sybillis præmonentibus, hunc veritatis legatum crucifixere, ſignis etiam ſuper naturam apparentibus dum penderet, & Orbi univerſo Philoſophorum judicio lapſum minantibus. Vigent illius Diſcipuli, opere & vitæ continentiâ Magiſtrum non mentientes, imo in ejus nomine beneficentiſſimi. Niſi ego ſeditionem populi propè æſtuantem pertimuiſſem, fortaſſe adhuc nobis vir ille viveret. Etſi tuæ magis dignitatis fide compulſus, quàm voluntate mea adductus pro viribus non reſtiterim ſanguinem juſtum totius accuſationis immunem, verùm hominum malignitate iniquè in eorum famen* (ideſt vocem ſeu ſermonem) *ut Scripturæ interpretantur* (ideſt ut ex Actis, quæ addidi, prolixius intelliges) *exitium pati & venundari. Vale: quarto Nonas Aprilis*. Hæc tamen Epiſtola, ſicut & præcedens, ſuppoſititia & commentitia ab omnibus habetur, ut oſtendit inter alios Serry Exercitat. 64. Multò autem magis ut ſuppoſititiæ rejiciendæ ſunt: alia, quam Hieronymus Xaverius in Hiſtoria Chriſti Perſicè ſcripta confinxiſſe videtur è loco celebri, qui de Chriſto legitur apud Joſephum lib.18. Antiquit. cap.4.; & alia, quam ſub Lentuli Pilato in Præfectura ſuffecti nomine idem Xaverius exhibet, ac legitur in præfato Codice Fabritii p.301. Non inficiabor tamen, Pilatum unà cum Actis comitem dediſse Epiſtolam ad Tiberium, ſed dicam ſolùm, quòd ſicut Acta legitima injuriâ temporum interiere, ita eundem exitum habuit Epiſtola Actis inſerta vel conjuncta.

VI. Nunc quem finem Pilatus ſortitus ſit, supereſt inveſti-

ga-

gare. Ex Joſepho lib.18. Antiquit. cap.5. habetur, quòd Impoſtor quidam Samaritis perſuaſit, in monte Garizin illis ſacratiſſimo adeſſe vaſa ſacra refoſſa, quæ Moyſes ibi depoſuerat, promittens, ſe ea oſtenſurum. Illi nimis creduli, factâ turbâ, ac ſumtis armis, Tirathaban vicum inſederunt, expectantes ibi ceteros, ut magno agmine montem aſcenderent. Id reſciens Pilatus prior clivum Montis equitibus & peditibus ſuis occupavit, qui prælio cum Samaritis apud vicum collectis congreſſi, alios fuderunt, alios in fugam verterunt, alios captos adduxerunt, quorum præcipuos ac potentiores Pilatus mulctavit capite. Acres de hoc querelas coram Vitellio Syriæ Præſide primates Samaritarum moverunt, Pilatum injuſtæ cædis accuſantes: quibus auditis Vitellius miſſo Marcello ſibi amico ad Procurationem Judææ, Pilatum juſſit Romam proficiſci, reſponſurum apud Cæſarem ad objecta per Judæos crimina. Pilatus igitur Præfecturâ exauctoratus eſt anno Chriſti 36., & Tiberii 23.: Romam tamen priuſquam perveniret, vitâ exceſſit Tiberius. Hæc ex Joſepho.

Quem deinde exitum ejus cauſa habuerit, incertum eſt; vetuſtiſſima tamen fert Traditio, cujus teſtes ſunt Ado in Chronico Act.7., Euſebius lib.2. cap.7., & Oroſius lib.7. cap.5., Pilatum Viennæ in Delphinatu exulantem ad eas anguſtias redactum fuiſſe, ut necem ſibi conſciſceret: quod ſe accepiſſe dicit Euſebius à Græcis Scriptoribus, qui per Olympiadum ſeriem, quæcumque geſta ſunt, conſcripſere. Popularis Viennenſium Traditio idem confirmat; unde vetuſtum quoddam ædificium retinet etiam hodie nomen *Prætorii Pilati*: cui traditioni adhærentes Magiſtratus inſcriptionem hanc ædificii fronti impoſuerunt: *Hoc eſt pomum ſceptri Pilati*. Attamen D. Chorier hæc tanquam fabulas rejicit, utpotè ex æquivoco cujuſdam Humberti Pilati Itali ortas, ex quo etiam in ſolo Viennenſi proxime ad Rhodanum hauſit nomen *Turris Pilati*. Extat etiam ſupra Luceriam in Helvetiis Lacus (Pilati appellant) in quem virum illum ſe conjeciſſe ferunt, dum è loco exilii dilapſo milites fugienti imminerent. Ferunt etiam, certa anni die ſpectrum quoddam Judicem referens ibi apparere, ac deinde in aquis demergi. Quòd ſi aliquis in eas aquas quidquam projiciat, ſtatim in tota regione procella conſequitur. Sed hæc tanquam fabuloſa irrident, qui regionis deſcriptionem ſedulò attendentes, exhibuerunt. Hoc unum certum eſt, Pilatum infelici exitu vitam clauſiſſe.

§. II.

De Chriſti Flagellatione.

VII. Nunc ad propoſitum redeundo: Pilatus poſtquam proteſtatus fuit Joan.18. v.38. *Ego nullam invenio in eo cauſam*; poſtquam Judæis propoſuit, num vellent eum dimitti; videns, eos ejus dimiſſionem rejeciſſe & Sanguinem Jeſu ſitire; ut eorum ſitim mitigaret, Jeſum flagellari juſſit: *Tunc ergo* (inquit Joannes cap.19. v.1.) *apprehendit Pilatus Jeſum & flagellavit*. Hîc dubitatio prima exſurgit, an Pilatus Jeſum tradiderit flagellandum, antequam de eo cruci affigendo ſententiam pronuntiaſſet, an verò poſt. De hoc enim videtur eſſe diſſenſio inter Evangeliſtas: Matthæus enim cap.27. videtur aſſerere, Jeſum flagellis cæſum fuiſſe poſt ſententiam latam de ejus crucifixione: ait enim *Jeſum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur*. Idem videtur ſentire Marcus c.15. v.v.15., dum ait: *Et tradidit Jeſum flagellis cæſum, ut crucifigeretur*. Nam ut ait Hieronymus in cap. 27. Matth. Legibus Romanis ſtatutum erat, *ut is, qui crucifigitur, priùs flagellis verberetur*. Joannes autem apertè ponit flagellationem Jeſu ante ſententiam de ejus morte: nam poſtquam cap. 19. v.1. dixerat, quòd *apprehendit Pilatus Jeſum & flagellavit*, v.12. addit: *Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum*: & ſolùm inferius dicit, quòd Pilatus audiens Judeos ſibi dicentes „ Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris „ ſedit pro tribunali ſententiam ferens & tradidit eis illum, ut crucifigeretur.

VIII. Hæc ſententia videtur verior. Pilatus enim Jeſum flagellari vel permiſit vel juſſit, non eo conſilio, ut in crucem ageret, ſed potiùs, ut ipſum à cruce eriperet: unde Lucas c.23. v.16. refert, Pilatum dixiſſe, *Emendatum ergo illum dimittam*, & v.22. *Corripiam ergo illum & dimittam*. Quo, ut ait Janſenius in cap. 27. Matth., flagellationem indicare voluit, non ut in crucem ageretur, cui erat moris flagellationem præmittere, ſed ut eorum animos leviori caſtigatione crucem præire ſolitâ placaret, Jeſumque à cruce eriperet: ita ſentit S. Auguſtinus Tract.116. in Joann. Ad illa enim verba: *Tunc apprehendit Pilatus Jeſum & flagellavit*, ait: *Hoc Pilatus non ob aliud feciſſe credendus eſt, niſi ut ejus injuriis Judæi ſatiati, ſufficere ſibi exiſtimarent, & uſque ad ejus mortem ſævire deſiſterent*. Neque contrarium dicunt Matthæus & Marcus. Nam cùm dicunt, quòd Pilatus Jeſum

ſum flagellatum, vel flagellis cæſum tradidit eis, ut crucifigeretur, idem eſt ac ſi dicerent, cùm antea flagellaſſet, aut flagellis cæcidiſſet, velut minori pœna corripiendum, videns, quòd Judæis hoc non ſufficeret, *tradidit eis* &c. *Unde* (inquit S. Auguſt. lib 3. de Conſ. Evangeliſt. cap.9.) *apparet, Matthæum & Marcum recapitulando illud commemoraſſe, non quòd tunc factum ſit, cùm eum Pilatus jam crucifigendum tradidiſſet. Joannes enim apud Pilatum dicit hæc geſta ſatis evidenter: unde iſti, quod prætérierant, recoluerunt.* Quibus etiam præcluditur opinio quorumdam volentium, Jeſum bis flagellatum fuiſſe, ſemel quidem ante ſententiam, iterum autem poſt ſententiam crucis, ut de more. Nam Legi jam ſatisfactum fuerat per flagellationem antę factam; unde Matthæus & Marcus non dicunt, quòd Pilatus tradidit eis Jeſum *flagellandum*, aut *flagellis cædendum*, ut crucifigeretur, ſed *flagellatum*, & *flagellis cæſum*.

IX. Dubitatio ſecunda eſt de modo flagellationis. Judaico ac ſubinde etiam Romano more, reus uſque ad ilia nudatus alligabatur ad columnam modicè aſſurgentem, & neque ſtans neque ſedens, ſed incurvatus cædebatur, ut expreſsè præſcribitur in Traditionibus Talmudicis libri Marchot. cap. 3., & ſic etiam more Romano fieri conſueviſſe, teſtis eſt Plautus in Bacch. Act.4. ſcena 7.

——————*Adducite hunc*
Intrò, atque adſtringite ad columnam fortiter.

Judæos tamen aliquando flagellaſſe etiam proſtratos, colligitur ex Deuteron.25. v.2. *Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari.* Adeſt etiam noſtris temporibus apud Orientales conſuetudo cædendi fuſtibus dorſum, ſive pedum plantas proſtrato in terram reo. At Chriſtum Dominum non in terram proſtratum, ſed ad columnam alligatum flagellis fuiſſe cæſum, communis fert Traditio, cujus inter ceteros teſtis eſt S. Hieronymus Epiſt.27. modò 86. ad Euſtoch. dicens: *Oſtendebatur illi* (Paulæ matri) *Columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur flagellatus.* Hanc in medio Eccleſiæ ſuo tempore fuiſſe ſitam ſcribit Beda de Locis Sanctis cap.13., de qua Gregorius Turonenſis de Gloria Martyrum cap.2. *Ad hanc*, inquit, *columnam multi fide pleni accedentes, corrigias textiles faciunt, eamque circumdant; quas rursùs pro benedictione recipiunt, diverſis infirmitatibus profuturas.* Romæ in Eccleſia S. Praxedis viſitùr brevis admodum columna, ad quam fertur Chriſtus fuiſſe alligatus. Et hæc quidem flagellationi videtur fuiſſe accommodatior, ut-

po-

potè non pertingens niſi uſque ad nates. Ne tamen me opponam S. Hieronymo, qui ut ſupra, Columnam, cui Chriſtus fuit ligatus, dixit, Eccleſiæ porticum ſuſtinuiſſe, & proinde fuiſſe oblongam, dicere poſſum cum aliis, quæ apud S. Praxedem aſſervatur, non eſſe integram, ſed partem columnæ. Quamvis alii putent diverſam eſſe hanc ab ea, de qua S. Hieronymus; dicentes, unam eſſe, cui Jeſus fortè fuit ligatus in domo Caiphæ, illuſus, colaphis cæſus, & fortè virgis cæſus à ſervis Pontificis, & de hac loqui S. Hieronymum; aliam, cui in domo Pilati nudatus flagellatus fuit, & hanc apud S. Praxedem aſſervari. Sed hoc ſine fundamento dicitur, quia, ut ſupra dixi, ſemel tantùm flagellis Jeſus cæſus fuit, & uni tantum columnæ alligatus.

X. Quoad modum flagellationis, duplex apud Hebræos erat percuſſionis ſupplicium: unum virgis, ſeu arborum ramis invicem colligatis, alterum flagris ſeu funibus. Virgis ſe fuiſſe cæſum teſtatur Paulus 2. Cor. 11. v. 25. *Ter virgis cæſus ſum*, & Act. 16. v. 22. Paulum & Silam Principes Sacerdotum *juſſerunt virgis cædi*. Chriſtum tamen non virgis, ſed flagris cæſum fuiſſe, certum eſt: hoc enim propriè eſt flagellari. Virgæ honeſtiores erant, flagra ſervorum, illæ lignis, hæc loris ac funibus conſtabant: illæ mitiores erant, hæc aſperrima, ita ut Horatius lib. 1. Satir. 3. vocet *horribile flagellum*, & Ulpianus Lege 8. ff. de Pœnis ſcripſerit, Miniſtrorum immanitate multos ſub ejuſmodi flagellis interiiſſe. Intexebantur ſubinde eis tali aut oſſicula, quæ vocabantur flagra talaria ſeu taxillaria maximè horribilia. An ita cæſus fuerit Jeſus, non liquet, veriſimile tamen eſt, immanem fuiſſe flagellationem, ut Judæi placari poſſent. Unde Jeſus cùm de cruciatibus & ignominiis paſſionis ſuæ loqueretur, omnium primam flagellationem commemorabat, Matth. 20. v. 19., Matth. 10. v. 34., Lucæ 18. v. 32., præcipuè quia veriſimile eſt, Judæos, qui aderant, milites incitaſſe, & fortè etiam datâ pecuniâ corrupiſſe, ut eum acriùs cæderent. Non tamen tanta fuit, ut ei mortem poſſet inferre, hoc non permittente Pilato, qui eam non ad mortem juſſerat, ſed ideò, ut Judæi eâ placati ab ejus petenda morte deſiſterent. Quare non poſſum iis aſſentiri, qui volunt flagella fuiſſe in extrema parte ferreis uncis aſpera, & ferreis catenis permixta, vel Jeſum fuiſſe primò funibus craſſioribus flagellatum, deinde additos fuiſſe ferreos ſcorpiones, tertiò catenis, quartò virgis ſpineis cæſum; non quòd quater ſit flagellatus, ſed quòd in eadem flagellatione hæc omnia inſtrumenta fuerint adhibita: his, inquam, propter dicta aſſentiri non poſſum.

XI. Du-

XI. Dubitatio tertia eſt de numero lictorum ſeu flagellantium, & plagarum ſeu verberum. De hoc nihil certi ex Scriptura & Patribus proferri poteſt, ex quibus ſolùm habetur, quòd fuit flagellatus. De numero Lictorum; quatuor fuiſſe, qui Chriſtum flagellarunt, aſſerit Janſenius Yprenſis in cap. 27. Matth., ſed quo fundamento hoc dicat, non exprimit. S. Magdalena de Pazzis in extaſi cognovit, Jeſum à triginta paribus hominum, ideſt à ſexaginta Miniſtris, prioribus aliis novis ſuccedentibus, fuiſſe flagellatum. Sed ſi attendamus, Pilatum, ut teſtatur S.Hieronymus in cap.27. Matth., judicium more Romano tuliſſe, & verbera indixiſſe, unicum tantum fuiſſe verberum miniſtrum putabimus: nam ex jure & more Romano Lictor unicus totum illud ferale miniſterium obibat. Notum eſt enim illud: *I Lictor, colliga manus, caput obnubito, virgis cædito.* Imo & apud Judæos Lictor unicus flagellis cædendi officio defungebatur, ut ex libro *Miſna* oſtendit Buxtorfius in Synagoga Judaica cap.21. Verùm quamvis Pilatus patrium Romanorum morem violare noluerit, illum tamen, ſicut in aliis, ut dicemus, violaſſe milites credendi ſunt, ſuâ partim ſævitiâ, partim Judæorum adſtantium ſuaſu excitati, ut non unus tantùm, ſed & alii huic ferali miniſterio manum apponere voluerint. Quot autem fuerint, Deus novit.

Idem dico de numero verberum ſeu ictuum. Si Legi Judaicæ ſtandum fuiſſet, quadraginta verbera ſupplicium illud non exceſſiſset, nec plura à Pilato Judæi, quantumvis Chriſti Sanguinem ſitientes poſtulare potuiſsent. Lex enim erat Deuter.25. v.2. *Sin autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari. Pro menſura peccati erit & plagarum modus: ita dumtaxat ut quadragenarium numerum non excedant.* Cujus Legis etiam poſt Chriſtum rigidi adeò obſervatores erant Judæi, ut metuentes, ne Lictor in ipſo verberandi impetu quadragenarium numerum excederet, ſola triginta novem verbera præſcribere ei ſolerent: & hinc eſt, quod Paulus 2. ad Cor.11. v.24., ubi dicit, quòd *A Judæis quinquies* flagellis cæſus fuit, addit tamen *quadragenas unâ minùs* (plagas) *accepi*. Verùm quia Romano jure numerus verberum non erat definitus, ſed fortè Lictoris relinquebatur arbitrio, & Chriſtus flagellis addictus fuit jubente Romano Præſide, & Romanis militibus exequentibus: licèt veriſimile ſit, Præſidem, qui eum flagellis tradiderat, non ad mortem ſed ad emendationem, & ut eum potiùs à morte eriperet, injunxiſſe, ut moderatè in Jeſum deſævirent; credibile tamen eſt, eos quadragenarium verberum nu-

nu-

numerum valdè exceſſiſse. Quanto autem numero exceſſerint, quis certò definire poteſt? Scio aliquos velle, ſuper quinque millia verberum in flagellatione Jeſum ſuſcepiſse, motos ex ſuppoſita revelatione facta S. Birgittæ, quòd Jeſu tota paſſione inflicta fuerunt vulnera 5475., quorum maxima pars inflicta ei fuit in flagellatione, nempè 5115., ut ſibi revelatum aſserit Soror Maria Jeſu de Agreda. Sed quia hæ ſunt revelationes particulares, nec eas judicio ſuo Eccleſia adhuc probavit, ideò rem ut priùs incertam relinquunt. Hoc unum certum eſt, immanem adeò fuiſse, ut adjecta ſpinarum coronatione, in Jeſu aſpectus hominis vix remanſerit, ut infra dicetur.

§. III.

De ſpinea Chriſti Coronatione.

XII. Non contenta militum rabies crudeli flagellatione in Chriſtum deſæviſse, ad aliud tormenti ſimul & ludibrii genus proceſserunt. Ne capiti, quod ex flagellatione illæſum fortè evaſerat, ſuæ deeſsent plagæ, coronam ſpinis contextam acutiſſimis ſupra illud calcarunt, eique veſte purpureâ circumdato, velut ficto Regi, illudere cœperunt. Ita Joan. 19. v. 2. *Et milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti ejus & veſte purpureâ circumdederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Judæorum, & dabant ei alapas.* Hoc idem refert Matth. cap. 27. qui addit, quod ut magis publicum fieret opprobrium, milites, qui flagellationi adfuerant, eum in Prætorium adduxerunt, convocantes univerſam cohortem quingentis ad minus militibus conſtantem, ut huic ludicro ſimul ac ferali ſpectaculo intereſsent. Et hoc fuit additamentum præter Pilati mandatum, qui Jeſum flagellandum ſolùm juſserat, militum ſævitiâ excogitatum: unde Matthæus & Joannes dicunt: *Et milites* &c. quaſi indicantes, hoc malitiæ militum facinus extitiſse. Et ideò Tertullianus lib. de Corona militis cap. 9. dicit, hoc fuiſse *militum commentum*. Sicut enim cùm fuiſset à Caipha reus mortis declaratus, licentia miniſtrorum exprobravit ei acerbiſſimè quaſi arrogatam prophetiam: ita flagellato licentia militum arrogatam regiam dignitatem ludibriis acerbiſſimis improperavit, non jubente, permittente tamen Pilato.

XIII. De Corona iſta duo quæri ſolent, nempè cujus materiæ & cujus formæ fuerit. Circa primum conſtat, eam fuiſse ſpi-

pineam ſeu ex ſpinis contextam. Quales autem fuerint ſpinæ, controvertitur. Rhamni aut Rubi fuiſſe contendunt aliqui: veriùs tamen alii, eam ex juncorum marinorum acuminibus, quaſi longiſſimis ſpinis contextam fuiſſe autumant. Juncorum enim acumen adeò ſubtile ſimul ac ſolidum eſt, ut quodcumque denſiſſimum corium velut ſubula facillìmè penetret. Hoc demonſtrant ſpinæ, quæ in variis Eccleſiis aſſervantur, quæ oblonga & acuta habent acumina, terreſtrium ſpinarum acuminibus duriora; & maximè ex corona, quæ Pariſiis ſumma Religione colitur, quam Ludovicus IX. Galliæ Rex ingenti ære è Barbarorum manibus redemit. Nec tamen credendum eſt, juncos illos adeò capiti Jeſu fuiſſe infixos, ut cranium perforarent, ſed ſatis erat, ut ſolam pellem & nervos capitis penetrarent ac venas; ut vehementem dolorem excitarent.

Circa ſecundum. Si ſtandum ſit formæ, quam habere dicunt coronam, quæ ex dictis Pariſiis aſſervatur, cùm hæc formam habeat, non coronæ frontem tantùm ac tempora inſtar vittæ cingentis, ſed potiùs galeri ſeu pilei, cranium etiam integrum totamque ſuperiorem capitis partem obvolventis, dicendum erit, eandem quoque formam habuiſſe coronam, qua coronatus eſt Chriſtus, cùm ſit eadem. Niſi fortè obſtaret, quòd milites tali corona caput Chriſti cinxerunt, eumque veſte purpurea induerunt, ut, licèt per jocum, eum ut Regem ſalutarent; ideòque coronam eo modo contexuiſſe, quo eam geſtare ſolent Reges, ſcilicet diadematis, quod frontem tantùm & tempora cingit. Sed quidquid ſit, non diſputo.

De numero ſpinarum ſeu juncorum, quibus contexta erat illa corona, aliqui volunt fuiſſe duas & ſeptuaginta, alii pauciores. Quo autem fundamento vel traditione non dicunt: quia Veteres Patres de hoc agentes myſterio nihil dicunt, omnes dicunt, Coronam illam fuiſſe integram ac circularem, quæ coronæ inſtar Regiæ totum undique Caput Salvatoris ambiret. Quòd ſi aliquam particularem revelationem alicui de hoc factam adducant, non erit hæc tanti facienda, ut firmum exigat aſſenſum, niſi priùs judicio Eccleſiæ comprobetur.

Google

CAPUT XXVI.

Continuantur Acta Paſſionis Chriſti.

§. I.

Sententia Pilati.

I. Flagellatione ac Spineâ Coronatione contrita, adeò ac deformata facies Chriſti evaſerat, ut vix figura hominis in eo appareret, & impletum eſſet quod prædixerat Iſaias cap. 53. à v. 2. *Non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus & deſideravimus eum: deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus* &c. Commotus ergo Pilatus, ac ſperans ſe hoc lugubri ſpectaculo poſſe ad commiſerationem inducere populum, iterum exivit foràs, & cum eo *Exivit Jeſus portans ſpineam coronam & purpureum veſtimentum: & dicit eis Ecce Homo* (Joan. 19. v. 5.) Quaſi diceret, inquit Sanctus Auguſtinus Tract. 116. in Joan. *Si Regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis: flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, ludibrioſâ veſte amictus eſt, amaris conviciis illuſus eſt, alapis cæſus eſt: fervet ignominia, frigeſcat invidia: ſed non frigeſcit, inardeſcit potiùs & increſcit*: & ita contigit; tantùm enim abfuit, ut ad commiſerationem commoverentur, quin potiùs extremo furore perciti *Pontifices & Miniſtri clamabant, crucifige, crucifige eum*. Nec profuit Pilato ſe excuſare, dicendo, *non invenio in eo cauſam*, nec quærendo iterum modum eum dimittendi: nam comminantibus Judæis, *ſi hunc dimittis non es amicus Cæſaris*, pluris faciens Pilatus non amittere gratiam Cæſaris, quàm perdere Jeſum, quem noverat & confeſſus fuerat innocentem, *Tradidit eis illum, ut crucifigeretur*: Joan. 19. v. 16.

II. Exurgit hic dubitatio, an Pilatus revera ſententiam damnationis tulerit in Chriſtum, an verò eum arbitrio Judæorum purè permiſerit. Putant enim quidam à ſententia mortis in Chriſtum ferendâ Pilatum temperaſſe, moti illis ejuſdem verbis Joan. 18. v. 31. *Accipite eum vos, & ſecundùm Legem veſtram judicate eum*, quod repetitur cap. 19. v. 6. *Accipite eum vos & crucifigite*: & ex his aliis Matth. 27. v. 26., & Joan. 19. 16. *Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur*; quæ verba puram permiſſionem ſignificare videntur; Quod ſenſit Lactantius lib. 4. In-

ſtit.

ſtit. cap. 18. dicens : *Nec tamen ipſe* (Pilatus) *ſententiam protulit, ſed tradidit eum Judæis , ut ipſi de illo ſecundùm Legem ſuam judicarent* : & S. Joan. Chryſoſtomus Homil. de Eleemoſyna probans , quòd Judæi , etſi Chriſti temporibùs Romanis eſſent ſubditi , propriis tamen Legibus utebantur , cùm *Stephanum lapidarint , nec ad tribunal ductum , Jacobum fratrem Domini interfecerint , Chriſtum ipſum crucifixerint , etiamſi Judex concederet , ut omni crimine liber abiret . Quapropter manus lavit , dicens* ,, Innocens ſum à ſanguine hoc,, *Et quia admodum inſtantes videbat, ipſe quidem calculum non tulit , ſed abſceſſit : illi verò propriâ tyrannide uſi , totum poſtea perfecerunt* . Quibus apertè dicit , Pilatum de Chriſti morte *calculum* ideſt ſententiam non tuliſſe .

III. Communis tamen Sententia eſt , quòd Pilatus , etſi ab initio & in progreſſu cauſæ , cognitâ innocentiâ Jeſu , ab eo damnando alienus fuerit , quin omni ſtudio eum liberare conatus fuerit , clamoribus tamen Judæorum victus , & multò magis timore Cæſaris , tandem ſententiam mortis iu Jeſum pronuntiavit . Ipſa enim geſtorum ſeries hoc demonſtrat : dicente ſiquidem eis Pilato : *Accipite eum vos , & ſecundùm Legem veſtram judicate eum*,quo judicium illis relinquere videbatur,detrectarunt illi hoc reſponſo : *Nobis non licet interficere quemquam* : ſive quòd ademtam ſibi à Romanis judiciorum capitalium poteſtatem agnoſcerent, ſive quòd ſimulatâ Paſchalis ſolemnitatis religione mortis ſententiam ferre ipſimet nollent, ſed ab alio ferri peroptarent. Idcircó, ut ſcribit Joan. c. 19. v. 13. , Pilatus *ſedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithoſtrotos*, ut ait Lucas c. 23. v. 14. *Adjudicavit fieri petitionem eorum* : deinde uterque Evangeliſta ſubdit , quòd tradidit Jeſum voluntati eorum , ut crucifigeretur : ecce judicium factum à Pilato ſedente pro tribunali , vi cujus tradidit Judæis ad mortem crucis . Quid ergo ampliùs deſideratur ad formalem ſententiam ? Hujus ſententiæ à viro Romano in ſe ferendæ Chriſtus præſcius Lucæ 18. v. 32. ſe tradendum Gentibus illudendum, flagellandum , conſpuendum, occidendum . Et Sanctus Petrus Epiſt. 1. cap. 2. v. 23. de Chriſto : *Tradebat autem* , inquit , *judicanti ſe injuſtè* : quod & Tacitus Scriptor Romanus in Annalibus confirmat , dicens : *Auctor hujus nominis* (Chriſtiani) *Chriſtus , qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus eſt* .

Hoc ipſum (ſi duos præfatos excipias) teſtantur Patres: Juſtinus Apolog. 2. , Gregorius Nazianz. Orat. 3. Julianum vocans *poſt Pilatum Chriſticidam* , & Orat. 27. vocans *Herodem Puerorum interfectorum , & Pilatum Chriſti Carnificem* : S. Au-

Digitized by Google

guſt. in Pſal. 63. de Pilato. *Ille*, inquit, *dixit in eum ſententiam, & juſſit eum crucifigi, & quaſi ipſe occidit*; & Tract. 116. in Joan. excitato dubio, quo tenentur oppoſitæ opinionis defenſores, nimirùm quomodo Pilatus, qui ante dixerat *Accipite eum vos, & crucifigite*, poſtea dicitur, quòd *tradidit eis illum, ut crucifigeretur*: ita reſpondet: *Non enim eſt dictum*: tunc ergo tradidit illum, *ut crucifigerent eum*; *ſed* ut crucifigeretur, *ideſt, ut judicio ac poteſtate Præſidis crucifigeretur*: quare Tractatum 117. ſic inchoat: *Judicante atque damnante Pilato pro tribunali Dominum Jeſum Chriſtum, horâ quaſi ſextâ ſuſceperunt & eduxerunt*. Hoc idem ſentit S. Leo ſerm. 3. & 8. de Paſſione Domini &c.

IV. Hic notandum cenſeo, ſupplicium Crucis in uſu quidem fuiſse apud Syrios, Ægyptios, Perſas, Africanos, Græcos & Romanos, non tamen apud Judæos. Quatuor enim apud eos erant capitales pœnæ, lapidatio, vivi combuſtio, ſtrangulatio ſeu occiſio per laqueum, & decollatio ſeu occiſio per gladium, quæ tamen rariſſima erat. De Crucifixione nulla in Lege fit mentio: unde quod in Deuteronomio cap. 21. v. 22. dicitur: *Quando peccaverit homo quod morte plectendum eſt, & adjudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno*, non de crucis ſupplicio, quale poſtea Romanis in uſu fuit, ſed de furca ſeu ſuſpendio, quo quis laqueo appenſus in aere ſuffocatur, debet intelligi: Crucifixionis rara ſunt exempla. Ut de Rege Hai, qui jubente Joſue patibulo crucis ſuſpenſus fuit Joſue 8. v. 29., & de quinque Regibus Chananæorum, qui jubente eodem Joſue cap. 10. v. 26. ſuſpenſi ſunt ſuper quinque ſtipites (qui tamen non dicuntur in formam Crucis aptati) ſed hoc pro more Nationum illarum barbararum, non pro more Gentis Judaicæ. Septem quoque filii Saul 2. Reg. 21. v. 9. *Crucifixi* leguntur non tamen à Judæis, ſed à Gabaonitis, qui ut ibidem v. 2. dicitur: *Non erant de filiis Iſrael, ſed reliquiæ Amorrhæorum*. Apud Judæos frequentius mortis ſupplicium erat lapidatio. Hâc plectebantur adulteri, Magi, Idololatræ, blaſphemi in Deum. Quare cum Judæi putarent, Chriſtum ope Dæmonis omnia agere, & blaſphemum eſse, cùm ſe faceret Deum, ſuſtulerunt lapides, ut lapidarent eum, ut habetur Jo. 10. v. 31., proteſtantes v. 33. ſe eum lapidare de blaſphemia, quia cùm eſset homo faceret ſe ipſum Deum: ex quo licet conjicere, quòd ſi ex Pontificum Judæorum ſententia, ſecundùm Legem damnatus fuiſset, Chriſtus lapidibus obrutus potiùs fuiſset, quàm cruci affixus.

Ideò autem clamabant *Crucifige eum*, quia cùm Sententiam à vi-

à viro Romano Pilato proferendam expectarent, ab eo petebant crucis potiùs ſupplicium, quod ſciebant Romanis eſse familiare. Imo & in uſu aliquando cœperat eſſe etiam apud Judæos, ex quo fuerunt à Græcis ſubjùgati: quare Joſephus lib. 1. de Bello Judaico cap. 3. refert, Alexandrum Joannis Hircani filium octingentos captivos in media Civitate crucifixiſse, eorum videlicet mores ſecutum.

V. Ex dictis apparet, excuſari non poſse à peccato, & quidem gravi Pilatum, qui licèt multis modis tentaverit Chriſtum dimittere, eum tamen, quem cognoverat innocentem, quem ſciebat ſolâ Judæorum invidiâ ſibi traditum, non debebat flagellis, ſpineæ corónationi, aliiſque ludibriis, & multò minùs morti ad petitionem eorum adjudicare. Lavit quidem manus, proteſtatus, *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus;* at ſi hic juſtus, quomodo tu eum damnando innocens? Dum lavas manus abluis ſordes corporis, ſed dum morti addicis eum, quem innocentem ac juſtum confiteris, ſordida lue inquinas animam. Ita S. Leo ſerm. 8. de Paſſione: *Non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aſperſis aqua digitis expiatur, quod famulante impiâ mente committitur.*

Gravior quidem fuit Judæorum culpa, à Pilato vi ac metu damnationem Jeſu extorquentium, ſed non evaſit culpam Pilatus, qui eis reſiſtere poterat & debebat: *Exceſſit quidem* (ſubdit S. Leo) *Pilati culpam facinus Judæorum, qui illum nomine Cæſaris territum, & invidioſis vocibus increpatum ad effectum ſui ſceleris impulerunt. Sed nec ipſe evaſit reatum, qui cooperatus ſeditioſis, reliquit judicium proprium, & in crimen tranſivit alienum.* Quod confirmans S. Auguſtinus in Pſal. 63. ait: *Quod fecit Pilatus, in eo ipſo quod fecit, aliquantum particeps fuit, ſed in comparatione illorum* (Judæorum) *multò ipſe innocentior. Inſtitit enim quantum potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret. Nam propterea flagellatum produxit ad eos: non perſequendo Dominum flagellavit, ſed eorum furori ſatisfacere volens, ut vel ſic jam miteſcerent, & deſinerent velle occidere, cùm flagellatum viderent, fecit & hoc. At ubi perſeveraverunt, noſtis, illum laviſſe manus & dixiſſe, quòd ipſe non feciſſet, mundum ſe eſſe à morte illius: fecit tamen. Sed ſi reus, quia fecit vel invitus; illi innocentes, qui coegerunt, ut faceret? Nullo modo: ſed ille dixit in eum ſententiam, & juſſit eum crucifigi, & quaſi ipſe occidit; & vos, ò Judæi occidiſtis: unde occidiſtis? Gladio linguæ; acuiſtis enim linguas veſtras: & quando percuſſiſtis, niſi quando clamaſtis, crucifige, crucifige?*

§. II.

§. II.

De Crucis geſtatione.

VI. **P**Rolatâ in Jeſum à Pilato ſententiâ, obtinuerunt Judæi, quòd in damnationem ſuam pertinaciter exigebant: *Suſceperunt autem Jeſum & eduxerunt; & bajulans ſibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraicè autem Golgotha* (Joan. 19. v. 16.) *Calvaria* ſeu *Golgotha*, ideſt cranium, collis ad ſeptentrionem Montis Sion poſitus dicebatur, ſive quia humanæ calvariæ ſpeciem referebat, ſive quia cum eſſet locus ſuppliciis infamis, calvariæ & oſſa facinoroſorum hominum ibi eſſent diſperſa. Non pauci tamen Veterum ita vocatum volunt à cranio ſeu calvaria primi hominis, qui traditione quâdam ibi dicebatur ſepultus. Ita Origenes in Matth., Ambroſius lib. 10. in cap. 23. Lucæ, Athanaſius de Paſſione, Epiphanius hæreſ. 46., Hieronymus Epiſt. 17. modò 44. Paulæ & Euſtochii ad Marcellam, & in cap. 5. ad Epheſios, ubi hoc tanquam ſibi novum referens: *Scio*, inquit, *me audiſſe quemdam de hoc loco in Eccleſia diſputantem, qui in theatrale miraculum, nunquam ante viſam formam populo exhibuit, ut placeret: Teſtimonium hoc, inquiens, ad Adam dicitur in loco Calvariæ ſepultum, ubi crucifixus eſt Dominus. Qui Calvariæ idcirco appellatus eſt, quòd ibi antiqui hominis eſſet conditum caput. Illo ergo tempore, quo crucifixus Dominus ſuper ejus pendebat ſepulchrum, hæc Prophetia completa eſt dicens* ,, Surge Adam, qui dormis & exurge à mortuis, &... continget te Chriſtus,, *Quia videlicet tactu ſanguinis ipſius & corporis dependentis, vivificetur atque conſurgat: & tunc typum quoque illum veritate compleri, quando Eliſæus mortuus mortuum ſuſcitavit. Hæc utrum vera ſint, nec ne, Lectoris arbitrio derelinquo. Certè tunc in populo dicta placuerunt, & quodam plauſu ac tripudio ſunt excepta.* Ita Hieronymus: quæ narratio etiam noſtris temporibus ab aliquibus ſpargitur. Dicunt enim, Adami Calvariam Semo contigiſſe, cùm Adami corpus ſecum in Arcam translatum Noè poſt Diluvium inter filios diſpertiretur: Semum deinde futura prænoſcentem illam in eo monte collocaſſe, ubi Chriſtus erat moriturus, ut ejus ſanguine vitæ ac reſurrectionis gratiam primus homo conſequeretur. Hæc an vera ſint (repetam cum Hieronymo) Lectoris arbitrio derelinquo. Ipſum tamen moneo, quòd in Epiſtola ſupra citata Paulæ & Euſtochii ad Marcellam, quæ ipſo dictante vel approbante Hieronymo ſcripta creditur, abſo-

abſolutè pronuntiavit, Adam in loco Calvariæ ſepultum his verbis: *In hac urbe* (Hieroſolyma) *imo in hoc tunc loco & habitaſſe dicitur, & mortuus eſſe Adam: unde & locus, in quo crucifixus eſt Dominus noſter* Calvaria *appellatur, ſcilicet quòd ibi ſit antiqui hominis Calvaria condita, ut ſecundus Adam, & Sanguis Chriſti de Cruce ſtillans primi Adam & jacentis protoplaſti peccata dilueret*. Quibus videtur, id quod ſibi novum apparuit, dum in Ep. ad Epheſios ſcriberet, poſtea ut communem famam acceptaſſe Hieronymus.

VII. Damnatus igitur ad Crucem Chriſtus, ſupplicium geſtare ſuum juſſus eſt. Ea enim erat Romani Juris formula, ut tradit Plutarchus lib. de Sera Numinis Vindi&ta. Veriùs tamen ait S. Leo ſerm. 8. de Paſſione: *Traditus itaque Dominus ſævientium voluntati, ad irriſionem regiæ dignitatis, ſupplicii ſui juſſus eſt eſſe geſtator, ut impleretur quod Iſaias Propheta præviderat, dicens* „ Ecce natus eſt Puer, & datus eſt nobis Filius, cujus Imperium ſuper humeros ejus „. *Cùm ergo Dominus lignum portaret Crucis, quod in ſceptrum ſibi converteret poteſtatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, ſed manifeſtabatur Fidelibus grande myſterium: quia glorioſiſſimus Diaboli Victor & inimicarum virtutum potentiſſimus debellator, pulchrâ ſpecie, triumphi ſui portabat trophæum; & invictæ patientiæ humeris, ſignum ſalutis adorandum Regnis omnibus inferebat; tanquam & tunc ipsâ operis ſui imagine omnes imitatores ſuos confirmaret & diceret*, „ Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus „.

§. III.

De Simone Cyrenæo.

VIII. CHriſtum aliquo itineris ſpatio, nimirùm uſque ad portam Civitatis, Crucem humeris ſuis portaſſe ſolum, videtur indicare S. Joannes cap. 19. v. 17. dicens: *Et bajulans ſibi crucem exivit* &c. At cùm ejus eſſent exhauſtæ vires, tum ob tolerata priora tormenta, tum ob crebras totâ nocte totoque mane ab uno ad aliud tribunal diſcurſiones; videntes, eum oneri uſque ad locum ſupplicii ferendo imparem eſſe, ſtatim ac extra portam Civitatis ventum eſt, dicit S. Matthæus cap. 27. v. 32., quòd *exeuntes invenerunt hominem Cyrènæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret Crucem ejus*.

Quis fuerit iſte Simon, incertum eſt. Cyrenæum fuiſſe Matthæus ſcribit, ſeu Cyrene natum. At cùm hæc triplex fuerit,

Digitized by Google

rit, una in Lybia, altera in Syria, tertia in Cypro: ex priori fuiſſe hunc Simonem cenſent aliqui, inter quos S. Auguſtinus ſerm. 46. aliàs 165. de tempore cap. 17., ſed non certò. An Gentilis fuerit, an Judæus controvertitur: Gentilem fuiſſe, arbitrati ſunt multi ex Patribus, ac per hoc ſignificatum fuiſſe myſterium volunt, nimirùm fore, ut, Judæis non credentibus, Gentiles Chriſti Crucem ac Fidem ſuſciperent: unde Hilarius cap. 33. in Matth. ait: *Procedentes autem, homini cuidam Cyrenenſi lignum Paſſionis imponunt. Indignus enim Judæus erat Chriſti Crucem ferre: quia fidei Gentium erat relictum & Crucem accipere & compati*. S. Ambroſius lib. 10. in Lucám: *Non Judæus*, inquit, *eſt, qui crucem portat, ſed alienigena & peregrinus, nec præcedit, ſed ſequitur, juxta quod ſcriptum eſt: tolle crucem tuam & ſequere me. Non enim ſuam, ſed noſtram crucem Chriſtus aſcendit; nec mors illa Divinitatis, ſed quaſi hominis fuit*. Et S. Leo ſerm. 8. de Paſſione cap. 5. dicit: Per Simonem Cyrenæum, in quem lignum Crucis tranſlatum fuit, præſignabatur Gentium fides, *quibus Crux Chriſti non confuſio erat futura, ſed gloria*: ideoque congruum erat, ut ſacratiſſimo Salvatoris opprobrio, non Hebræus quiſquam nec Iſraelita ſed alienigena ſubderetur, & ut ſic etiam ſignificaretur tranſlatio à Circumciſione ad Præputium, & à Veteribus Sacrificiis ad novum & verum reconciliationis Deo Patri.

IX. Verùm Simonem Cyrenenſem fuiſſe Judæum, multi ex Recentioribus cenſent, quorum aliqui confundunt illum cum Simone, qui Act. 13. v. 1. vocatur *Niger*; ſed inaniter; tum quia Simon Niger, qui Antiochiæ cum Apoſtolis erat, nullo documento probatur fuiſſe patriâ Cyrenenſis; tum quia ſecundùm Græcum Textum Actorum, à S. Luca non *Simon* ſed *Simeon* appellatur. Probabiliùs alii cenſent, fuiſſe Judæum, quia S. Marcus cap. 15. v. 21. eum appellat *Patrem Alexandri & Rufi*, de quo Ruſo ſcribit Paulus ad Rom. 16. v. 13. *Salutate Rufum electum in Domino, & Matrem ejus & meam*. Sed hoc non videtur probare intentum; tum quia non conſtat, an Rufus, quem Romæ exiſtentem cum matre ſalutat Paulus, fuerit ille idem, quem Marcus dicit filium Simonis Cyrenæi; tum quia dum dubitatur, an Simon Pater Judæus fuerit an Gentilis, dubitatur etiam de filio, an fuerit ex Gentilitate converſus. Veriſimilior conjectura, Simonem Cyrenenſem fuiſse Judæum ſumitur ex nomine Simonis, quod apud Hebræos uſitatum erat, non apud Gentiles: & quia Marcus eum deſcribit *venientem de villa*, ſeu agro propè Hieroſolymam poſito: prædia autem & villas propè Hiero-

ro

roſolymam ſoli Judæi poſſidebant, non autem Gentiles: neque obſtat, quòd Cyrenenſis fuerit; nam Cyrene Judæis abundabat, quorum plures Chriſto nomen dederunt, plures etiam Chriſti Fidei reſtiterunt: unde Act.6. v.9. Synagoga Cyrenenſium legitur toto conatu Stephano reſtitiſſe.

X. Præterire non poſſum ridiculam Donatiſtarum jactantiam, quam S.Auguſtinus Serm. modò 46. cap.17. irridet. Gloriabantur iſti, quòd Simon Cyrenæus, qui Crucem Domini ſuſtulit, fuerit Afer, & Cyrenem in Africa ſitam eſſe contendebant; & proinde ſuam Eccleſiam ab iſto ortam in Africa remanſiſſe. S. Doctor, poſtquam eis oſtendit, inanem eſſe hanc gloriationem: nam etſi detur, Cyrenem eſſe in Africa, hoc nihil eos juvat, quia ubi *eſt pars Donati, non invenitur Cyrene, ubi eſt Cyrene, non invenitur pars Donati*. Deinde eos falſi convincens: *Meritum*, inquit, *Cyrenenſis hujus magnum commemoras, quia tulit Crucem Domini, & Afrum dicis. Orientalis eſt; Lybia enim duobus modis dicitur, vel iſta, quæ propriè Africa eſt, vel illa Orientis pars, quæ contigua eſt Africæ, & omnino collimitanea*. Subinde hoc etiam illis concedens ita proſequitur: *Sed Afer fuerit Cyrenenſis. Beatum putas, quòd angariatus crucem tulerit? Quantò meliùs fortè diceret alius, in Arimathæa remanſiſſe Eccleſiam Chriſti? Quia Joſeph ille dives ab Arimathæa habens ante oculos Regnum Dei, non angariatus, non coactus venit ad Crucem Domini; cùm ceteri formidarent, petiit à Pilato ſepeliendum Corpus Domini, de ligno depoſuit, obſecutus eſt funeri, in ſepulchro condidit, laudatus eſt in Evangelio. Quia ergo de Arimathæa fuit iſte pius, tantum exhibens obſequium Corpori Domini, in Arimathæa remanſit Eccleſia? Aut ſi magis vos delectat angariatus, ideſt qui cogitur tollere crucem; rectè ergo faciunt Imperatores Catholici, qui vos cogunt ad unitatem*. Ita peracutè Auguſtinus. Sed eò, unde parumper digreſſi ſumus, revertamur.

XI. Excitari ſolet dubium, an Simon iſte Cyrenenſis, unà cum Jeſu ſociis humeris Crucem adjuvando illum portaverit, an verò impoſitam ſibi reſiduo itineris, Chriſto eâ prorsùs exonerato præeunte, ſolus ipſe portaverit. Quorumdam opinio eſt, Chriſtum accedente Simonis Cyrenæi ſubſidio non fuiſſe Crucis pondere prorsùs exoneratum, ſed ambos ſociis humeris eam portaſſe, Chriſto nimirùm præeunte, & partem ſuperiorem ferente, ſequente Simone, & partem inferiorem bajulante; idque ſe colligere putant ex verbis Lucæ c.23. v 26. *Et impoſuerunt illi crucem portare poſt Jeſum*.

Sed contra hos reclamant Patres: Athanaſius de Paſſione

& Cruce Domini ; ubi concordans Joannem, qui dicit Chriſtum Crucem ſibi ſuam bajulaſse, cum aliis Evangeliſtis dicentibus, quòd Simon vir Cyrenæus crucem tulit, ait: *Utrumque factum eſt. Nam ſibi Dominus crucem bajulavit, & rursùm poſtea Simon homo tulit illam. Primùm itaque quaſi Diaboli trophæum geſtabat, libenterque ſibi Crucem bajulavit; non enim coactus mortem adiit. Ac rursùm tulit illam Simon homo, ut omnibus notum eſſet, non ſuâ Dominum ſed hominum morte mori*: Idem ſentit S. Hieronymus in cap. 27. Matth. dicens: *Hoc intelligendum eſt, quòd egrediens de Prætorio Jeſus, ipſe portaverit Crucem ſuam: poſtea obvium habuerint Simonem, cui portandam crucem impoſuerint*: S. Auguſtinus lib. 3. de Conſ. Evangeliſt. cap. 10. *Unde*, inquit, *intelligitur, quòd ipſe ſibi portabat Crucem, cùm exiret in locum memoratum. Simon autem ille in itinere angariatus eſt, de quo tres* (Evangeliſtæ) *commemorant, cui poſtea data eſt crux portanda uſque ad locum. Ita utrumque factum invenimus; primò id, quod Joannes dixit, deinde quod ceteri tres*. Conſentiunt Origenes in Matth. c. 25., S. Leo ſerm. 8. de Paſſione, Theophylactus, Euthymius; qui omnes Crucem de uno in alium tranſlatam referunt, & Chriſtum onere liberum præiviſse: & hoc inſinuant Matthæus & Marcus, dum Simonem adactum dicunt, *ut tolleret Crucem ejus*. Neque opponitur Lucas, dum ait impoſuiſse Simoni, ut Crucem portaret poſt Jeſum: non enim dicit, ut crucem portaret *cum Jeſu*, ſed *poſt Jeſum*, præeuntem ſcilicet Crucem non portantem.

§. IV.

De Mulieribus Jeſum ſequentibus.

XII. SCribit S. Lucas cap. 23. v. 27. *Sequebatur autem illum Turba multa populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Converſus autem ad illas Jeſus dixit: Filiæ Jeruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros*: Super quæ S. Leo ſerm. 10. de Paſſione: *Solet*, inquit, *ſexus infirmior, etiam pro iis, qui morte ſunt digni, in lacrymas commoveri, & damnatorum exitus, pro naturæ communis conſideratione miſereri. Sed iſtum ſibi planctum Dominus Jeſus dedignatur impendi, quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam*. Quænam fuerint illæ religioſæ mulieres, quidve officii Chriſto præſtiterint, Evangeliſta non dicit. Fertur tamen, ex iis unam extitiſſe, *Veronicam* nomine, quæ Sudarium Chri-

ſto

Digitized by Google

ſto offerens, ut faciem ſudore & ſanguine madentem abſtergeret, hoc idem ab illo reſtitutum acceperit, impreſsâ vultus ipſius imagine inſignitum; quod hic Romæ in Baſilica S. Petri cuſtoditum ſummâ religione veneramur.

XIII. Hoc in ſuo Hemerologio ad diem 4. Februarii ita narrat *Piazza*. Veronica nobilis Matrona Hieroſolymitana, quæ creditur fuiſſe mulier, quam, ut habetur Matth. 9. v. 20., à fluxu ſanguinis liberavit, proſpiciens Jeſum euntem è Prætorio ad Calvarium ſudore ac ſanguine ob flagella & ſpinoſam coronam tota facie conſperſum, pietate mota ei obviam accurrit, ac detracto è capite velo, illud ei præſentavit, ut faciem abſtergeret: quod Jeſus benignè ſuſceptum ei poſtea reſtituit, imaginem ſui vultus expreſſam referens. Tanto Theſauro læta Veronica illum ſummâ curâ ac devotione apud ſe cuſtodiebat; donec cùm miſſi advenirent a Tiberio Legati ob Miraculorum famam, quæ à Jeſu patrata audierat Pilati litteris, ut ſibi ab ipſo ſanitatem impetrarent, audito, quòd Jeſus eſſet jam crucifixus, ejuſque Corpus, ut ajebat, ab ejus Diſcipulis furtim ſublatum, Veronica veritatem aperiens oſtendit eis Sacrum Chriſti Vultum in Sudario impreſſum, promittens, ſe cum illis Romam ituram, & ad ſacræ imaginis aſpectum Tiberium à morbo fore liberandum. Ita factum fuit. Recluſâ in capſula Sacrâ Jeſu Imagine cum eis Romam venit Veronica: & expoſito ſacro Chriſti Vultu coram Tiberio, iſte confeſtim à morbo ſanatus eſt: quare Jeſum inter Deos annumerare voluit, ſed Senatus recuſavit. Romæ vitâ ceſſit Veronica, Sacrumque Chriſti Vultus pignus apud Clementem Petri ſucceſſorem remanſit, ac ſubinde alios ei in Pontificatu ſuccedentes. Porrò quamvis nihil de hoc ſcriptum legatur, certa tamen Traditione tenetur, piam hanc mulierem Romæ mortuam ac ſepultam fuiſſe, cujus in Breviario Ambroſiano mentio fit: unde Petrus Galeſinus in ſuo Martyrologio: *Romæ*, inquit, *S. Veronicæ, quæ Vultum Domini ad eam urbem Hieroſolymâ attulit*. Veronicæ cadaver in Baſilica S. Petri, in qua ſacer Chriſti Vultus aſſervatur, fuiſſe ſepultum, tradit Pancirolus cum aliis. Hæc in Hemerologio prænarratus Auctor, quæ ſe hauſiſſe dicit, partim ex Manuſcripto Bibliothecæ Vaticanæ, partim ex S. Methodio Epiſcopo, partim ex Ambroſiano Breviario & Petro Diacono ſic dicente: *Sudarium, cum quo Chriſtus faciem ſuam extерſit, quod ab aliis Veronica dicitur, tempore Tiberii Cæſaris Romani delatum eſt* &c.

XIV. Hanc narrationem Moderni Critici ad minus ſuſpectam pluribus oſtendere conantur. Primò ex altiſſimo facti hu-

jus ſilentio, non modò apud Evangeliſtas, ſed & apud omnes Veteres Patres, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ tum primæ tum mediæ ætatis Scriptores. Primus, qui hanc hiſtoriam prodidit fuit Marianus Scotus in Chronico, Auctor non multæ fidei & recentis ætatis, quippe qui ſolùm undecimo ſeculo ſcripſit. Laudat ille quidem Methodium, ex quo ſuam de hoc hiſtoriam ſumſerit. Sed quis fuerit iſte Methodius, non dicit: non fuiſſe magnum Methodium Tyriorum Epiſcopum, qui deſinente ſeculo tertio claruit, ejus Opera, in quibus nihil tale legitur, ſatis oſtendunt; an fortè fuerit alter ſeculi noni Methodius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, non indicat. Manuſcriptum verò de Sacræ hujus Imaginis, Sudario impreſſæ, translatione Romam facta, quod in Bibliotheca Vaticana aſſervari dicitur, à quo & quo tempore exaratum fuerit, ignoratur.

Secundò, Veronicæ nomen antiquis ignotum fuit: excepto Petri Galeſini Martyrologio, in nullo alio, nec in Romano *Veronicæ* nomen inter Sanctas Mulieres legitur. Qua ratione ex illis etiam, qui hanc hiſtoriam defendunt, aliqui dicunt, piam illam Mulierem, non *Veronicam*, ſed aut *Venicem*, aut *Veronicem* aut *Berenicem* appellatam fuiſſe; *Veronicam* autem dici cœpiſſe, non ipſam piam Mulierem, ſed faciem ipſam Sudario impreſſam; nam *Veronica* idem Græcè ſonat, ac *Vera Icon*, ſeu *Imago*: ignaros autem nomen Imaginis Sudario impreſſæ ad Mulierem geſtantem inſcitè tranſtuliſſe, fingentes ſibi *Sanctam Veronicam*, quæ nunquam in cœlo, imo nunquam ſub cœlo fuit, quamquam in nonnulla privatâ, non tamen publicâ Eccleſiæ auctoritate probata Martyrologia, ejuſmodi nomen irrepſerit.

XV. Hæc tamen non me adeò terrent, ut propterea præfatam narrationem tanquam in omni ſui parte apocrypham rejiciam. Silentium enim Veterum, ceu argumentum negativum probat quidem, quòd hujus facti memoriam ſcripto non reliquerint, non probat tamen, quòd non evenerit, & ad poſteros Traditione quaſi per manus pervenerit. Alioquin Marianus Scotus, quem dicunt primum fuiſſe, qui hoc ex Methodio aſſeruit & evulgavit, ſi rem prorsùs novam & inauditam prodidiſſet, Methodii auctoritate abutens, non eſt credibile, quòd omnes illius ſeculi pecudum more acquieviſſent, & nemo ſubſequentium proximè ſeculorum illuſionem detexiſſet. Cùm ergo, ut ipſimet Critici adverſarii admittunt, ab undecimo ſeculo, quo, ut ajunt, Marianus Scotus primus hanc rem evulgavit; poſterioris ætatis Scriptores, & præcipuè de Sacra Imagine Chri-

Digitized by Google

Chriſti Sudario impreſſa Romam translata, eam confirmarint, ut Lucius dexter, Petrus Mallius lib. de *Baſilica S. Petri*, Petrus Diaconus Monachus Caſſinenſis Lib. MS. de Locis Sanctis, Matthæus Weſtmonaſterienſis lib. de Floribus Eccleſiæ Anglicanæ ad ann. 1116., Jacobus Grimaldus, Auguſtinus Patricius, Jacobus de Trecis, Baronius; velle in totum refragari, imprudentioris Criticæ auſum exiſtimarem.

Dixi nolle in totum refragari. Nam in dubium revocare modum, quo Sacri Vultus Imago Romam translata eſt, an nomen Veronicæ potiùs ſit tribuendum Imagini, quàm mulieri, non invitus permittam: quia Summi Pontifices Nicolaus IV., Clemens VI., VIII., & VIII., Gregorius item XIII. de tanto theſauro in Sacro Baſilicæ Vaticanæ Cimelio aſſervato in ſuis diplomatibus fidem faciunt; qui tamen *Veronicam* vocant, non mulierem geſtantem, ſed ipſam Imaginem Sudario impreſſam. Concludo igitur. Factum piæ ac religioſæ Mulieris Chriſto Sudarium exhibentis, idemque Chriſti Imagine inſignitum recipientis, & hanc imaginem illam eſſe, quæ Romæ apud Sanctum Petrum aſſervatur, Traditione mihi certum eſt: De modo, quo Romam pervenit; de nomine, quo pia illa Mulier vocabatur, an *Venices*, an *Veronices*, aut *Berenices*, an *Veronica* vocaretur, & an hoc ſit nomen Mulieris geſtantis imaginem, an verò ipſius imaginis, in quæſtionem vocari poſſe cenſerem.

CAPUT XXVII.

De Cruce Chriſti.

§. I.

Crucis materia.

I. HOc in primis ſupponendum cenſeo, Crucem Chriſti non fuiſſe admodum proceram & pondere gravem: ſi enim, ut dictum eſt, eam per aliquod viæ ſpatium Chriſtus portavit ſuis humeris ſolus, quomodo ex multa ſanguinis effuſione extenuatus eam ferre potuiſſet, ſi procera & pondere gravis, & maximè ſi ex quercu aut robore illa fuiſſet? Quare aſſentiri non poſſum iis, qui dicunt, Chriſti Crucem habuiſse longitudinis pedes quindecim, latitudinis autem octo. Fateor cum Baronio in Notis ad Martyrologium ad diem 7. Aprilis, ſi quando accidiſset, ut eminentioris ſtatus perſonâ Crucis ſup-

ſupplicio necanda eſſet, eminentiorem illi Crucem parari conſueviſſe; ſic Eſther 5. v.14. & 7. v.9. habemus, Crucem, quam Aman paraverat Mardochæo, & in qua ipſe Aman jubente Aſſuero fuit ſuſpenſus, habuiſſe altitudinis cubitos quinquaginta; proceræ quoque altitudinis fuiſſe Crucem pro Cive Romano, ſcribit Svetonius in Galba cap.9.; talem fuiſſe pro Cartalo, refert Juſtinus lib. 18. Hiſt.; ad Crucem pro tyranno Polycrate delectum fuiſſe altiſſimum omnium Montium, narrat Valerius Maximus lib.6. cap. 9.; & Imperator Auguſtus Erotem ſuum in Ægypto Procuratorem malo navis ſuffigi juſſit, teſte Plutarcho in Apophtegmate: at pro reis humilibus vilibuſque, quibus plerumque ad locum ſupplicii crux ferenda imponebatur, humilis nec gravis parabatur, adeò ut ferarum quadrupedum morſibus ſuffixi Cruci quandoque paterent, ut Martialis lib.1. Epigramm. de Laureolo refert, & Euſebius lib.5. Hiſt. cap.2. de S. Blandina, quæ palo ad modum Crucis ſuſpenſa fuit, ut à beſtiis devoraretur. Cùm ergo Jeſus à Judæis vilis, & tanquam fabri filius haberetur, & Crucem ad Calvariæ locum humeris geſtare deberet, Crucem humilem, & non proceræ altitudinis, paratam ei fuiſſe credendum eſt. Quod ex eo etiam colligi poteſt, quòd Titulus Cruci affixus, referente Joanne c.19. v.20., à multis Judæorum legeretur; is autem cum eſſet tribus linguis inciſus, Hebraicâ, Græcâ & Latinâ, in tabella non multum ampla, qualis etiam nunc Romæ viſitur, nec characteribus haud ita magnis; in apice proceræ & quindecim pedum altitudinis affixus Crucis, vix ac ne vix quidem legi potuiſſet. His omiſſis, de quibus cùm apud Veteres nihil inveniatur, veriſimiliter tantùm loqui poſſumus.

II. Quoad materiam, ex qua Crux Chriſti confecta fuit, licèt omnes eam ligneam fateantur, ex quo tamen ligno confecta fuerit, non omnes conſentiunt. Ferunt aliqui, eam ex quatuor ligni ſpeciebus fuiſſe compactam, Cedro, Palma, Cupreſſu, & Oliva: ita Auctor Gloſſæ ad primam Clementin. de Summa Trinit. *Fertur*, inquit, *etiam Crux quatuor genera lignorum habuiſſe, ſcilicet Cedrum in ſtipite, Palmam in palo per longum, Cypreſſum in ligno ex tranſverſo, Olivam in tabula ſuper crucem loco quarti brachii: & datur verſus.*

Ligna Crucis, Palma, Cedrus, Cypreſſus, Oliva.

Idem ſenſit S. Bernardus (ſeu alius) Tractat. de Paſſione Domini cap 46., alio tamen ordine, nimirùm *Cypreſſus in profundo, cedrus in longo, oliva in alto, palma in lato.* Cenſent alii, ex cypreſſu, cedro, pino, & buxo eam conſtitiſſe, innixi Collectaneo

neo *de quatuor generibus ligni in Chriſti Cruce*, Bedæ falsò tributo, ubi hæc dicuntur: *Crux Domini de quatuor lignis facta eſt, quæ vocantur Cypreſſus, Cedrus, Pinus, & Buxus. Sed buxus non fuit in Cruce, niſi tabula de ligno illo ſupra frontem Chriſti fuit, in quo ſcripſerunt Judæi titulum: Hic eſt Rex Judæorum.* Pro hac ſententia citatur Chryſoſtomus, ſeu alius, ſerm. de Cruce.

Alii tria dumtaxat ligna in Cruce Domini poſuerunt aliter diſpoſita, nempè Cypreſsum in ſummo, Pinum in tranſverſo, Cedrum in imo. Ita Cantacuzenus in *Aſſert. contra Mahumetanos*. Alii demum Abietem, Buxum, & Pinum ſtatuerunt, ad hoc trahentes Iſaiæ Oraculum cap.60. v.13. *Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus & pinus ſimul, ad ornandum locum ſanctificationis meæ*: quaſi hæc prænuntiarent ligna, quibus Crux Chriſti eſset conſtituenda: ſed Iſaias non de Dominicæ Crucis loquitur, ſed Templi Hieroſolymitani conſtructione: ad quem finem, ut ait S. Hieronymus in dictum caput: *Quondam Hiram Rex Tyri Salomoni Joppen ligna mittebat ad ædificandum Templum Dei*. Vel, ut idem S. Doctor intelligit, per dicta ligna ſpiritualiter ſignificatur plenitudo Gentium, quæ Eccleſiam conſtituerunt.

III. Prætereunda non ſunt duo, licèt ea fabuloſa judicem. Unum refert Petrus Comeſtor in Hiſt. Eccleſiaſtica ad 3. Libr. Regum cap. 26. Quòd nimirùm, cùm Regina Saba ad propria remeaſſet: *Tradunt quidam, eam reſcripſiſſe Salomoni, quòd præſentialiter ei dicere timuit, ſe vidiſſe ſcilicet quoddam lignum in domo Saltus* (Libani) *in quo ſuſpendendus erat quidam, pro cujus morte Regnum Judæorum periret, & certis indiciis illud Regi indicavit. Quod timens Salomon, in profundiſſimis terræ viſceribus occultavit illud* (in loco, in quo poſtea piſcina probatica, de qua Joan.5.) *Pro cujus virtute aqua mota ſanavit ægrotos, quod tamen in libris ſuis negant ſe habere Hebræi. Sed quomodo circa tempora Chriſti ſupernataverit, incertum eſt, & creditur fuiſſe hoc lignum Crucis Dominicæ*. Alterum eſt: ſcribunt aliqui, Seth tertium ex filiis Adam, factâ ſibi ab Angelo poteſtate, ex Paradiſo terreſtri tria grana arboris vitæ aſportaſſe, quæ poſtea in terra ſepulchri patris ſui ſevit. Inde tria virgulta enata, quæ in unum coaleſcentia adoleverunt in trabem illam, de qua Reginam Saba prædixiſſe jam diximus, ecce fabulam annexam fabulæ.

IV. Si quid in re incerta probabiliter dici poteſt, crederem, ad veritatem propiùs accedere Lipſium & alios, qui Chriſti Crucem ex unico ligno, & quidem quercu ſeu robore formatam fuiſſe dicunt. Primò, quia qui attentè conſiderarunt ea, quæ nunc extant, ſacratiſſimi Ligni fruſta, roboris ſeu quercus ſpeciem

ciem referre conteſtantur. Secundò, quia crebra & frequens in Judæa olim fuit, & modò etiam eſt arbor illa: patibula autem cruces & furcas ex ligno obvio & promto fuiſſe conſtructa, veriſimillimum eſt. Tertiò, quia eſt lignum robuſtum & fixioni aptum, ac reis ſuſpendendis adhiberi ſolitum: unde Silius lib. 1. ait: *Quem poſtquam diro ſuſpenſum robore vidit*, & poſtea: *Erecto ſuffixum robore, mæſtis oſtentabat ovans populis*. Et Proba Faltonia in Centone ait,

Ingentem quercum deciſis undique ramis
Conſtituunt.

Hæc tamen puræ conjecturæ ſunt. Hoc mihi non videtur credibile, milites aut Judæos fuiſſe adeò ſtudioſos circa Crucem Chriſti, ut illam ex pluribus lignis, nec adeò communibus parare voluerint, ſed potiùs crediderim, unam ex ſolitis Crucibus, & quidem aliis duabus, quibus duo Latrones configendi erant, ſimilem formaſſe vel aſſumſiſſe, eamque Chriſto impoſuiſſe, ex quocumque ligno fuerit. Hoc mihi perſuadet, quod narrat Socrates lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 17. de Inventione S. Crucis, nimirùm quòd curante Helena Conſtantini matre tres Cruces repertæ fuerint, una, cui affixus eſt Dominus, aliæ, quibus duo Latrones addicti fuerant: ſed ita ſimiles, ut quænam eſſet Crux Chriſti ſine Miraculo, quod ibi narrat, diſcerni non potuerit. Quòd ſi Crux Chriſti ex pluribus lignis confecta fuiſſet, aliæ verò duæ ex uno tantùm; facile fuiſſet abſque recurſu ad miraculum, Crucem Chriſti ab aliis duabus diſcernere, cùm non ſit credibile, Cruces pro Latronibus eâ prorsùs mixturâ lignorum, ac Chriſti Crux, fuiſſe elaboratas.

§. II.

Crucis Chriſti forma.

V. QUæ Crucis Chriſti forma fuerit, æquè ambiguum judico, ac quæ, ut vidimus, fuerit ejus materia. Crucium altera dicitur *Simplex*, altera *Compacta*. Simplex eſt unum ſolum lignum rude ac informe, cujus brachiis miſer homo vel clavis configitur vel funibus alligatur. Et hujus formæ non fuiſſe Chriſti Crucem pro certo habemus. Nec obſtat, quòd Crucem Chriſti aliqui aſſimilaverint Cruci, cui appenſus fuit Aman, quæ Eſther 5. vocatur *Excelſa trabes*, & proinde Crux ſimplex: nam quidquid ſit de forma Crucis Aman, aſſimilatio hujus cum Cruce Chriſti fuit à quorumdam Judæorum mali-

litia adinventa. Cùm enim, ut refert Sozomenus lib. 1. Hiſt. c. 8., Conſtantinus primus omnium Lege latâ ad Chriſti venerationem Crucis ſupplicium ſuſtuliſſet, Judæi quadâm anni feſtâ die Crucifixi imaginem, unà cum Cruce, flammis abſumere continuabant, fucum facientes Chriſtianis dicendo, ſe non Chriſtum noſtrum, ſed Amanem Gentis ſuæ hoſtem infenſiſſimum ejuſmodi ſupplicio affectum repræſentare: at fraude detectâ ſeveris Imperatorum Edictis impium facinus coercitum eſt; præcipuè autem à Theodoſio Juniore Cod. Theodoſiano lib. 16. tit. 8., & Cod. Juſtiniano lib. 1. tit. 9. Lege Judæos, ubi ſtatuitur: *Judæos quoſdam feſtivitatis ſuæ ſolemnia ad pœnæ quandam recordationem incendere, & Sanctæ Crucis adſimulatam ſpeciem in contemtum Chriſtianæ Fidei ſacrilega mente exurere, Provinciarum Rectores prohibeant, neve locis ſuis Fidei noſtræ ſignum immiſceant; ſed ritus ſuos citra contemtum Chriſtianæ Legis retineant, amiſſuri ſine dubio permiſſa hactenùs, niſi ab illicitis temperaverint.*

VI. Crux ergo Chriſti ſimplex non fuit, ſed compacta duplici ligno. Hujus autem triplex ſpecies eſt, *decuſſata*, *commiſſa*, & *immiſſa*. *Decuſſata* eſt quaſi per mediùm ſecta, dum duo ligna directa ita inter ſe ex æquo obliquantur, ut referant figuram litteræ majuſculæ X, qualis eſt illa, in qua S. Andreas Apoſtolus pingitur. *Commiſſa* eſt illa, in qua ligno longiori erecto adjungitur in ſuperiori parte aliud lignum tranſverſum, ita ut nihil ligni erecti deſuper emineat; & reddat figuram litteræ majuſculæ T. Crux *immiſſa* ea eſt, in qua ligno longiori erecto injungitur aliud lignum tranſverſum, quaſi illud interſecans: ita ut pars ſuprema ligni recti ſuper tranſverſum lignum emineat, & hanc exhibeat figuram †.

VII. Chriſtum ergo in Crucem decuſſatam actum eſſe, nemo, quod ſciam, ſcripſit. De commiſſa & immiſſa tota controverſia eſt. Commiſſæ potiùs ternos dumtaxat angulos ſeu fines habenti, ac figuram T referenti, Chriſtum Dominum fuiſse affixum, cui poſtea adjecta fuerit deſuper titularis tabella, autumant non pauci ex Recentioribus. Volunt ergo, quòd nulla erecti ligni pars ſupra tranſverſum tolleretur, cui affixus eſſet Titulus, ſed ſola tabella titulum referens ſupra tranſverſum Crucis emineret: & hoc ex Veterum Traditione ſe hauſiſſe putant; Tertullianus enim lib. 3. contra Marcionem cap. 22. *Ipſa enim eſt*, inquit, *littera Græcorum Tau, noſtra autem* T *ſpecies crucis, quam portendebat futuram in frontibus noſtris apud veram & Catholicam Jeruſalem*: Hieronymus in cap. 9. Ezechielis: *Antiquis Hebræorum litteris, quibus uſque hodie utuntur Samaritani, extre-*

ma Thau *littera Crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur*. Sanctus Paulinus Epiſt.2. modò 24. ad Severum: Chriſtus *non multitudine, nec virtute legionum, ſed jam tum in Sacramento Crucis, cujus figura per litteram Græcam* T *numero trecentorum exprimitur, adverſarios Principes debellavit*. Et præter alios hoc apertè aſserit Innocentius III. in ſerm. præliminari ad Concil. Lateran. IV. his verbis: T *eſt ultima littera Hebraici alphabeti, exprimens formam Crucis, qualis erat, antequam Domino crucifixo Pilatus titulum ſuperponeret*. Ex quibus apparet, Pilatum nonniſi ſuffixo jam Chriſto *commiſſæ* Cruci titularem tabellam ſuperpoſuiſse, non ligno ſuper tranſverſum eminenti affigendo, ſed eam ſuper tranſverſum collocando, & ſic ternis Crucis angulis quartum addendo, quod explicaſse viſus eſt prælaudatus Innocentius III. ſerm.1. de uno Martyre, dicens: *Fuerunt autem in Cruce Dominica ligna quatuor, ſtipes erectus & lignum tranſverſum, truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus*. Ut enim ait Nicephorus Callixtus lib. 8. Hiſt. Eccl. cap.29., ubi narrat Dominicæ Crucis inventionem: *Tres ſparſim disjectæ Cruces, & tabula præterea alba inventa, in qua diverſis litteris Pilatus Regem Judæorum inſcripſerat: eaque ſupra caput Chriſti collocata in morem columnæ crucifixum illum Judæorum Regem eſſe promulgarat*: cui columnæ ſeu trunco ſuper tranſverſum Crucis erecto & clavis firmato tabella titularis erat affixa. Ita & quidem probabiliter.

VIII. Sed alii communiùs Crucem Dominicam fuiſse *immiſſam* cenſent, & formæ quatuor angulos referentis, opinantur, atque ſub hac forma pingitur & formatur Crux Dominica, non ſolùm à noſtris, ſed & ab antiquiſſimis temporibus, nimirùm, ſub hac figura †, ut videre eſt apud Joannem Baptiſtam Caſalium part.1. de Veter. Sacr. Chriſt. Ritibus, qui exprimit figuras Crucis variis modìs apud priſcos expreſsas, ex quibus aliquæ in his Romanis Baſilicis aſservantur, omnes ad modum Crucis *immiſſæ*, ideſt habentes rectum ſupra quadratum eminens. Quis autem credat, Eccleſiam veram Crucis Dominicæ formam vel ignoraſse, vel Chriſtianis aliter ac fuit expoſuiſse? Quapropter Baronius ad ann. Chriſti 34. n.93. ex hoc, quòd ab univerſa Eccleſia antiquis Imaginibus ſic ſculpta vel picta reddatur, infert, quòd de hoc ambigere inſaniæ vel inſcitiæ ſit adſcribendum. Hujus etiam teſtes adducit Ambroſium & Auguſtinum. Ambroſius enim ſerm. 56., qui eſt de Cruce, ibi eam aſſimilat arbori navis, in arbore autem navis lignum rectum, ideſt malus eminet ſupra tranſverſum, nempe antennam, cui ve-

velum alligatur; ſic in Cruce Chriſti lignum Crucis eminuit ſupra tranſverſum, cui Chriſtus affixus fuit. Eam quoque aſſimilat cœlo: *Nam cum quatuor partibus, hoc eſt Oriente & Occidente ac Meridiano & Septemtrione diſtinguitur, quatuor quaſi crucis angulis continetur.* Deinde addit: *Ipſius quoque inceſſus hominis, cum manus levaverit, crucem pingit.* Homo autem dum Cruce ſe ſignat, manu aſsurgit ad frontem, dein deſcendit ad pectus, poſtea aſsurgit ad humeros: frons autem humeris eminet. S. etiam Auguſtinus Tract. 118. in Joann. de Cruce ait: *Lata eſt quippe in tranſverſo ligno, quo extenduntur pendentis manus, & ſignificat bona opera in latitudine caritatis: longa eſt à tranſverſo ligno uſque ad terram, ubi dorſum pedeſque figuntur; & ſignificat perſeverantiam in longitudine temporis uſque in finem: alta eſt in cacumine, quo tranſverſum lignum ſursùm versùs exceditur; & ſignificat ſupernum finem, quò cuncta opera referuntur.* Et in Pſalm. 103. ſerm. 1. *Erat enim*, inquit, *latitudo, in qua porrectæ ſunt manus; longitudo à terra ſurgens, in qua erat corpus infixum; altitudo ab illo devexo ligno ſurſum quod eminet; profundum, ubi fixa erat Crux: & ibi omnis ſpes vitæ noſtræ.*

Scio, Auctores contrarios, hoc, quod in Cruce ſurſum eminet de titulo Crucis interpretari. „ Si enim (inquit Serry Exer-
„ cit. 43.) *commiſſæ* Cruci titulum ſupernè addideris, maximè
„ verò in columnæ modum, ut laudatus paulò ante Nicephorus
„ obſervavit, quadratam formam, quatuor extrema, quatuor
„ dimenſiones habebis, etſi nihil horum præſtiterit ſectus in
„ ſummo palus, ut in *immiſſa* Cruce contingit. Quod utique
„ ſignificatum voluit Auguſtinus, dum Crucis altitudinem pe-
„ tit *ab eo innexo ligno, quod ſurſùm eminebat*; hoc enim nil aliud
„ erat, niſi tabella titulum præferens, non ipſa defixi ligni ſum-
„ ma pars. Unde Gloſsa ſupra Clementinam I. de Summa
„ Trinitate ait, tabulam ſupra Crucem loco quarti brachii fuiſ-
„ ſe. Profectò quadratam Crucis formam, niſi hoc ſenſu dixe-
„ rint Patres, ut quartum angulum ſolus titulus redderet, ſe-
„ cum ipſi pugnabunt. „ Ita Serry & probabiliter quidem.

IX. Sed ne ſtatim aſſentiar, detinet in primis ſupradicta Eccleſiæ ab antiquis temporibus praxis formandi Chriſti Crucem ad modum *Immiſſæ* cum titulo in ſuprema parte ligni recti tranſverſo interſecata affixo. Auguſtinus & Ambroſius dum deſcribunt Crucem quadratam, eam videntur deſcribere, qualis fuit in ſe, cum Chriſtus ei affixus fuit, non qualis poſtea evaſit ex additamento tituli facto à Pilato. Neque Auguſtinus (in Editione ſaltem Maurina) dicit *ab eo innexo ligno*: *ſed ab illo devexo ligno*

gno ſurſum quod eminet, ideſt quod ſurſum eminet à ligno devexo, ideſt tranſverſo, quod clarius expreſſit Epiſt.140. aliàs 120. ad Honoratum cap.26., ubi de altitudine Crucis dicit: *Altitudo eſt in ea ligni parte, quæ ab illo quod tranſverſum figitur ſursùm versùs relinquitur, hoc eſt ad caput Crucifixi*. Quod ergo eminet ſupra lignum tranſverſum, non eſt aliud lignum innexum, ſed ejuſdem ligni recti pars. Patribus ſupra laudatis adjungo Minutium Felicem in Octavio, S. Maximum Taurinenſem, Sedulium lib. 3., Hieronymum, ſeu veriùs alium ſub ejus nomine Comment. in cap. 15. Marci dicentem: *Ipſa ſpecies Crucis quid eſt niſi forma quadrata mundi? Oriens de vertice fulgens, Arcton dextra tenet, Auſter in læva conſiſtit: Occidens ſub plantis firmatur... Aves quando volant ad æthera, formam crucis aſſumunt: homo natans per aquas vel orans forma crucis vehitur: Navis per maria, antenna cruci ſimilata ſufflatur*: T *littera ſignum ſalutis & crucis deſcribitur*. Scio, dicturum Serry hoc ultimum exemplum de T ſuam confirmare ſententiam. At priora certè eam deſtruunt. Nam ſuper alas expanſas avis volantis, ſuper brachia hominis natantis & orantis eminet caput, & ſuper antennam Navis eminet culmen arboris. Igitur T non eſt adæquata Crucis figura. Et ita conciliari poſſe exiſtimo Patres in ſpeciem pugnantes cum S. Gregorio lib.30. Moral. cap. 17. modò 25., ubi in illis trecentis viris, qui Gedeonem ſecuti victores evaſerunt, figuratos volens eos, qui in ternario Trinitatis nomine Chriſtum ſequuntur, dicit: *Notandum verò eſt, quia iſte trecentorum numerus in Tau littera continetur, quæ crucis ſpeciem tenet. Cui ſi ſuper tranſverſam lineam id quod in Cruce eminet, adderetur, non jam Crucis ſpecies, ſed ipſa Crux eſſet*. Sic ergo Patres, qui Crucem Chriſti aſſimilant Tau vel litteræ T, ſolùm volunt litteram T habere ſpeciem Crucis. Qui verò dicunt, Crucem Chriſti habuiſſe lignum erectum ſupra tranſverſum, loquuntur de ipſa Cruce.

X. Nec dicas. Si in Cruce Chriſti pars ligni recti eminuiſſet ſupra tranſverſum, & huic fuiſſet affixus titulus, etiam disjecto titulo facile fuiſſet ex clavorum veſtigiis Crucem Chriſti diſcernere à Crucibus Latronum, nec Helenæ Conſtantini matri opus fuiſſet, ad diſcernendum, quænam ex tribus Crucibus à ſe inventis eſſet Crux Chriſti, recurrere ad miraculum. Nam hoc idem dicam ego contrariæ ſententiæ patronis. Si titulus non erat affixus palo Crucis eminenti ſupra tranſverſum, ſed ut ait Nicephorus ad modum columnæ ſupra caput Chriſti in tranſverſo Crucis collocatus, certè debuit ei affigi aliquibus clavis, ut ibi ſta-

ſtaret immobilis: ergo ex veſtigiis & foraminibus illorum clavorum abſque miraculi ſubſidio potuiſſet Helena diſcernere Crucem Chriſti ab aliis duabus. Quidquid ergo reſponderint contrariæ opinionis defenſores, & nos reſpondebimus. Hæc dicta ſint pro tuenda Eccleſiæ in formanda Cruce perpetua conſuetudine, à qua ſine graviſſimo fundamento recedere, mihi ſemper religio fuit. Suæ tamen probabilitati oppoſitam opinionem relinquo.

XI. Quæri ſolet etiam ad plenam Dominicæ Crucis formæ cognitionem, an in ea eſſet fixa quædam ligni pars ad modum ſuppedanei, & alia admodum ſedilis, primum quorum in aliquibus Crucibus hodie viſitur, ſecundum verò in paucis.

De ſuppedaneo diſertè affirmat Gregorius Turonenſis lib. de Gloria Martyrum cap.6. dicens: *In ſtipite erecto foramen manifeſtum eſt: pes quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt: ſuper hanc verò tabulam tanquam ſtantis hominis ſacræ affixæ ſunt plantæ*. Hanc formam exhibet imago Crucifixi argentea in Sacrario Baſilicæ S. Petri Romæ aſſervata, quam Carolus Magnus Imperator à Leone III. Pont. Max. Romæ coronatus eidem Baſilicæ dono dedit anno Domini 815., in qua hoc ſuppedaneum cernitur, ut videre eſt apud Angelum Rocca in Deſcript. Sacrarii D. Petri tom.1. pag.152.: & huic fortè alludere voluit Innocentius III. ſupra relatus ſerm. 1. de Martyre uno, dum ait: *Fuerunt autem in Cruce Dominica ligna quatuor; ſtipes erectus & lignum tranſverſum; truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus*, ubi per truncum ſuppoſitum viſus eſt indicaſſe ſuppedaneum ſcabellum. At de hoc nihil proferre auſim. Autumat tamen Lipſius lib.2. de Cruce cap.10., dicens, *Nimis accuratam eam fabricam imo delicatam videri*; Crux enim ſupplicium erat; in eo non quid commodi, ſed quid cruciatus eſſet, ſtudebatur. Multæ quidem Chriſti crucifixi antiquæ Imagines cum tali ſuppedaneo exhibentur, ſed & multæ aliæ abſque illo. Ex quatuor enim, quas prælaudatus Rocca citato loco ſub oculis ponit, in una tantùm, nempè in ea, quam diximus à Carolo Magno donatam, viſitur ſuppedaneum, in aliis antiquioribus, ut ea, quæ Lucæ aſſervata fertur à Nicodemo Chriſti ante paſſionem occulto diſcipulo inciſa; & quæ Siroli prope Anconam colitur, à S. Luca, ut fert Traditio, efformata, ſuppedaneum non invenitur. Quare nihil certi audeo ſtatuere.

De ſedili ſeu pegmate medio ſtipiti infixo affirmant, S. Juſtinus Martyr Dialogo cum Tryphone pag.318. dicens: *Quod in medio* (Crucis) *fixum eſt, ut cornu & ipſum eminet, in quo vehun-*

buntur & inſident, qui Crucis ſupplicium ſubeunt: qui ſimilia cornua ponit in ſummitate & lateribus ſeu brachiis Crucis: S. Irenæus lib. 2. contra hæreſ. cap. 42. *Et ipſe habitus Crucis fines & ſummitates habet quinque, duos in longitudine & duos in latitudine, & unum in medio, in quo requieſcit, qui clavis affigitur*: & Tertullianus lib. adversùs Judæos cap. 10. *In antenna navis, quæ Crucis pars eſt, hoc extremitates hujus cornua vocantur: unicornis autem media ſtipitis palus*: & lib. 3. contra Marcionem cap. 18. idem repetens: *Nam*, inquit, *& in antenna Navis, quæ Crucis pars eſt, extremitates cornua vocantur, unicornis autem media ſtipitis palus*. Itaque ſecundùm præfatorum Patrum mentem Cruci affixus cornui è medio Crucis eminenti, quaſi inequitans inſidebat. Quod & Scaliger in animadverſ. Euſebianis approbat. Certè præfatis Patribus in deſcribenda Crucis forma major fides videtur adhibenda, quòd eo tempore floruerint, quo ſupplicium Crucis apud Romanos adhuc in uſu erat, poterantque oculorum teſtimonio hoc aſſerere: nondum enim erat per Conſtantinum ad Chriſti Crucifixi venerationem à ſuppliciorum genere pro reis abrogatum. Sed an hanc eandem formam Chriſto parata Crux habuerit, Chriſto, inquam, in cujus tormentum totum, in levamen nihil ſtudebatur, maximè cum hujuſcemodi ſedilis in medio Crucis poſiti nullum, quod ſciam, extet monumentum, ſuſpenſus hæreo, nec affirmans nec negans, ſed Sapientiorum judicium expectans.

CAPUT XXVIII.

De Crucifixione Jeſu Chriſti.

§. I.

De Convenientia Crucifixionis.

I. DICIT Lucas cap. 23. v. 33. *Et poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum*; quod ceteri Evangeliſtæ affirmant. Quærendum ergo exiſtimo, an conveniens fuerit, Chriſtum crucifigi ſeu pati in Cruce. Cui reſpondet S. Thomas 3. p. q 46. ar. 4. affirmativè: quod probat ſeptem rationibus ex Patribus deſumtis. Prima eſt propter exemplum virtutis. Nam, ut ait Auguſtinus lib. 83. quæſt. q. 25. *Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo rectè viveremus, ſuſcepit. Pertinet autem ad vitam rectam ea, quæ non ſunt me-*

metuenda, non metuere. Sunt autem homines, qui quamvis mortem ipſam non timeant, genus tamen mortis horreſcunt. Ut ergo nullum genus mortis rectè viventi homini metuendum eſſet, illius hominis cruce oſtendendum fuit: nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius & formidabilius. Hanc rationem urget S. Thomas etiam 4. contra Gentes cap. 55. n. 17.

Secunda eſt: *Quia hoc genus mortis maximè conveniens erat ſatisfactioni pro peccato primi parentis, quod fuit ex eo, quòd contra mandatum Dei pomum ligni vetiti ſumpſit. Et ideò conveniens fuit, quòd Chriſtus ad ſatisfaciendum pro illo peccato pateretur, ſe ligno affigi, quaſi reſtituens, quod Adam ſuſtulerat: ſecundùm illud Pſal. 68.* Quæ non rapui, tunc exolvebam.

Tertia ratio eſt: quia, ut Chryſoſt. dicit homilia de Cruce & Latrone: *In excelſo ligno, & non ſub tecto paſſus eſt, ut etiam ipſius aeris natura mundetur: ſed & ipſa terra ſimile beneficium ſentiebat, decurrenti de latere ſanguinis ſtillatione mundata*: & ſuper illud Joan. 3. *Oportet exaltari Filium hominis*, dicunt Theophylactus & Athanaſius lib. de Paſſ. & Cruce Domini: *Exaltari audiens, ſuſpenſionem intelligas in altum, ut ſanctificaret aerem, qui ſanctificaverat terram ambulando in ea.*

Quarta eſt: quia per hoc quòd in alto moritur, aſcenſum nobis parat in cœlum. Et inde eſt, quòd ipſe dicit Joan. 12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.*

Quinta: quia ſic expreſſit univerſalem ſalvationem totius Mundi: ut enim dicunt Gregorius Nyſsenus ſerm. 2. de Reſur., Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 12. „ Figura illa Crucis à medio „ contactu in quatuor extrema partita (ſignificantia quatuor „ mundi partes, ut cap. præcedente dictum eſt) ſignificat vir- „ tutem & providentiam ejus, qui in ea pependit, ubique dif- „ fuſam. „ Vel ut dicunt Chryſoſtomus & Athanaſius lib. de Incarnat. Verbi: *Expanſis manibus moritur, ut altera manu veterem populum, altera eos, qui ex gentibus ſunt, trahat.*

Sexta ratio eſt: quia per hoc genus mortis diverſæ virtutes deſignantur: unde Auguſtinus Epiſt. 140. aliàs 120. ad Honoratum cap. 26. *Non fruſtra*, inquit, *tale genus mortis elegit, niſi ut in eo quoque latitudinis hujus & longitudinis & altitudinis & profunditatis Magiſter exiſteret. Nam latitudo eſt in eo ligno, quod tranſverſum deſuper figitur: hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. Longitudo in eo, quod ab ipſo ligno uſque ad terram conſpicuum eſt: ibi enim quodam modo ſtatur, ideſt perſiſtitur & perſeveratur; quod longanimitati tribuitur. Altitudo eſt in ea ligni parte, quæ ab illo, quod tranſverſum figitur, ſurſum verſus re-*

relinquitur, hoc eſt ad caput Crucifixi; quia benè ſperantium ſuperna expectatio eſt. Jam verò illud ex ligno quod non apparet, quod fixum occultatur, unde totum illud exſurgit, profunditatem ſignificat gratuitæ gratiæ. Ita S. Auguſtinus, qui etiam Tract. 119. in in Joan. addit. *Lignum, in quo fixa erant membra patientis, etiam Cathedra fuit Magiſtri docentis.* Igitur Magiſter Chriſtus in ſuæ Crucis latitudine docuit nos bona opera extendere: in longitudine, in bonis operibus perſiſtere ac perſeverare: in altitudine, ſuperna ſperare: in eo quod terræ fixum occultatur, Divinæ Gratiæ arcana, qua totum ſpirituale bonum exſurgit, nolle ſcrutari.

Septima ratio eſt, ut plures in Cruce moriens impleret figuras miraculorum, quæ in Veteri Lege Deus per lignum fieri voluit: *De Diluvio enim aquarum humanum genus Arcâ ligneâ liberavit: de Ægypto Dei Populo recedente Moyſes mare virgâ diviſit, & Pharaonem proſtravit, & Populum Dei redemit: idem Moyſes lignum in aquam miſit, & amaram aquam in dulcedinem commutavit: & ligneâ virgâ de ſpirituali petra ſalutaris unda profertur: & ut Amalec vinceretur, circa virgam Moyſes expanſis manibus extenditur; & Lex Dei Arcæ Teſtamenti creditur ligneæ, ut his omnibus ad lignum Crucis, quaſi per quoſdam gradus veniatur.* Ita S. Thomas ex Auguſtino ſerm. 101. de tempore. Licèt autem hic ſermo inter genuinos Auguſtini hodie non computetur, quæ tamen ex ipſo S. Thomas excerpſit, ad rem præſentem mirè faciunt.

II. Potiſſima tamen ratio (ut puto), cur Chriſtus mortem Crucis elegit, eſt ea, quam S. Thomas in arg.. Sed Contra ex Apoſtolo adducit ad Philipp. 2. v. 8., nimirùm *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Qui enim ſe ipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, & inter homines vilis & abjectus apparere voluit, mortem etiam viliſſimam & ignominioſam eligere voluit, ut ſuo exemplo doceret nos, viam, quâ pervenire debemus ad gloriam & exaltationem, eſſe humilitatem: unde Paulus ſubdit: *Propter quod & Deus exaltavit illum* &c.

III. Nec eſt, quòd Judæi pertinaciter reſiſtant dicentes, Meſſiam, quem Prophetæ prænuntiarunt, tantum abeſſe, ut probroſam mortem in Cruce ſit ſubiturus, quin potiùs poteſtatem honorem Regnum æternum eſſet habiturus; de Meſſia enim ait Iſaias cap. 9. v. 7. *Multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis, ſuper ſolium David & ſuper regnum ejus ſedebit, ut confir-*

fir-

firmèt illud, & corroboret in judicio & juſtitia amodò & uſque in ſempiternum. Daniel etiam cap. 7. v. 14. *Et dedit ei poteſtatem & honorem & Regnum, & omnes Populi, Tribus, & Linguæ ipſi ſervient: Poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur; & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Meſſias ergo, inquiunt Judæi, ſecundùm Vaticinia Prophetarum, habere debet honorem poteſtatem & Regnum æternum, ita ut numquam ſit moriturus, ſed in perpetuum regnaturus. Cùm itaque Jeſus Nazarenus ſine honore, ſine poteſtate, ſine gloria fuerit, imo in Cruce morte turpiſſima vitam finierit, quomodo erit Meſſias à Prophetis prædictus?

IV. Sed antequam eis reſpondeam, peto à Judæis: Cùm Prophetæ de Meſſia non ſolùm prænuntient honorem poteſtatem & Regnum æternum, ſed prænuntient etiam ejus mortem ignominioſam poſt acerbiſſimam paſſionem; quæ adamuſſim in Jeſu Nazareno impleta, eum adduxerunt ad poteſtatem honorem & Regnum, cur ex primo negant Jeſum fuiſſe Meſſiam, eum autem verè Meſſiam fuiſſe ex ſecundo nolunt admittere? Audiant ergo: de Meſſia cap. 53. dicit Iſaias, fore *deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit.... Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras... Oblatus eſt, quia ipſe voluit & non aperuit os ſuum, ſicut ovis ad occiſionem ducetur... Et cum ſceleratis reputatus eſt.* Sapientiæ 2. v. 16. &c. inducuntur impii ſic blaſphemantes in Chriſtum: *Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis... & gloriatur Patrem ſe habere Deum. Videamus ergo, ſi ſermones illius veri ſint... Si enim eſt verus Filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumeliâ & tormento interrogemus eum... morte turpiſſima condemnemus eum*: conferant hæc Judæi cum iis, quæ eorum majores de Chriſto dixerunt, & in eum fecerunt, & negent, ſi poſſunt, iſta de Meſſia prædicta eos ad litteram in Jeſu impleviſſe. Nonne eum deſpectum ac noviſſimum virorum habuerunt, virum dolorum effecerunt, cum ſceleratis ideſt duobus Latronibus reputarunt, imo Barabbam ei prætulerunt? Nonne tota Scribarum, Phariſæorum, Pontificum in Jeſum invidia, quòd eorum vitia argueret, quòd Filium Dei ſe diceret? nonne propterea eum in ſuo Concilio morte turpiſſima Crucis damnaverunt, conclamantes Pilato *Crucifige crucifige eum*; & Jeſu jam in Crucem acto irriſoriè dicentes Matth. 27. v. 40. *Si Filius Dei es, deſcende de Cruce?*

V. Rurſus Daniel cap. 9. v. 25. poſt hebdomadas ſeptem & ſexaginta duas occidendum Chriſtum prædixit; evertendam inde Jeruſalem & Sanctuarium à Duce venturo; & populum, qui eum negaturus eſt, non fore ampliùs Populum Dei; hoſtiam ceſſaturam; & deſolationem uſque in finem duraturam. An hæc poſtquam Jeſum occiderunt evenerint, & adhuc perſeverent, negent Judæi, ſi poſſunt, dum hæc omnia in ſe experiuntur. Flagella, quibus erat cædendus, prædixit in perſona Chriſti David Pſalm. 72. v. 14. *Et fui flagellatus tota die*. Plagas in manibus & pedibus Pſal. 21. v. 17. *Foderunt manus meas & pedes meos*; & Zacharias cap. 13. v. 6. *Et dicetur ei* (Meſſiæ) *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dices: his plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me*: Irriſiones & ludibria idem David Pſ. 21. v 7. *Ego autem ſum vermis & non homo: opprobrium hominum & abjectio plebis: omnes videntes me, deriſerunt me: locuti ſunt labiis & moverunt caput*: & Pſal. 108. v. 25. *Et ego factum ſum opprobrium illis: viderunt me & moverunt capita ſua*. Conferant iterum hæc, quæ de Meſſia à Prophetis prædicta legunt Judæi cum illis, quæ ipſi in Jeſum exercuerunt, & negent, ſi poſſunt, ea, quæ à ſuis Prophetis de Meſſia fuerant prænuntiata, ſe in eum exactè conſummaſſe.

Rursùs obſervent. Referunt noſtri Evangeliſtæ, Principes Sacerdotum & Seniores Concilium iniiſſe, ut Jeſum dolo tenerent & occiderent: hoc de Meſſia prædixerat Regius vates Pſ. 2. v. 2. *Aſtiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum & adversùs Chriſtum ejus*. Teſtantur Evangeliſtæ Jeſum venditum fuiſſe triginta argenteis: hoc prædixerat Zacharias cap. 11. v. 12. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos*. His à Juda proditore in Templo projectis emtus fuit ager figuli: hocque idem Zacharias ſubjungit v. 13. *Et dixit Dominus ad me: projice illud ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in Domum Domini ad Statuarium*. Jeſus fuit ſputis oblitus, & in faciem cæſus: id clariſſimè præcinuit Iſaias cap. 50. v. 6. *Corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me*. Jeſus Chriſtus à falſis teſtibus fuit accuſatus: id Regius Vates prædixerat Pſ. 26. v. 12. *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui & mentita eſt iniquitas ſibi*. Jeſu Chriſti è Cruce pendentis veſtimenta ſibi partiti ſunt milites & tunicam ſorti dederunt: hoc prædictum legimus Pſal. 21. v. 19. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*. Felle & aceto fuit potatus: id quoque Pſ. 68. v. 22. le-

legimus prænuntiatum: *Dederunt in eſcam meam fel & in ſiti mea potaverunt me aceto*. Tandem Jeſu moriente ſol obſcuratus fuit: hoc legitur prædictum ab Joele cap.2. v.10., & ab Amos cap.8. v.9., ut infra oſtendam. Audiant ergo Judæi: Prophetæ ſui prænuntiarunt de Meſſia non ſolùm potentiam & regnum, ſed etiam tormenta paſſionem & mortem, quæ omnia in Jeſu adimpleta fuiſſe negare non poſſunt. Quo ergo, niſi ſola eorum pertinaci ac dura cervice, detinentur, ne ipſum fuiſſe verum Meſſiam promiſſum agnoſcant ac venerentur?

VI. Nunc ad Judæorum objectionem reſpondeo. Prophetas prænuntiaſſe de Meſſia Potentiam & Regnum æternum, ſed prænuntiaſſe etiam paſſionem & ignominiam mortis, poſt quam & propter quam Poteſtate & Imperio ſuper omnes Gentes erat à Deo donandus. Unde David Pſalm. 2., poſtquam deſcripſit, omnes Reges terræ & Principes conveniſſe in unum adversùs Dominum & Chriſtum ejus, ſubjungit in perſona Chriſti: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion Montem Sanctum ejus prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: Ego hodie genui Te. Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Hoc Jeſus per paſſionem ſuam ſe aſſecutum pronuntiavit, dum Matth. 28. v.18. ait Apoſtolis: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes Gentes .... Et ecce vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*. Meſſias ergo debuit habere honorem ſed poſt ignominiam, gloriam ſed poſt paſſionem, juxta illud Pſal.117. v.22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*; & ipſius Chriſti Lucæ 24. v.26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Et hoc dixit increpans duos illos Diſcipulos tanquam ſtultos & tardos corde ad credendum, quæ locuti ſunt Prophetæ: unde *Incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant*.

VII. Chriſtum Jeſum ſuper ſolium David ſeſſurum annuntiavit Gabriel Lucæ 1. v.32. *Hic erit magnus & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus; & regnabit in domo Jacob in æternum: & Regni ejus non erit finis*. Sed in duobus Judæi carnales hallucinantur: unum eſt, quòd litteræ adhærentes non ſpiritui, fingunt ſibi hoc Meſſiæ Regnum fore viſibile & terrenum, ac Meſſiam ſeſſurum in Throno, ſicut David ac ceteri Reges Mundi: cùm tamen ſeſſurus ſit non ſicut homo, ſed ſicut Filius Altiſſimi; nec Regnum ejus ſit habiturum finem, ut cætera regna terrena, ſed duraturum in

S 2 ater-

Digitized by Google

æternum, quia ſpirituale & Regnum Filii Dei, cujus Regnum terrenum David umbra fuit atque figura.

Alterum eſt, quòd dedignantur credere, Meſſiam, priuſquam Regno potiatur, paſſionibus & maledictis ac demum morti turpiſſimæ fore obnoxium, etſi Prophetæ concordes hoc aſſeverent, nec audire volunt Paulum Philippenſibus ita ſcribentem cap. 2. *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum & donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in Nomine Jeſu omne genuflectatur cœleſtium terreſtrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.*

VIII. Crux tamen Judæis ſcandalum eſt, quia ſupplicium à Deo maledictum, Deuteron. 21. v. 23. *Maledictus à Deo eſt, qui pendet in Ligno.* Ideòque ſibi perſuadere non poſſunt, Meſſiam omnium Prophetarum benedictionibus conſecratum, mortem adeò turpem eſſe ſubiturum. At hoc ſcandalum tollit Paulus ad Galat. 3. v. 13. dicens: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum; quia ſcriptum eſt: maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Ideò autem dicitur Chriſtus factus pro nobis maledictum, quia maledictum ideſt malum pœnæ in ſe ſuſcepit, ut nos à maledicto ſeu malo pœnæ & culpæ ſua morte liberaret: & ideò 2. Cor. 5. v. 21. dicit Paulus: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur Juſtitia Dei in ipſo.* Hoc horrore crucis permoti etiam Manichæi, ut ab hoc maledicto Chriſtum eximerent, dicebant, eum carnem ſolùm apparenter habuiſſe, ac proinde ſolùm apparenter crucifixum ac mortuum fuiſſe. Sed his reſpondet S. Thomas 3. p. q. 46. ar. 4. ad tertium, ex S. Auguſtino lib. 14. contra Fauſtum cap. 6. & 7. his verbis: *Peccatum maledictum eſt, & per conſequens mors & mortalitas ex peccato proveniens. Caro autem Chriſti mortalis fuit, & ſimilitudinem habens carnis peccati: & propter hoc Moyſes eam nominat maledictum, ſicut & Apoſtolus nominat eam peccatum dicens 2. ad Cor. 5.*,, Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit,, *ſcilicet propter pœnam peccati. Nec ideò major invidia eſt, quia dixit*,, maledictus eſt à Deo,, *Niſi enim Deus peccatum odiſſet, & mortem noſtram, non ad eam ſuſcipiendam atque tollendam Filium ſuum mitteret. Confitere ergo maledictum ſuſcepiſſe pro nobis, quem confiteris mortuum eſſe pro nobis. Unde ad Galat.*

lat. 3. *dicitur*,, Chriſtus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum ,,.

§. II.

De Modo Crucifixionis.

IX. Quæri poteſt primò. An Chriſtus Cruci humi ſtratæ atque jacenti confixus fuerit, quæ poſtea magno ſatellitum militumque conatu erecta fuerit, ut pictores effingere ſolent, an verò Cruci jam erectæ. Hoc ſecundum videtur probabilius: ſic enim, ut ait Serry Exercit.54., Perſarum & Romanorum ferebat uſus, ut in erectam ac terræ benè fixam Crucem admotis ſcalis reos agerent ac elevarent. Id enim ſonant familiares apud Scriptores profanos loquendi formulæ, *tollere in crucem*, *ferre in crucem*, *agere in crucem*, & apud Plautum frequentiſſimum eſt, *aſcendere in crucem*, *ſalire in crucem*, *excurrere in crucem*; & nullibi legitur *ſternere* aut *proſternere in cruce*, quod dicendum eſſet, ſi cruci humi ſtratæ reus configeretur. Hinc & Joſephus lib.7. de Bello Judaico: *Baſſus*, inquit, *juſſit defigi crucem*, *tanquam ſtatim ſuſpenſurus in ea Lazarum*: & lib.1. Eſdræ cap.6. v.11., ubi refertur Darii decretum de Domo Dei in Jeruſalem reædificanda, dicitur: *Omnis homo*, *qui hanc mutaverit juſſionem, tollatur lignum de domo ipſius & erigatur, & configatur in eo*. Priùs ergo erigebatur Crux, deinde in ea erecta reus configebatur.

Hunc etiam morem ſervatum fuiſſe in crucifixione Chriſti, videtur Chriſtus ipſe ſignificaſſe, dum eam vocat ſuam exaltationem Joan.3. v.14. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto*: *ita exaltari oportet Filium Hominis*: & Joan. 12. v.32. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra*, *omnia traham ad me ipſum*. Quare exaltatio ipſa crucifixione fiebat, non crucifixionem ſequebatur. Quod & Judæi apertè ſignificarunt ad Pilatum conclamantes: *Tolle*, *tolle*, *crucifige eum*, quaſi prius tollendum, poſtea crucifigendum. Imo ut exprimit Lucas cap. 23. idem intenderunt *tollere* ac crucifigere, dicentes: *Tolle hunc & dimitte nobis Barabbam*. Patrum etiam vox eſt Chriſtum aſcendiſſe Crucem. Ambroſius lib. 10. in Luc. ait: *Pulchrè autem aſcenſurus crucem*, *regalia veſtimenta depoſuit*: & infra: *Nunc quoniam trophæum jam vidimus*, *currum ſuum triumphator aſcendat*, & rursùs: *Reſtat igitur conſiderare*, *qualis aſcendat* &c. Sanctus Athanaſius ſerm. de Paſſione: *Venit*, inquit, *ad locum*, *ubi erat illi aſcendenda Crux*.

San-

Digitized by Google

Sanctus Hilarius lib. 10. de Trinit. *In lignum elevatus eſt*.

X. Quæri poteſt ſecundò, quot clavis Chriſtus fuerit cruci affixus. Fuiſſe enim cruci clavis affixum manibus ac pedibus trafixis certum eſt; id enim conſtat ex cap. 20. Joan. v. 25., ubi Thomas adhuc incredulus: *Niſi*, inquit, *videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum ... non credam*: cui v. 27. ait Chriſtus: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas* &c., & hoc ſonat nomen *Crucifixionis*, quaſi Cruci affixionis: quo utuntur Evangeliſtæ omnes. Qui enim cruci figitur, non funibus cruci alligatur, ſed cruci aliquo eam penetrante unitur, ſicut cum in pariete figitur palus.

Quod hic igitur controvertitur, eſt, quot clavis fuerit Jeſus cruci affixus, an ſolis tribus, ſingulis ſingulas manus perforantibus, & tertio binos ſimul pedes, alterum alteri ſuppoſitum transfigente: an verò quatuor, ita ut ſingulæ manus & ſinguli pedes propriis clavis crucifigerentur. Tribus ſolis clavis Chriſtum crucifixum, nimirùm uno utrumque pedem unum alteri ſuppoſitum transfigente, communiter formant Statuarii, & Pictores effingunt hac noſtra ætate. His videtur faviſſe auctor Tragicomediæ inſcriptæ *Chriſtus Patiens*, Gregorii Nazianzeni falſum præferentis nomen, ut Critici peritiores ſentiunt (ubi lignum ipſum crucis vocatur *Triclavium*, hoc eſt, tribus clavis perforatum.)

Alii verò clavos quatuor agnoſcunt, pro ſingulis manibus & ſingulis pedibus unum. Ita Chriſtum crucifixum exhibent quatuor antiquiſſimæ imagines ab Angelo Rocca tom. 1. pag. 252. expoſitæ, & aliæ apud Juſtum Lipſium lib. 2. de Cruce cap. 9. Favet huic opinioni Veterum auctoritas, inter quos Gregorius Turonenſis lib. de Gloria Martyrum cap. 6. *Quod*, inquit, *clavi Dominici quatuor fuerint, hæc eſt ratio: duo ſunt affixi in palmis & duo in plantis: & quæritur, cur plantæ affixæ ſint, quæ in Cruce Sancta dependere viſæ ſunt potiùs, quàm ſtare? Sed in ſtipite erecto foramen factum manifeſtum eſt. Pes quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt: ſuper hanc verò tabulam tanquam ſtantis hominis ſacræ affixæ ſunt plantæ*. Quibus Gregorius oſtendit, ſe fuiſſe in ſententia, quòd Cruci Dominicæ inſertum ſuppedaneum fuerit, de quo ſupra cap. præced. Idem ſenſit S. Auguſtinus, ſeu quiſquis ſit alius auctor Libri Medit. cap. 6. his verbis: *Immaculata veſtigia Chriſti diris confixa clavis*: & ante S. Cyprianus (ſive alius Cypriano coævus) ſerm. de Paſſione in hunc modum *Clavis ſacros pedes terebrantibus*.

Confirmant hoc Scriptores, qui in Inventione S. Crucis facta

cta ab Helena Conſtantini matre, quatuor clavos fuiſſe ſimul repertos, vel ſaltem plures, quàm tres ex modo loquendi ſatis oſtendunt: Ruffinus enim lib.1. Hiſt. cap.8. ita ait: *Clavos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum* (Helena) *portavit ad filium* (Conſtantinum) *Ex quibus ille frænos compoſuit, quibus uteretur ad bellum. Et ex aliis galeam, nihilominus belli uſibus aptam, fertur armaſſe*. Si ergo Conſtantinus ex clavis (plurali numero) frænos compoſuit, & galeam ex aliis clavis armavit, clavos plures, quàm tres fuiſſe neceſſe eſt. Similiter loquuntur Caſſiodorus lib. 2. Hiſt. tripartitæ cap. 18., Theodoritus lib.1. Hiſt. cap. 18., & Nicephorus lib.8. cap.19. Quibus addo Innocentium III. ſerm. de uno Martyre ita loquentem: *Fuerunt autem in Cruce Dominica ligna quatuor: ſtipes erectus, & lignum tranſverſum, truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus. Fuerunt & clavi quatuor, quibus manus confixæ ſunt & pedes affixi*. S. Birgittam lib.4. Revel. cap.40. dicentem: *Pervento igitur ad locum crucifixionis; & ecce Malleus & quatuor clavi acuti in promtu ſunt*. Sacra quoque Stigmata S. Franciſci clavos omnino quatuor repræſentare teſtantur Lucas Wadingus in Annal. Fratrum Minorum ad Ann. 1224. Idem ſentiunt Lucas Tudenſis lib.2. contra Albigenſes cap. 11., ubi allatis præfatis Innocentii III. verbis: *Quatuor*, inquit, *clavos in Domini corpore fuiſſe fixos, magnus ille Dei Vicarius Innocentius III. teſtatur dicens: Fuerunt in Paſſione Domini quatuor clavi, quibus manus fixæ ſunt & pedes fixi*. Scaliger in animadverſionibus ad Euſebium, Caſaubonus Exercit.35., Juſtus Lipſius lib.2. de Cruce cap.9., Richardus Montacutius de Origine Eccleſiæ tom.1., Medina in 3.p. D.Thom. q.46. ar.2., Sylvius in eandem q.46. S. Thomæ ar.4., Alphonſus Palæotus Archiep. Bonon. lib. de Stigmatibus Sacræ Sindoni impreſſis cap. 19., Toletus in cap. 19. Joan., & Baronius ad ann. 326. n.52. Hoc idem, præter ſupracitatas Chriſti Crucifixi imagines, oſtendunt aliæ veteres, de quibus laudatus Rocca pag.263. &c., eum quatuor clavis confixum exhibentes. Quare neſcio, unde invaluerit generalis conſuetudo Chriſtum tribus ſolis clavis confixum hodiernis temporibus exprimendi.

XI. *Quod verò*, inquit Baronius ad ann. 326. n. 54., *clavi, quibus Cruci ſuffixus eſt Chriſtus, plures diverſis in locis hodie reperiri dicantur, nihil eſt, quòd pluribus, quàm tribus vel ad ſummum quatuor Chriſti manus ac pedes confixos eſſe putemus: licèt multa extent exempla Sanctorum Martyrum, & inter alia, quod S. Ambroſius recitat* (lib. Exhort. ad Virgines) *de Martyre multiplicibus clavis affixo patibulo. Ait enim ipſe cùm agit de inventione Agricolæ*

Digitized by Google

colæ martyris crucifixi „ Nos legimus martyris clavos, & multos quidem, & plura fuerunt vulnera, quàm membra „ *Sed fortaſſe accidit, ut ex aliquo clavorum Chriſti modica ſingulis acceſſerit ferri portio, vel potiùs deperditis antiquioribus rem teſtantibus monumentis, clavi illi, quibus compacta ſunt ligna Sanctiſſimæ Crucis, crediti ipſi fuerint, quibus Chriſti membra Cruci fuerunt infixa: niſi forte alicubi accidit, ut clavus aliquis inter ſacras Reliquias aſſervatus, quo myſtica membra Chriſti, nempe martyr quiſpiam, confixus eſt, idem unus ex ipſis Chriſti clavis fuerit exiſtimatus. Quidquid ſit, fides (quod ait Ambroſius) purgat facinus: cùm nemo fidelium ferrum colat, ſed Chriſti potiùs paſſionem veneretur & adoret in ferro*. Hæc Baronius, valdè notanda pro hoc, & ſimilibus caſibus. Cum enim, ut notat Fontaninus in ſua Diſſert. de *Corona ferrea Longobardorum*, viginti quinque Clavi Dominici diverſis in locis venerationi exponantur, non aliâ viâ vindicari poſſunt, niſi dicendo, vel in quibuſdam illis clavis extare veram partem clavorum, qui membra Chriſti perfoderunt, quam piè aſſervatam, poſtea alteri ferro compactam in novum ac integrum clavum cudendam Fideles curarunt, pro certo habentes vim particulæ veri clavi alteri ferro permixtæ ad novum clavum tranſire. Vel etſi clavus ille non ſit ex illis, qui membra naturalia Corporis Chriſti perfoderunt, eſſe tamen ex illis, qui membrum ejus myſticum, puta Martyrem transfixere: læſionem enim unius ex membris ſuis ut ſuam Chriſtus Caput reputat, & ideò Saulo perſequenti Eccleſiam Act. 9. ait: *Cur me perſequeris?* & ab oppoſito honorem præſtitum membro ſuo propter ſe, ut ſibi factum acceptat. Vel eſse novos clavos à veris & archetypis fabricatos, ut ex eorum aſpectu animæ ſolamen haurirent, & ſuam in Dominicam Crucem fovere poſsent pietatem. Vel tandem eſse unum ex clavis, quibus, eſto Chriſtus confixus non fuerit, partes tamen Crucis fuerunt colligatæ, & titulus affixus, *qui omnes* (ut ait Lucas Tudenſis lib. 2. contra Albigenſes cap. 11.) *conſecrati ſunt, ipſo Dei Filio in Cruce pendente, & meritò à Fidelibus cunctis devotiſſimè adorantur*.

XII. Inauditum & planè novum eſt, quod apud Mellorvnm lib. de Stigmatibus, & Cornelium à Lapide legitur, nempè Chriſtum clavis, non per volam ſeu palmam manus, ſed per carpum, ideſt per partem palmæ, qua brachio jungitur, adactis fuiſse confixum. Sed quo fundamento? Quia, inquiunt, clavorum per carpum infixorum ſigna in Sacra Sindone Taurinenſi apparent. Sed clavos non per carpum ſeu per illam extremam brachii partem, quæ manui jungitur, ubi venæ pulſum ſolet tan-

tangere medicus, imo per volam manus ſeu per mediam manum fuiſſe infixos, apertè nos docet Scriptura Joann. 20. *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum* &c. Pſal.21. *Foderunt manus meas & pedes meos*, & Zachariæ 13. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* His ergo Sacræ Scripturæ locis, cui ſtandum eſt, conſtat, volas ſeu palmas manuum Chriſto fuiſſe clavis confixas & ſauciatas, non verò carpos, ad quos potuit quidem à plaga manus effluere ſanguis: & hoc eſt quod in Sacra Sindone apparet.

XIII. Quæri ſolet tertiò, an Chriſtus affixus Cruci fuerit omni veſte ſpoliatus & omnino nudus? Ratio dubitandi eſt tum obvia conſuetudo Chriſtum in Cruce pingendi aliquo linteo ſeu perizomate partes ſecretiores tegente cinctum; tum quia aliquæ antiquæ Icones repræſentant nobis Chriſtum in Cruce veſtitum; & præcipuè illa, quæ Lucæ aſservata fertur à Nicodemo, ex Phariſæis homine, & ex Principibus Judæorum uno, & Diſcipulo Chriſti ante paſſionem occulto, ligno cedrino inciſa; & altera etiam Crucifixi imago, quæ tempore Joannis Papæ VII. circa annum 706. opere muſivo ſupra Portam Sanctam ad interiorem partem Veteris Baſilicæ S. Petri poſita Chriſtum tunicâ ſeu ſubuculâ uſque ad talos coopertum repræſentabat. Et quidem quòd fuerit omni veſte ſpoliatus nullam habet difficultatem. Nam Chriſtum fuiſſe Cruci affixum omnibus veſtibus etiam interiori tunica exutum, ex Evangeliſtis habemus, qui concorditer dicunt, quòd milites crucifixores ſibi ejus veſtes diviſerunt, & tunicam inconſutilem commiſerunt ſorti, ut videre eſt præcipuè apud Joannem cap.19. v.23. & 24.

Difficultas reducitur, an ſcilicet exutus veſtibus omnino nudus in Crucem actus fuerit, & ab ea nudus pependerit, an ad honeſtatem & pudorem aliquo linteo ſeu velo, ut communiter pingitur, in parte corporis ſecretiori fuerit coopertus. Si Patres conſulimus, nudum prorsùs in Cruce pependiſſe nobis dicent. Athanaſius ſerm. de Paſſione & Cruce Domini: *Decebat enim*, inquit, *eum, cùm hominem introduceret in Paradiſum, tunicas exuere, quas accepit Adam, cùm ex Paradiſo exturbaretur*. Sanctus Ambroſius lib. 10. in Lucam: *Victus eſt Adam, qui veſtimenta quæſivit; vicit ille, qui tegimenta depoſuit, & talis aſcendit, quales nos auctore Deo natura formavit*. S. Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum cap. 23. nuditatem Chriſti in Cruce comparat nuditati Noe inebriati in domo ſua: idem ſentiunt S. Cyrillus Hieroſolym. Catech. Mytagogica 2., S.Joan.Chyſoſt. Homil.2. in cap. 2. Epiſt. ad Coloſs., Heſychius Homil. de S. Andrea, San-

Sanctus Bonaventura in Medit. vitæ Chriſti cap.78., & S. Thomas in cap.19. Joann. Lect.4. *Denudaverunt, inquit, eum, quod abjectis perſonis tantùm fieri conſuevit*. Ex Recentioribus autem Joannes Heſſelius, Joannes Molanus, Franciſcus Lucas, Gretſerus, Suarez & alii. Qui de nuditate totali certè loquuntur, dum Chriſtum ſic nudum fuiſse in Cruce dicunt, ut naſcimur nos, ut cœlum petemus, ut Proto-parentes fuerunt in Paradiſo, ut Noe ebrius nudatus fuit. Et ideó præcludunt viam piæ quorundam interpretationi dicentium, laudatos Patres de nuditate latiùs accepta fuiſse locutos, excludente quidem extimas veſtes, ſed non qualecumque tegumentum ad pudorem & honeſtatem.

XIV. Non damno tamen piam conſuetudinem Chriſtum crucifixum, ſive columnæ alligatum, ſive in Jordane tinctum, renes velo contectum effingendi, ut hac via pudori conſulatur, quamvis hiſtoriæ veritas aliter ſe habeat: æquum eſt enim, ut Chriſti nuditas à Judæis expoſita à Chriſtianis tegatur, ſicut nuditas Noe à filio Cham irriſa & oſtenſa, ab aliis duobus filiis Sem & Japhet cooperta fuit Gen.9. Ita S. Auguſtin. lib.12. contra Fauſtum cap.23. citato: *Proinde*, inquit, *in duobus filiis maximo & minimo* (Sem & Japhet) *duo Populi figurati unam veſtem à tergo portantes, Sacramentum ſcilicet jam præteritæ atque tranſactæ Dominicæ paſſionis, nuditatem patris neque intuentur, quia in Chriſti necem non conſentiunt; & tamen honorant velamento, tanquam ſcientes, unde ſint nati. Medius autem filius, ideſt Populus Judæorum, ideò Medius, quia nec primatum Apoſtolorum tenuit, nec ultimus in Gentibus credidit, vidit nuditatem patris, quia conſenſit in necem Chriſti: & nuntiavit foras fratribus: per eum quippe manifeſtatum eſt, & quodam modo publicatum, quod erat in Prophetia ſecretum; ideòque ſit ſervus fratrum ſuorum*. Probare tamen non poſſum quorundam zelum (ſi modò ſunt) qui Chriſti imagines in Cruce pendentis nonniſi talari veſte contectas exhibere velint, fortè moti ex Gregorio Turonenſi lib. de Gloria Martyrum c.22., qui ſcripſerat, Chriſtum Dominum præcepiſſe imaginem ſuam de integro veſtiri, ne ſic nuda conſpiceretur. Satis enim eſſe debet iſtis, quòd Eccleſia, ut honeſtati conſulat, Chriſtum è Cruce pendentem velo ad renes præcincto exhibeat, reliquum corporis ad excitandam Fidelium pietatem ac devotionem nudum relinquens; & hoc, ut conjectis in ipſum oculis: *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem Fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem confuſione contemtá*, ut ait Paulus Hebr. 12. v.2.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

De Latronibus unà cum Chriſto Cruci affixis.

§. I.

An conveniens fuerit, Chriſtum cum Latronibus crucifigi.

I. De hoc agit Angelicus noſter Doctor 3. p. q. 46. ar. 11. Conveniens autem fuiſſe dicit, ut impleretur etiam in hoc Iſaiæ Oraculum c. 53. v. 9.; unde Marcus c. 15. v. 27. ait: *Et cum eo crucifigunt duos Latrones, unum à dextris & alium à ſiniſtris ejus. Et impleta eſt Scriptura, quæ dicit: & cum iniquis reputatus eſt.* Aliâ tamen intentione (inquit S. Thomas) Chriſtum inter Latrones crucifixerunt Judæi; alia fuit ex ordinatione Divina. Ex intentione enim Judæorum hoc factum fuit, ut ejuſdem ſuſpicionis fieret particeps, ſcilicet ut malefactor & ipſe reputaretur, & Crux ejus cum Crucibus Latronum confunderetur: *Sed* (ut ait S. Joann. Chryſoſtomus Homil. 88. in Matth.) *non ita evenit: nam de illis nihil dicitur; hujus autem ubique Crux honoratur: Reges diademata deponentes aſſumunt crucem in purpuris, in diadematibus, in armis, in menſa ſacrata; ubique terrarum Crux emicat.*

II. Deus verò plures habuit rationes, quibus ordinavit, ut Chriſtus inter duos Latrones crucifigeretur. Prima, quia *ſicut pro nobis maledictum Crucis factus eſt Chriſtus: ſic pro omnium ſalute inter noxios, quaſi noxius crucifigitur.* Et hæc eſt ratio Hieronymi ſuper caput 27. Matthæi. Secunda, quia ut dicit Leo Papa in ſerm. 4. de Paſſione: *Duo Latrones unus ad dexteram & alius ad ſiniſtram crucifiguntur, ut in ipſa patibuli ſpecie monſtraretur illa, quæ in judicio ipſius omnium hominum facienda eſt diſcretio*: & Auguſtinus Tract. 31. in Joannem: *Ipſa Crux, ſi attendas, tribunal fuit: in medio enim Judice conſtituto, unus qui credidit liberatus, alter qui inſultavit damnatus eſt: jam ſignificabat, quid facturus eſt de vivis & mortuis, alios poſiturus ad dexteram, alios verò ad ſiniſtram.* Tertia, ut per duos Latrones cum Chriſto crucifixos oſtenderetur, *omnem humani generis univerſitatem ad Sacramentum paſſionis Domini vocari. Sed quia per diverſitatem Fidelium & Infidelium fit omnium ſecundùm dexteram ſiniſtramque diviſio, unus ex duobus ad dexteram ejus ſitus Fidei juſtificatione*

ſalvatur : & hæc eſt ratio Hilarii cap.33. in Matth. Quarta, quia *Latrones, qui cum Domino crucifixi ſunt, ſignificant eos, qui ſub fide & confeſſione Chriſti vel agonem Martyrii vel qualibet arctioris diſciplinæ inſtituta ſubeunt: ſed qui hoc pro æterna gloria gerunt, dextri Latronis fide deſignantur; qui verò humanæ laudis intuitu, ſiniſtri Latronis mentem imitantur & actus*: ita Beda cap. 44. in Marcum. His addit Ambroſius lib.10. in Lucam, quòd *myſticè Latrones duos Populos peccatores ſignificant per Baptiſmum crucifigendos eſſe cum Chriſto, quorum diſſenſio diverſitatem pariter credentium ſignat. Denique unus à ſiniſtris, alter à dextris erat. Increpatio quoque futurum Crucis ſcandalum etiam circa credentes revelat*. Ecce igitur, quod Judæi pararunt Chriſto in opprobrium converſum à Deo in myſterium. De his duobus Latronibus aliqua ſunt expendenda.

§. II.

Aliqua de duobus Latronibus examinantur.

III. PRimum dubium eſt, an hi duo Latrones fuerint & ipſi clavis confixi Cruci, an funibus alligati, & an veſtiti, an nudi, ut de Chriſto diximus.

Quoad primam dubii partem certum eſt, quidquid aliqui dixerint, Latrones fuiſſe Cruci clavis affixos, & non funibus Cruci alligatos. Patet ex modo loquendi Evangeliſtarum, qui concorditer dicunt, eos fuiſſe cum Chriſto crucifixos, Matthæus cap.27. v.38. *Tunc crucifixi ſunt cum eo duo Latrones*, Marcus cap.15. v.27. *Et cum eo crucifigunt duos Latrones*: idem dicunt Lucas cap. 23. v. 33., & Joannes cap. 19. v.18. Cùm ergo Chriſtus clavis fuerit Cruci affixus, ita & Latrones: eo vel maximè, quod verbum *Crucifigere* idem eſt, ac Cruci configere, quod clavis fit, non funibus; qui enim funibus eſt Cruci alligatus, dici quidem poteſt in Cruce ſuſpenſus, ſed non Cruci affixus. Accedit, quòd ſi duo Latrones non fuiſſent Cruci clavis affixi, ſed tantùm funibus alligati, inventis ab Helena tribus Crucibus, fuiſſet facile abſque recurſu ad miraculum diſcernere Crucem Chriſti à Crucibus Latronum, nimirùm ex foraminibus clavorum, quæ in Cruce Chriſti fuiſſent, in aliis duabus non: ita teſtantur S. Paulinus Epiſt. ad Severum, Theodoritus lib.1. Hiſt. cap.18., Nicephorus lib.8. cap.29. & alii. Propterea in hanc ſententiam conſpiraut Patres, Chryſoſtomus Homil. 15. in Epiſt. ad Rom. *Latro certè*, inquit, *crucifixus, clavis affixus* &c. & Ho-

& Homil. de Cruce & Latrone; Auguſtin. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. Latronem pœnitentem dicit Chriſto *conſortio Crucis æqualem*, & in Pſal. 39. de eodem: *Erat ille confixus omnibus membris, manus clavis inhærebant, pedes transfixi erant, totum corpus adjungebatur ligno... corde credidit, ore confeſſus eſt*: Gregorius Magnus lib. 18. Moral. cap. 23., modò 40., *In cruce clavi manus ejus pedeſque ligaverant, nihilque in eo à pœnis liberum, niſi cor & lingua remanſerant.*

Quoad ſecundam dubii partem extra controverſiam eſt, Latrones cum Chriſto Cruci affixos fuiſſe veſtibus ſpoliatos & prorsùs nudatos. Cùm enim, ut diximus, ita cum Chriſto factum fuerit, idem ſimiliter cum eis factum fuiſſe credendum eſt; eò vel maximè quòd conſuetudo ferebat, ut nudi Cruci affigerentur Rei.

IV. Secundum dubium eſt, an ambo Latrones Chriſto improperaverint, an unus tantùm. Hoc dubium excitant Evangeliſtæ: nam Matthæus cap. 27. v. 44., & Marcus cap. 15. v. 32. ambos Chriſto improperaſſe dicunt: *Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei*. Ab oppoſito autem Lucas de uno tantum loquitur cap. 23. v. 39. *Unus autem de his, qui pendebant, Latronibus, blaſphemabat eum dicens: ſi tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos. Reſpondens autem alter, increpabat eum dicens: neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es. Et nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali geſſit.*

Hæc apparens diſſonantia Evangeliſtarum non modicè torſit Patres; qui propterea ad eam tollendam varias excogitarunt vias: S. Auguſtinus lib. 3. de Conſ. Evangeliſt. cap. 16. dicit, Matthæum & Marcum ſecundùm uſitatum morem loquendi Scripturarum poſuiſſe numerum pluralem pro ſingulari: *Sicut in Epiſtola ad Hebræos* (cap. 11.) *legimus pluraliter dictum*,, clauſerunt ora Leonum,, *cùm ſolus Daniel ſignificari intelligatur*: & *pluraliter dictum*,, ſecti ſunt,, *cùm de ſolo Iſaia tradatur*. *In Pſalmo etiam quod dictum eſt* (Pſalm. 2.),, Aſtiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum,, &c. *pluralem numerum pro ſingulari poſitum in Actibus Apoſtolorum* (cap. 4. v. 26.) *exponitur*: *Nam* Reges *propter Herodem*, Principes *propter Pilatum intellexerunt, qui teſtimonium ejuſdem Pſalmi adhibuerunt*. Inde allato etiam teſtimonio ex Auctoribus Paganis, qui plurali numero dicere ſolent Phedras Medæas & Clytemneſtras, cùm ſingulares fuerint, ſic proſequitur: *Quid autem uſitatius, verbi gratia, quàm ut dicat aliquis*: & *ruſtici mihi inſultant*: *etiamſi unus inſultet?* Inde notat ſic: *Tunc enim eſſet contrarium, quod Lucas de uno mani-*

nifeſtavit, ſi illi dixiſſent, ambos Latrones convitiatos Domino: ita enim non poſſet ſub numero plurali unus intelligi. Cum verò dictum eſt Latrones, *vel* qui cum eo crucifixi erant, *nec additum eſt* ambo, *non ſolùm ſi ambo fuiſſent poſſet hoc dici, ſed etiam quia unus hoc fecit, poteſt uſitato locutionis modo per pluralem numerum ſignificari*. Ita S. Auguſtinus: quæ etiam dicit Ambroſius lib. 10. in Lucam, quamvis rem in problemate relinquat, ait enim: *Fortaſſe & iſte priùs convitiatus eſt, ſed repentè converſus*.

Propterea alii ex Patribus ſentiunt, ab initio ambos quidem Latrones Chriſto fuiſſe convitiatos. S. Hieronymus in cap. 27. Matth. ad illa verba: *Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, dicit quidem: *Hic per tropum, qui appellatur Syllepſis, pro uno Latrone uterque inducitur blaſphemaſſe*. At poſtea allato Luca aſſerente, quòd altero blaſphemante, alter confeſſus ſit, ſubjungit: *Non quòd diſcrepent Evangelia, ſed quod primùm uterque blaſphemaverit, dehinc ſole fugiente, terrâ commotâ, ſaxiſque diſruptis, & ingruentibus tenebris, unus crediderit in Jeſum, & priorem negationem ſequenti confeſſione emendaverit*. In hac ſententia fuerunt Origenes Tract. 35. in Matth., Athanaſius ſerm. de Paſſione & Cruce Domini, Chryſoſtomus Homil. 88. in Matthæum, S. Proſper lib. contra Collatorem cap. 14., Theophylactus, Euthymius, & alii.

V. Ex his duabus ſententiis mihi videtur præferenda prior Auguſtini, quæ dicit unum tantùm ex Latronibus blaſphemaſſe Chriſtum, & Matthæum & Marcum per ſyllepſim fuiſse locutos indefinitè pluraliter dicentes, quod de uno intelligebant; & exprimentes blaſphemantis conditionem, non numerum notantes, ut in exemplis à S. Auguſtino adductis cernere eſt. Moveor primò, quia S. Thomas 3. p. q. 46. ar. 11. ad 3. hanc præeligere videtur, cùm eam priori loco ponat. Secundò, quia ſi uterque priùs Chriſtum blaſphemaſset, ille, quem pœnituit, non habuiſset locum alteri blaſphemiam exprobrandi, in quam lapſus fuiſset & ipſe. Tertiò, quia difficile eſt aſſignare, quando Latro pœnitens reſipuerit: dicere enim quòd reſipuit viſis ſignis, quæ evenerunt, ut dicit Hieronymus, pugnat cum Evangelio, quia cùm ea ſigna evenerint in morte Chriſti, non potuiſset Chriſtum alloqui dicens: *Domine memento mei* &c., nec audire ab eo reſponſum *Hodie mecum eris in Paradiſo*, niſi fortè dicatur, quòd tunc reſipuit, quando primò factæ ſunt tenebræ ab hora ſexta, cùm Chriſtus ſolùm horâ nonâ expiraverit. Sed de hoc infra.

VI. Tertium dubium eſt: an cùm dicatur, unum ex Latroni-

nibus poſitum fuiſse ad dexteram, alium ad ſiniſtram Chriſti, Latro pœnitens obtinuerit dexteram.

Communiter affirmant Patres, qui hoc ipſo ſymbolo aſse-runt, monſtratum fuiſse, quid in extremo judicio futurum ſit. Ita S. Hilarius cap.33. in Matth., S. Auguſtinus, qui Tract.31. in Joann. *Ipſa Crux*, inquit, *ſi attendas, tribunal fuit; in medio enim Judice conſtituto, unus Latro qui credidit liberatus, alter qui inſultavit damnatus eſt. Jam ſignificabat, quod facturus eſt de vivis & mortuis, alios poſiturus ad dexteram, alios ad ſiniſtram: ſimilis ille Latro futuris ad ſiniſtram, ſimilis alter futuris ad dexteram. Indicabatur, & judicium minabatur*. Idem ſentiunt S. Hilarius cap. 33. in Matth., & S. Leo Papa ſerm. 4. de Paſſione, quibus ſubſcribunt omnes Interpretes Recentiores: à quibus tamen ſolus, quem ſciam, reſilit Hadrianus Junius, qui Latronem reprobum ad dexteram locat, pœnitentem verò ad ſiniſtram, motus ex eo, quòd Jacob proximè moriturus Ephraim ad lævam poſito potiora jura tradiderit, quàm Manaſse dexteram tenenti, ut habetur Geneſ.48., ſed quàm levis ſit hæc conjectura, nemo non videt. Quid enim illis duobus filiis Joſeph & nepotibus Jacob cum duobus Latronibus ad latera Chriſti in Cruce poſitis? An Ephraim & Manaſses Latrones fuere hoſce duos præfigurantes? At hoc etiam dato, non haberetur intentum. Nam Jacob eis benedicens commutans manus poſuit dexteram ſuper Ephraim ſtantem ad ſiniſtram, cui potiora dare intendebat, & ſiniſtram ſuper Manaſse ſtantem in dextera, cui minora jura conferebat; & ſic benedicenti Ephraim factus eſt dexter, Manaſſes verò ſiniſter: ita Geneſ.48. v.14. dicitur: *Qui* (Jacob) *extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris, ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui major natu erat, commutans manus*.

§. III.

Nomina, Patria, meritum & demeritum, præmium, & pœna duorum Latronum.

VII. QUoad primum adeò varia ſunt nomina, quæ hiſce Latronibus affinguntur, ut vel ipſa varietas eorum nomina incerta eſſe demonſtret: & eò magis, quòd omnia ex putidis & apocryphis fontibus ortum habent. Pſeudo-Evangelium Infantiæ, ut ſupra dixi, & inferiùs repetam, Latronem pœnitentem vocat *Titum*, reprobum autem *Dumachum*: Pſeudo-Evangelium Nicodemi bonum vocat *Dimam*, reprobum

Ge-

Digitized by Google

Geſtam. In Hiſtoria Chriſti Xaveriana *Vrcimus* & *Juſtinus* dicuntur. In Collectaneis Bedæ adſcriptis, Bonus *Matha*, malus *Joca* vocantur. Goffridus Windocinenſis ſerm. 10. non quidem primus, ſed ex præfato Pſeudo-Nicodemo bonum Latronem appellat *Dimam*, alii *Diſmam*, alii *Giſmam* ſeu *Geſmam* vocitarunt. Nonnulli *Diſmam* dixere reprobum, *Geſtam* pœnitentem. Baronius in Notis ad Martyrologium 8. Kalend. Aprilis de bono Latrone dicit, *Dimam* hunc plerique appellant. Sed quoniam id ex apocryphis proditur, ea de cauſa nomen proprium hîc (in Martyrologio) conſultò prætermiſſum videtur: addit tamen ſub S. *Dimæ* nomine nonnulla ſacella & memorias erectas ſub eodèm titulo. Ceterùm cum de boni Latronis nomine non ſolùm ſileant Scriptura & Patres, ſed nec ullum ei nomen tribuant Martyrologia Bedæ, Uſuardi, Adonis, & Romanum, in quo ſolum legitur: *Hieroſolymis commemoratio Sancti Latronis, qui in Cruce Chriſtum confeſſus, ab eo meruit audire: Hodie mecum eris in Paradiſo*: id tentari, hariolari eſt, & in incertum laborare.

VIII. Quoad ſecundum, cujus patriæ & nationis fuerint præfati Latrones, æquè incertum eſt. Fuiſſe Gentiles, videtur ſupponere S. Joann. Chryſoſtomus ſerm. 7. in Geneſim, dum unius ex illis pœnitentiam cum Judæorum pertinacia opponens: *Qui Prophetarum fuerant documentis inſtructi, qui ſigna viderant, qui miracula Chriſti fuerant contemplati, de Chriſto dicebant* „ Dæmonium habet & ſeducit turbam „ ait: *Latro verò, qui Prophetas non audierat, qui prodigia non viderat, non attendit ad ignominiam, non reſpexit ad infamiam, ſed Divinitatem ipſam conſiderans* „ Memento, *inquit*, mei in Regno tuo „ *Sanè novum & inuſitatum*. Et quidem ſi verum eſſet, quod ſupra dixi, & ſtatim repetam, Latronem iſtum fuiſſe unum ex illis, in quos Chriſtus in Ægyptum fugiens propè Mataræam & Memphim incidit, & cui ob beneficium ab eo receptum Chriſtus prædixit mortem, & promiſit Regnum Gloriæ, facile eſſet credere, illum fuiſſe Ægyptium, & conſequenter Gentilem. Alii autem, inter quos Euthymius, opinantur, eos fuiſſe Judæos, quia unus eorum credidit, Jeſum eſſe Meſſiam promiſſum; hæc autem notitia viro Gentili, & Propheticarum promiſſionum prorsùs ignaro, adeſſe non poterat.

Nec mirari quis debet, quomodo Judæi fuerint, & ſimul Latrones. Nam, præterquam quod non eſt incredibile, etiam in Gente Judaica fuiſſe hujus criminis reos; notant Eruditorum aliqui, etiam ex Heterodoxis, tunc temporis Latrones fuiſſe nuncupatos, non ſolos eos, qui viatorum vitæ & pecuniis inſidia-

diabantur; ſed eos etiam, qui adverſùs Romanos rebellionem aut ſeditionem unà cum rapinis & cædibus excitaverant, aut ejus participes fuerant. Quod colligunt ex Joſepho lib.20. Antiqu. cap.6., & lib.4. de Bello Judaico cap.5., & apertè apparet ex Evangelio in Barabba, de quo ſcribit Marcus cap. 15. v. 7. *Erat autem unus, qui dicebatur Barabbas, qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium*: quod dicit etiam Lucas cap. 33. v. 25.: & de eodem Joannes dicit, quòd erat Latro cap.18. v.40. *Erat autem Barabbas Latro*. Hujus ergo fortè conſortes in ſeditione fuerant, qui cum Chriſto crucifixi Latrones vocantur.

IX. Circa tertium, ex dictis colligi poteſt, quale fuerit demeritum, ob cujus punitionem Latrones cruci affixi fuerunt. Porrò quale fuerit meritum, ob quod unus pœnitens converſus fuit, alter impœnitens manſit, recolenda & iterùm rejicienda tanquam fabuloſa ſunt, quæ ſupra cap. 13. §.3. ex Pſeudo-Evangelio Infantiæ retulimus, nimirùm quòd cùm Jeſus fugiens in Ægyptum in hos Latrones incidiſset, & alter eorum in Eum & Matrem & Joſeph pro more deſævire vellet, alter eum etiam dato pretio à facinore deterruit, propter quod Jeſus ei prædicens, ſe cum eis fore crucifigendum, & ſuo liberatori daturum præ alio pœnitentiam & vitam æternam; quod implevit: & iſte fuit ille, qui dicitur bonus Latro. Rejicienda eſt ſimilis narratio, quam exhibet S. Anſelmus Meditat. 15. de Beneficiis Dei ad Sororem his verbis: *Opinare verum eſſe quod dicitur, eum à Latronibus deprehenſum in via, & adoleſcentuli cujuſdam beneficio ereptum. Erat is, ut dicunt, principis Latronum filius, qui prædâ potitus, cùm parvulum in Matris gremio conſpexiſſet, tantò in ejus ſpecioſiſſimo vultu ſplendoris majeſtas apparuit, ut eum ſupra hominem eſſe non ambigens, incaleſcens amore amplexatus ſit eum: & ò, inquit, beatiſſime parvulorum, ſi aliud ſe tempus obtulerit, mibi miſerendi, tunc memento mei, & hùjus temporis noli oblivìſci. Ferunt, hunc fuiſſe Latronem, qui ad dexteram Dei crucifixus alterum blaſphemantem corripuit, dicens* „ neque tu times Deum„ &c. *Converſus verò ad Dominum, eum in illa, quæ in parvulo apparuit, intuens majeſtate, pacti ſui non immemor,*„ Memento, *inquit*, mei dum veneris in Regnum tuum„ *Itaque ad incentivum amoris, hâc non inutile arbitror uti opinione, remotâ omni affirmandi temeritate*. Hæc non affirmando, ſed opinando, non ad hiſtoriæ veritatem aſtruendam, ſed ad incentivum amoris erga Jeſum ſe referre, proteſtatur Anſelmus.

X. Igitur utrumque Latronem paria demerita traxerunt ad Cru-

crucem. Sed Deus, qui Roman.9. v.18. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*, unum ſuæ obſtinationi reliquit ad perditionem, alteri ſuam gratiam contulit ad ſalutem. Erga unum voluit exercere judicium & juſtitiam, erga alterum miſericordiam: *Quid* (inquit S. Auguſtinus in Pſal. 55.) *ille latro attulerat ad crucem? De fauce* (loco ubi latrocinia exercebat) *in judicium, de judicio in lignum, de ligno ad Paradiſum. Credidit, propter quod locutus eſt. Sed & ipſam fidem quis donavit, niſi qui juxta pependit?* Et S. Leo ſerm.2. de Paſſione ait: *Crucifixi ſunt cum eo, ſtatutis utrimque patibulis, Latrones duo: quorum unus ad id uſque temporis par ſimiliſque conſorti, inſidiator viarum, & ſaluti hominum ſemper infeſtus, uſque ad Crucem reus, fit Chriſti repentè confeſſor: & inter illos acerrimos corporis animique cruciatus, quos ſimul & inſtantia & difficultas mortis augebat, mira converſione mutatus*,, Memento, *inquit*, mei Domine dum veneris in Regnum tuum,, *Quæ iſtam fidem exhortatio perſuaſit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? Non viderat priùs acta miracula, ceſſaverat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, vivificatio mortuorum; ea ipſa, quæ mox erant gerenda, non aderant: & tamen Dominum confitetur & Regem, quem videt ſupplicii ſui eſſe conſortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, unde accepit fides ipſa reſponſum: ait enim ei Jeſus*,, Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradiſo,,. De hac Latronis fide magnificè adeò ſentit Auguſt. in Pſalm.68. ſerm.1., ut dicat: *A Latrone Apoſtoli victi ſunt, qui tunc credidit, quando illi defecerunt.*

XI. Interiori ergo fidei dono illuſtratus à Chriſto, bonus ille Latro credidit & confeſſus eſt: quare aſſentiri non poſſum piis quibuſdam ac ſanctis Viris, qui cauſam converſionis ejus dicunt fuiſſe, quòd nempè Chriſti de Cruce pendentis umbra in illum ad ſeptentrionem poſitum inclinarit, non item ad alterum, qui cum penderet ad Auſtrum, à Chriſti corpore inumbrari non poterat; tum quia cùm Chriſtus fuerit Cruci in meridie affixus, quomodo Latronem æquè in Cruce ſublimem umbra ſalutaris Chriſti attingere potuit? tum etiam quia teſte Marco cap. 15. v.33 *Factâ horâ ſextâ* (hoc eſt meridie, in qua crucifixus eſt Dominus) *tenebræ factæ ſunt per totam terram uſque in horam nonam*, hoc eſt poſt meridiem tertiam, in qua mortuus eſt Jeſus: unde non poterat umbra Chriſti Latronem à dextris adumbrare. Aſſentiar tamen, ſi per umbram Chriſti intelligant ejus virtutem, quo pacto S. Auguſt. in Pſ.68. ad illa verba Lucæ 1. v.35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, ait: *Quod eſt obumbrabit tibi, niſi umbram faciet?*

XII. An

XII. An verò Latro iſte pœnitens fuerit baptizatus Baptiſmo Aquæ, temporibus S. Auguſtini controvertebatur, quibuſdam volentibus, eum fuiſſe baptizatum in carcere, aliis, fuiſſe baptizatum in cruce eâ aquâ, quæ de latere Chriſti exivit: & hoc ut reſponderent Hæreticis & præcipuè Pelagianis neceſſitatem Baptiſmi negantibus ex facto Latronis, qui ſine Baptiſmo in Paradiſum intravit, ut legere eſt apud S. Auguſtin. lib. 1. de Anima cap. 9., ubi ex ſua ſententia loquens, dicit, Latronem etſi non Baptiſmo aquæ, baptizatum fuiſſe Baptiſmo Sanguinis, & Paſſionem, quam pro Chriſto tulit, fuiſſe illi loco Baptiſmi, his verbis: *Unde & Latro ille, non ante Crucem Domini ſectator, ſed in Cruce confeſſor; de quo nonnunquam præjudicium captatur ſive tentatur contra Baptiſmatis Sacramentum, à Cypriano Sancto* (Epiſt. ad Jubajanum) *inter Martyres computatur, qui ſuo ſanguine baptizantur, quod pleriſque non baptizatis fervente perſecutione provenit. Tanto namque pondere appenſum eſt, tantumque valuit apud eum, qui hæc novit appendere, quòd confeſſus eſt Dominum crucifixum, quantum ſi fuiſſet pro Domino crucifixus. Tunc enim fides ejus de ligno floruit, quando diſcipulorum marcuit.... Illi enim deſperaverunt de moriente, ille ſperavit in commoriente: refugerunt illi auctorem vitæ, rogavit ille conſortem pœnæ* &c. Ecce Auguſtinus in ſua ſententia admittit, Latronem Baptiſmo fidei confeſſionis & paſſionis, non Aquæ baptizatum fuiſſe. Quod confirmans lib. 4. de Bapt. contra Donat. cap. 22. ait: *Quantum itaque valeat etiam ſine viſibili Sacramento Baptiſmi, quod ait Apoſtolus, corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, in illo Latrone declaratum eſt.*

Quia tamen tunc de hac quæſtione non agebatur, ſed an Latro ille fuerit viſibili Sacramento baptizatus, & aliqui affirmativè tenerent; ideò S. Doctor loco citato ex lib. 1. de Anima cap. 9. omittit quidem, non incredibiliter dici, eum fuiſse baptizatum Aquâ, quæ è latere Chriſti exivit, cùm aliunde eum baptizatum non fuiſse nemo norit, nemo convincat: monet tamen, ne hoc exemplo quis abutatur, his verbis: *Verùm hæc ut volet quiſque accipiat, dum tamen de Baptiſmo non præſcribatur Salvatoris præcepto, hujus Latronis exemplo, & non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque cœlorum quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet, quaſi medium locum* (quod Pelagiani volebant.)

XIII. Hæc dixi, ut Sanctum Auguſtinum purgem à nævo, quem aliqui ipſi affingunt, nimirùm quòd fuerit, vel ſaltem propenderit in ſententiam, quòd Latro baptizatus fuerit aquâ,

V 2 & præ-

& præcipuè eâ, quæ de Chriſti latere effluxit. Quam opinionem puto & ego nullo fundamento niti. Latronem enim non fuiſſe baptizatum ante Crucem, conſtat, quia ante, ut Patres docent, nullam de Chriſto habuiſſe cognitionem ſupponitur: non in Cruce, & præcipuè aquâ è latere Chriſti exeunte, quia, ut habetur ex Joann. cap. 19. v. 32., quando unus militum lanceâ Chriſti latus aperuit, & exivit ſanguis & aqua, latro fractis cruribus jam erat mortuus. Et etiam quia eo tempore præceptum ſuſcipiendi Sacramentum Baptiſmi ad ſalutem nondùm obligabat. Et ideò aptè dicit Auguſtinus, quód nemo utatur hoc exemplo, ut præſcribatur, Latronis exemplo, Salvatoris præcepto de Baptiſmo ſuſcipiendo, quia ſcilicet tunc nondum obligaret, obligavit tamen poſt.

XIV. Quæri poteſt, an Latro ille ſit inter Martyres reputandus. Affirmativè reſpondendum cum S. Auguſtino ſupra laudato lib. 1. de Anima cap. 9., citante S. Cyprianum Epiſt. ad Jubajanum. Quod etiam dicit S. Hieronymus Epiſt. 13., modò 49. ad Paulinum, his verbis: *Latro Crucem mutat Paradiſo, & facit homicidii pœnam martyrium*: notat tamen S. Thomas in 4. diſt. 4. (in expoſit. litteræ) *Quòd habuit aliquid de martyrio, ſcilicet pœnam & juſtam voluntatem: & aliquid defecit ad martyrium, ſcilicet cauſa: ſicut in innocentibus defuit juſta voluntas; ſed fuit pœna & cauſa.*

XV. Circa quartum de Latronum pœna & præmio poſt mortem. Certum eſt, Latroni impœnitenti pœnam fuiſſe damnationem æternam: pœnitenti verò Paradiſum & Gloriam æternam; non enim eum feſellit, qui dixit ei: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Difficultas tamen, quam excitat S. Auguſtinus Epiſtol. 57., modò 187. ad Dardanum, cap. 2. eſt, quomodo verificari potuerit illud *hodie* mecum eris in Paradiſo, cùm ea die Chriſtus non fuerit in Paradiſo, ſed in ſepulcro poſitus ſecundùm corpus, apud inferos verò ſecundùm animam: cui reſpondet S. Doctor, faciliorem & expeditiorem ſenſum eſſe: *Si non ſecundùm id, quod homo erat, ſed ſecundùm id, quod Deus erat, Chriſtus dixiſſe accipiatur*, „Hodie mecum eris in Paradiſo„ *Homo quippe Chriſtus illo die ſecundùm carnem in ſepulcro, ſecundùm animam in inferno futurus erat. Deus verò ipſe Chriſtus ubique ſemper eſt.... Ubicumque ergo ſit Paradiſus, quiſquis Beatorum ibi eſt, cum illo ibi eſt, qui ubique eſt.* Quod expreſſit lib. 12. de Geneſ. ad litteram cap. 34., ubi præſcindens à loco, ubi ſit Paradiſus, dicit Chriſtum dixiſſe Latroni, quòd eadem die ſecum futurus eſſet in Gloria Beatorum. Adderem, quòd cùm Chriſtus etiam

etiam ut homo ſecundùm animam eſſet Beatus, & viſione clara Dei ubicumque eſſet frueretur, potuit verè dicere ut homo, quòd illa die futurus eſſet cum ipſo in Paradiſo, ideſt eâdem Gloriâ fruiturus, quâ ſecundùm animam ipſe fruebatur. Putant aliqui, quòd licèt de fide certum ſit, eo die, quo Chriſtus dixit, Latronem ingreſſum fuiſſe Paradiſum, & beatitudine donatum; Verùm quia poteſt intelligi, vel de die artificiali, ut ſit ſenſus *Hodie*, ideſt aute ſolis occaſum, vel de die naturali, & ita extendi poteſt uſque ad mediam noctem; proinde ſi quis diceret, poſt mortem habuiſſe hunc Latronem aliquid purgandum, atque ita per aliquot horas fuiſſe in Purgatorio, & à Chriſto illuc deſcendente fuiſſe liberatum, non loqueretur contra fidem.

Magis tamen veritati & doctrinæ Sanctorum Patrum conſentaneum eſt, & ferè certum, eum ſtatim poſt mortem abſque ulla mora fuiſſe Beatum: quia credendum eſt, converſionem adeò miraculoſam fuiſſe tam perfectam, ut integram remiſſionem culpæ & pœnæ conſecuta ſit. Accedit, quòd opera Chriſti erant perfecta & verba ejus indicant pleniſſimam remiſſionem, & inſuper tormentum Crucis, & fractio crurium ad plenam ſatisfactionem ei valere potuerunt. Qua ratione SS. Cyprianus Auguſtinus & Thomas ſupra laudati hunc Martyrem, & ſuo ſanguine baptizatum aſſerunt.

XVI. An verò Latro primus omnium viſione beata donatus fuerit, S. Cyrillus Hieroſol. Catech. 13. aſſerere viſus eſt, ait enim: *Nondum Abraham ille fidelis ingreſſus eſt, & Latro ingreditur: nondum Moyſes & Propheta, & Latro intrat*. Notat tamen P. Touttê, mentem S. Cyrilli ſolùm fuiſſe, quòd Latro fuerit primus, cui hæc promiſſio facta eſt, non quòd de facto primus intraverit. Nam ſi Chriſtus ad inferos deſcendens, ſtatim inde Patriarchas eduxerit, & in Paradiſum tranſtulerit, ut fert communior ſententia, & Latro non niſi poſt Chriſtum crurifragio extinctus fuerit, non potuit ante eos Paradiſum intrare, nec ex promiſſo Chriſti hoc colligi poteſt, qui dixit quidem Latroni: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, ſed non dixit *primus eris*. Fortè tamen Cyrillus fuit in ſententia, Chriſtum nonniſi hora duodecima ad inferos deſcendiſſe, vel etiam arbitratus eſt, Latronem ſtatim à morte ſua in Paradiſum inductum; Patriarchas verò nonniſi poſt triduum à Chriſti anima in ſubterraneis exactum, quod inſinuat Catecheſ. 4. num. 14., & Catech. 14. num. 18. Sed hoc omiſſo;

XVII. Deridendum eſt tanquam fabuloſum, quod de Latrone in Paradiſo Crucem portante in Pſeudo-Evangelio Nicodemi his

his narratur verbis „ dum Enoch & Elias in Paradiſo loqueren-
„ tur, ſupervenit alius vir miſerrimus portans humeris ſuis
„ ſignum Crucis. Et cum viderent omnes Sancti, dixerunt ad
„ eum, quis es tu? Quia viſio tua Latronis eſt: & propter quod
„ portas Crucem humeris? Quibus reſpondens, ait: verè dixi-
„ ſtis, quia Latro fui, omnia mala faciens ſuper terram: Et Ju-
„ dæi crucifixerunt me cum Jeſu, & vidi creaturarum mirabi-
„ lia, quæ facta ſunt per Crucem Domini, & credidi, eum eſſe
„ Creatorem omnium creaturarum, & Regem omnipotentem,
„ & deprecatus ſum eum dicens: *Memor eſto mei Domine, dum*
„ *veneris in Regnum tuum*. Statim ſuſcipiens deprecationem
„ meam, dixit ad me: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Pa-*
„ *radiſo*. Et dedit mihi ſignum iſtud Crucis, dicens: Hoc porta
„ & ambula in Paradiſo: & ſi non dimiſerit te ingredi Angelus
„ cuſtos Paradiſi, oſtende illi ſignum Crucis, & dices ad eum,
„ quia Jeſus Chriſtus Filius Dei, qui nunc crucifixus eſt, miſit
„ me hùc ad te. Cum hoc feciſſem, dixi ad Angelum cuſto-
„ dem Paradiſi hæc omnia. Qui cùm hæc à me audivit, ſtatim
„ aperiens introduxit me & collocavit me ad dexteram Paradiſi
„ dicens: ecce modicum ſuſtine te hìc, ut ingrediatur omnis
„ generis humani pater Adam cum omnibus filiis ſuis juſtis &
„ ſanctis Chriſti Domini crucifixi. Cùm audiſſent omnia verba
„ Latronis omnes Patriarchæ una voce dixerunt: Benedictus
„ es Deus Omnipotens Pater æternorum bonorum, & Pater
„ miſericordiarum, qui talem gratiam peccatoribus dediſti, &
„ in gratiam Paradiſi deduxiſti &c. Amen „. Hâc fabellâ vi-
detur aſſeri, Latronem primum ante omnes Paradiſi portæ aſti-
tiſſe, Paradiſi, inquam, terreſtris, non cœleſtis. Sed apage
nugas.

CAPUT XXX.

De Tempore crucifixionis Chriſti, Lictoribus &c.

§. I.

De Tempore, ſcilicet Anno.

I. NOMINE temporis intelligere poſſumus annum ſe-culi, annum ætatis, ac diem, qua Chriſtus eſt crucifixus. Duo priora implexa ſunt & incerta ob varias, in quas Auctores diſtracti ſunt, opiniones. Quo enim anno ſecu-li,

li, ſeu quo anno Imperii Tiberii Cæſaris mortuus ſit, adeò controvertitur, ut ubi certò figere poſſit pedem vix aliquis inveniat. Nos qui ex Lucæ cap.3. v.1. ſupra diximus, anno quinto decimo Imperii Cæſaris Joannem ſuæ prædicationi exordium dediſſe, & eodem currente anno Chriſtum à Joanne baptizatum fuiſſe: & qui inſuper oſtendimus, Chriſtum à ſuſcepto Baptiſmo prædicare cœpiſse, & tempore ſuæ prædicationis quatuor Paſchata celebraſse oſtendimus, dicere conſequenter debemus eum mortuum eſse ineunte anno 19. Imperii Tiberii. Et in hoc dicto ſalvâ aliorum opinione perſiſtimus.

II. Quoad tempus verò ætatis mortis Chriſti major eſt conflictus etiam inter Patres. Eum enim anno vitæ ſuæ trigeſimo crucifixum eſse, ſcribunt S. Clemens Alexandrinus lib.1. Stromat., Tertullianus lib. adverſùs Judæos cap.8. dicens: *Hujus* (Tiberii) *quinto decimo anno Imperii paſſus eſt Chriſtus, annos habens quaſi triginta quum pateretur*. Quis autem non videt hic Tertullianum directè opponi Evangelio Lucæ cap.3., qui dicit anno 15. Imperii Tiberii Chriſtum baptizatum, dum eſset annorum quaſi triginta? Sanè ſi Chriſtus hoc anno imperii & ætatis mortuus eſt, nec docuit, nec prædicavit, nec diſcipulos habuit, cùm hæc poſt annum ætatis trigeſimum facta referantur. Nihilominus Tertulliani hanc ſententiam tuentur Julius Africanus apud Hieronymum in cap. 9. Danielis, Lactantius lib.4. Inſtit. cap.1., S. Hieronymus Epiſt. 22. modò 18., & S. Auguſtinus lib.18. de Civit. Dei cap. ultimo dicens: *Mortuus eſt ergo Chriſtus duobus Geminis Conſulibus*, & alii. Origenes autem Tract.35. in Matth., Philaſtrius Brixienſis lib. de Hæreſibus, & Chryſologus ſerm.151., volunt eum fuiſſe paſsum anno trigeſimo primo vitæ ſuæ, & S. Epiphanius anno trigeſimo ſecundo. S. Maximus parte 1. Computi Eccleſiaſtici, & Chronicon Alexandrinum anno trigeſimo quarto. Anno prope quadrageſimo ætatis mortuum volunt, S. Chryſoſtomus Homil.54., & Regino Abbas Portuenſis. In hoc ſingularis eſt Irenæus, qui lib.2. adverſùs Hæreſ. c.39. modò 22., Chriſtum prope quinquagenarium ætate jam in ſenium declinante mortuum eſſe putat: &, quod majus eſt, addit: hoc teſtari Evangelium, & eos, qui in Aſia apud Joannem diſcipulum Domini convenerunt, quod Joannes idpſum eis tradiderit; & rursùs quidam eorum non ſolùm Joannem, ſed & alios Apoſtolos viderunt, & teſtantur de hujuſmodi relatione. Probare etiam contendit Irenæus ex Evangelio, ubi Judæi diſputantes cum Chriſto Joan.8. v.56. & 57. reſponderunt ei: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Hoc au-

autem conſequenter dicitur ei , qui jam quadraginta annos exceſſit , quinquageſimum autem annum nondum attigit , non tamen multum à quinquageſimo anno abſiſtat . Hæc Irenæus .

III. In tanta ergo diverſitate inter Patres , eos etiam , qui ætati Apoſtolorum fuerunt proximiores , quid nobis dicendum erit ? Hanc varietatem dicit S. Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſt. cap. 27. ortam eſſe , quia *& per Olympiadas & per Conſulum nomina multa ſæpè quæruntur à nobis, & ignorantia Conſulatus, quo natus eſt Dominus , & quo paſſus eſt , nonnullos coegit errare , ut putarent , quadraginta ſex annorum ætate paſſum eſſe Dominum , quia per tot annos ædificatum Templum eſſe dictum eſt à Judæis , quod imaginem Dominici corporis habebat* (quibus tacitè videtur reprobare opinionem S. Irenæi nuper relatam) deinde addit : *Et annorum quidem ferè triginta baptizatum eſſe retinemus auctoritate Evangelica* (Lucæ 3.) *Sed poſtea quot annos in hac vita egerit , quamquam textu ipſo actionum ejus animadverti poſſit ; tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur , de hiſtoria Gentium collata cum Evangelio liquidiùs certiùſque colligitur .* Hæc Auguſtinus : quæ vera putarem , niſi , ut ipſe fatetur , etiam in hiſtoria Gentium , maximè in deſignatione Conſulum , ignorantia aut deceptio contingere poſſet .

IV. In hac ergo rerum (repetam) caligine communem noſtris temporibus , & ab Eccleſia tacito ſaltem conſenſu probatam ſententiam amplector , Chriſtum nempè anno ætatis ſuæ trigeſimo tertio , & Tiberii decimo octavo vel decimo nono ineunte paſſum & mortuum fuiſſe . Id colligo , tum ex S. Proſpero in Chronico , ubi habet : *Quidam putant , Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum 15. anno Regni Tiberii Cæſaris , ideſt duobus Geminis Conſulibus* (ut Auguſt. ſupra relatus lib. 18. de Civit Dei c. ult.) *crucifixum , quo anno ſecundùm indubitabilem Lucæ Evangeliſtæ auctoritatem baptizatum eum eſſe manifeſtum eſt , & Evangelium Regni cœlorum prædicare cœpiſſe : ſecundùm verò Joannis Evangelium feſtivitati Paſchæ Judæorum ter Dominum interfuiſſe cognoſcimus , ut appareat tertium fuiſſe illud Paſcha , quod verus Agnus ſuo ſanguine conſecravit* : ubi tria ſolum non quatuor Paſchata celebraſſe ſuæ prædicationis tempore aſſerit . Deinde enumerans Conſules , qui his tribus annis præfuerunt , poſt duos Geminos addit : *Venicium & Longinum, Sulpicium & Sullam* . Idem aſſerere videtur in ſuo Chronico Caſſiodorus, quamvis in Nominibus Conſulum non conveniat . Hoc expreſsè ac diſtinctè exponit in ſuo pariter Chronico Abbas Uſpergenſis , ubi ad annos Tiberii dicit : *Anno Domini 30. Joannes baptizare cœpit Populum,*

cujus

Digitized by Google

cujus Baptiſmate Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Jordane baptizatus, triceſimo ætatis ſuæ ſecundùm carnem anno cœpit ſigna facere & prædicare, virtutibus vera comprobans eſſe quæ diceret. Anno Domini 31. Dominus noſter Jeſus Chriſtus Diſcipulos eligens Evangelicis eos imbuit Sacramentis: & poſt multa addit: *Anno Dominicæ Incarnationis 32. Diſcipuli Chriſti Evangelicis inſtructi documentis verbum Fidei per Civitates Judææ ipſo mittente prædicaverunt. Anno Incarnationis ſuæ 33. Dominus noſter Jeſus paſſus eſt in carne, & reſurrexit; in cujus paſſione multa contigiſſe miracula, etiam Gentilium Scriptores teſtantur*. Hactenus Urſpergenſis: quibus hiſtoriam & tempus prædicationis Chriſti uſque ad ejus mortem deſcribit.

V. Et in hoc Recentiores plerique conveniunt, & diſcordia ſolùm eſt, quòd aliqui volunt Chriſtum paſſum anno trigeſimo tertio per tres menſes inchoato. Alii verò, inter quos Baronius (ad ann.34. num.150.) anno ætatis ſuæ trigeſimo tertio & menſe tertio. Hoc tamen diſſidium tollere noſtrum non eſt. Priori tamen opinioni libentiùs adhærerem. Primò, quia Chriſtus fuit baptizatus anno ætatis ſuæ quaſi trigeſimo ſeu anno trigeſimo inchoato, ut ait Lucas: eodem anno cœpit habere diſcipulos, & ſuum Evangelium prædicare: *Oportet* (dicebat Petrus Act. 1. v. 21.) *ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jeſus, incipiens à Baptiſmate Joannis uſque in diem, quo aſſumtus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis ejus fieri unum ex iſtis*. Hoc autem poſito tempus prædicationis ejus uſque ad ejus mortem non continet niſi quatuor Paſchata: primum incidit in annum trigeſimum Chriſti: ſecundum in trigeſimum primum: tertium in trigeſimum ſecundum, quartum in trigeſimum tertium pridie ejus mortem. Hæc quatuor Paſchata indicat S. Joannes in Evangelio: Primum cap. 2. v. 13.; Secundum cap.4. v. 35. collato cum cap.5. v.1., etſi nomen Paſchæ non exprimatur; Tertium cap. 6. v. 4.; Quartum cap.11. v.15., & 12. v.18.: & ut ſciatur, primum Paſcha incidiſſe in primum annum prædicationis, obſervandum eſt, quòd S. Joannes perſcripſit ea, quæ primo anno ſuæ prædicationis fecit Chriſtus; quæ alii Evangeliſtæ omiſerant.

Secundò, quia ut dicit Lucas cap.3., Anno Imperii Tiberii 15., quo Chriſtus baptizatus eſt, agebat annum trigeſimum, anno ejuſdem 16. agebat trigeſimum primum: anno ejuſdem 17. agebat trigeſimum ſecundum, & anno 18. agebat trigeſimum tertium; & proinde anno Tiberii 18. mortuus eſt, ut ſentiunt Euſebius in Chronico, Beda lib. de Rat. temp. cap.7., Epipha-

nius lib. de Menſuris, Nicephorus lib. 1. cap. 40. & alii: hæc dixi, ſalva ſemper alia ſententia, quæ dicit Chriſtum mortuum fuiſſe anno vitæ ſuæ trigeſimo tertio, & tribus menſibus.

VI. Omittendum tamen non cenſeo id, quod obſervo ex Graveſon Diſſert. 15. §. 2., cum noſtra & Eccleſiæ magis probata ſententia conciliari poſſe præcitatos Patres Tertullianum, Lactantium, Sulpicium, & Auguſtinum, qui ponentes Chriſtum paſſum ſub Geminis Conſulibus videntur mortem Chriſti conſignaſſe anno 29. ſeu trigeſimo inchoato ætatis ſuæ: ſi dicamus, eos fuiſſe locutos de anno æræ vulgaris, quæ cùm quatuor annis incipiat poſt Nativitatem Chriſti, ſequitur quod annus vigeſimus nonus concurrat cum anno trigeſimo tertio ætatis Chriſti, & cum anno 18. aut 19. inchoato Imperii Cæſaris. Hoc tamen an cohæreat, Lectoris ſapientis judicio relinquo.

VII. Conciliari tamen non poſſunt, qui dicunt, Chriſtum mortuum eſſe anno ætatis ſuæ trigeſimo ſeptimo, ſeu Æræ vulgaris trigeſimo tertio. Primò, quia apertè pugnant cum Evangelio Lucæ, qui apertè dicit, Chriſtum baptizatum fuiſſe anno trigeſimo ætatis ſuæ ineunte: & poſt Baptiſma quatuor dumtaxat Paſchata peregiſſe, Evangelica innuit hiſtoria. Secundò, pugnant cum Eccleſiæ probabiliori ſententia, quæ profitetur, Chriſtum in carne vixiſſe triginta tribus annis uſque ad ſuæ Paſſionis tempora, cujus teſtis eſt Beda lib. de Rat. tempor. cap. 45. Tertiò, Chriſtum 25. Martii mortuum eſſe omnia Martyrologia tam edita, quàm inedita teſtantur, & perpetua Traditione ſervat Eccleſia, cui cum Rogerus Bachonus refragari tentaſſet, aſſerens Chriſtum die tertia Aprilis mortuum fuiſſe, ſtatim malè audiit tanquam de errore ſuſpectus, ut refert Wadingus tam in lib. de Script. Minorum, quàm Tomo 2. Annal. Imò cum ſequenti ſeculo Alphonſus Toſtatus eandem opinionem in publicis Theſibus auſus fuiſſet Senis propugnare, ubi tunc Eugenii IV. Curia erat, inſtante Cardinali à Turrecremata, erroris inſimulatus fuit, & litteris à Summo Pontifice datis damnatus. Cùm ergo in hunc errorem impingant, qui mortem Chriſti anno ætatis ſuæ 37. aut Æræ vulgaris 33. conſignant, nam hoc poſito Chriſtus non eſſet mortuus die 25. Martii, ſed die 3. Aprilis; ideò audiendi non ſunt.

VIII. Minùs tandem conciliari poteſt ſententia Irenæi, ponentis Chriſtum mortuum fuiſſe anno propè quinquageſimo ætatis ſuæ. Eam enim à Joanne Evangeliſta non fuiſſe traditam, apertè demonſtrat ejus Evangelium, ex quo apparet, Chriſtum poſt Baptiſmum, quem anno ætatis trigeſimo ineunte ſuſcepit, qua-

Digitized by Google

quatuor ad ſummum Paſchata celebraſſe. Nec juvat, quòd Joan. 8. dictum ei fuerit à Judæis: *Quinquaginta annos nondum habes* &c. nam reſpondet S. Thomas in cap. 8. Joan. Lect. 8. „ Judæos ita fuiſſe locutos, non quia putarent, eum prope quinquagenarium eſſe, cùm nec quadraginta ætatis annos haberet, imo triginta tunc vix excederet; ſed fortè *quia apud Judæos annus jubilaus in maxima reverentia habebatur, quaſi per eum omnia computantes.... quaſi dicant, tu nondum exceſſiſti ſpatium unius Jubilæi* (quod quolibet quinquageſimo anno celebrabatur) *& Abraham vidiſti?*

Rejectâ igitur ſpuriâ illâ Traditione, qua motus fuit Irenæus, dicit S. Thomas 3. p. q. 46. ar. 9. ad 4. „ quòd Chriſtus non in ſenili, ſed *in juvenili ætate pati voluit propter tria. Primo quidem, ut ex hoc magis ſuam dilectionem commendaret, quòd vitam ſuam pro nobis dedit, quando erat in perfectiſſimo ſtatu. Secundò, quia non conveniebat, ut in eo appareret naturæ diminutio, ſicut nec morbus. Tertiò, ut in juvenili ætate moriens & reſurgens futuram reſurgentium qualitatem in ſe ipſo Chriſtus præmonſtraret: unde dicitur Epheſ.* 4. „ Donec occurramus omnes in unitatem Fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti „.

§. II.

De Menſe, Die & Hora crucifixionis, & Loco.

IX. QUantum ad Menſem ac Diem, quo Chriſtus mortuus eſt, conſtare poteſt ex dictis, Menſem fuiſſe Martium, Diem verò vigeſimam quintam dicti menſis, quæ eo anno incidit in feriam ſextam, ſeu Paraſceve Sabbati. Ita fert antiqua Traditio, cujus teſtes ſunt Tertullianus lib. adversùs Judæos cap. 8. dicens: *Menſe Martio temporibus Paſcha*, VIII. *Kalendarum Aprilium*: S. Joannes Chryſoſtomus Homil. de Nativit. S. Joannis Bapt., S. Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. ultimo, Beda de rat. Temporum cap. 18., & S. Thomas in cap. 2. Joan. Lect. 3. Cui Traditioni adeò fixè adhæret Eccleſia, ut ſicut dictum eſt ſupra, eos qui aliter opinari tentarunt, erroris damnaverit. Congruum autem fuit, ut Chriſtus circa æquinoctium pateretur, quia ut dicit S. Thomas 3. p. q. 46. ar. 9. ad 3. ex lib. quæſt. Vet. & Novi Teſtam., olim S. Auguſt. tributo, *Tunc voluit Dominus paſſione ſua mundum redimere & reformare, quando eum creaverat, ſcilicet in æquinoctio; unde mundus initium cœpit, & dies ſu-*

ſuper noctem increvit, quia per paſſionem Salvatoris à tenebris ad lucem perducimur. Quòd verò dies, quo mortuus eſt, fuerit illo anno feria ſexta ſeu Paraſceve ante Sabbatum, conſtat ex Evangelio Joannis cap. 19. v. 31. *Judæi ergo (quoniam Paraſceve erat) ut non remanerent in cruce corpora Sabbato . . . , rogaverunt Pilatum* &c.

X. De Hora, qua crucifixus fuit, difficultatem faciunt Marcus & Joannes, quorum primus cap. 15. v. 25. dicit: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*: alter verò cap. 19. v. 14. dicit, quòd erat *hora quaſi ſexta*.

Antequam hæc apparens antilogia tollatur, ſciendum, quòd quemadmodum nox apud Judæos in quatuor vigilias, ita dies in quatuor ſtationes ſeu partes dividebatur. Prima diei pars à diluculo exordium ſumebat & durabat uſque ad horam diei tertiam, quæ apud Gallos & Hiſpanos eſt hora diei nona matutina, quæ ideò vocabatur prima, eo quòd ab ea dies initium ſumeret. Secunda diei pars incipiebat ab hora tertia ſeu nona apud Gallos &c., & protrahebatur uſque ad horam ſextam, hoc eſt uſque ad meridiem, ac dicebatur hora ſexta, quia à tertia habebat exordium. Tertia diei pars ab hora ſexta, ſeu à meridie uſque ad horam nonam ſeu tertiam poſt meridiem perdurabat & dicebatur nona, quia ab hora ſexta initium ſumſerat. Quarta demum ſtatio ſeu diei pars ab hora nona ſeu tertia pomeridiana durabat uſque ad occaſum ſolis, & dicebatur veſpera. Dum ergo Marcus dicit Chriſtum crucifixum fuiſſe *horâ tertiâ* matutinâ videtur velle, eum fuiſſe crucifixum tribus horis ante meridiem, dum verò Joannes dicit *horâ ſextâ* videtur aſſerere crucifixum fuiſſe in meridie. Ecce apparentem antilogiam.

XI. Hæc tamen tollitur ex præmiſſis. Nam cum Marcus ait, Chriſtum crucifixum fuiſſe *horâ tertiâ*, intelligit de hora tertia non incipiente, ſed jam vergente ad finem, & accedente ad horam ſextam: & ſic benè concordat cum Joanne, qui non dicit Chriſtum crucifixum horâ ſextâ, ſed *horâ quaſi ſextâ*, quod quidem veriſimile eſt. Nam ab initio horæ tertiæ, qua conclamantibus Judæis traditus fuit Jeſus à Pilato, ut crucifigeretur, uſque ad actualem crucifixionem, ut obſervanti patebit, multa peracta ſunt, quæ ſpatium trium ferè horarum requirebant: unde dicit Marcus v. 33., quòd completâ crucifixione, & factâ horâ ſextâ, tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram.

Aliter ſolvit difficultatem S. Thomas 3. p. q. 46. ar. 9. ad 2. ex S. Auguſt. lib. 3. de Conſ. Evangeliſt. cap. 13., nimirùm horâ tertiâ Chriſtum crucifixum fuiſſe clamoribus Judæorum, & hoc dicit Marcus; horâ autem quaſi ſextâ facto militum: *Hora erat*

quaſi

quaſi ſexta (inquit ex S. Auguſtino D. Thomas) *cum traditus eſt Dominus crucifigendus à Pilato, ut Joannes dicit: non enim erat plenè ſexta, ſed quaſi ſexta ideſt peractá quintá, & aliquid etiam de ſexta eſſe cœperat, donec completá ſextá, Chriſto pendente in Cruce, tenebræ fierent. Intelligitur autem fuiſſe hora tertia, cum clamaverunt Judæi, ut Dominus crucifigeretur: & veraciſſimè demonſtratur, tunc eos crucifixiſſe, cùm clamaverunt. Ergo ne quiſquam cogitationem tanti criminis averſus à Judæis in milites converteret, erat inquit* (Marcus) *hora tertia, & crucifixerunt eum; ut illi eum potiùs crucifixiſſe inveniantur, qui horá tertiá, ut crucifigeretur, clamabant*. Hanc reſponſionem confirmat S. Thomas in cap. 19. Joan. Lect. 3. his verbis: *Chriſtus dupliciter fuit crucifixus. Primò linguis & vocibus Judæorum dicentium, crucifige, crucifige eum. Secundò manibus militum, qui eum crucifixerunt: unde Judæi, quia crucifixionem volebant imponere Gentilibus, Marcus, qui Evangelium ſcripſit Gentibus, ipſam impoſuit Judæis, dicens, quòd tunc Chriſtum crucifixerunt, quando Judæi clamaverunt* „ crucifige crucifige eum „ *quod fuit in hora tertia. Joannes verò, qui ſequitur ordinem temporis dicit* „ erat quaſi hora ſexta „: *nam quando Chriſtus crucifixus fuit, jam erat in fine horæ quintæ, & in principio horæ ſextæ, in qua factæ ſunt tenebræ per tres horas, ſcilicet uſque ad horam nonam: unde quia hora ſexta nondum inchoata erat, ideò dicit* „ quaſi hora ſexta „.

Mitto aliorum reſponſionem, de qua S. Thom. citato ar. 9. ad 2., *Quidam tamen*, inquit, *dicunt, quòd hæc diverſitas ex peccato Scriptoris apud Græcos contigit. Nam figuræ, quibus tria & ſex repræſentantur, ſatis ſunt propinquæ apud eos*: Mitto, inquam: mihi enim non videtur credibile, mendum in omnia exemplaria, & etiam in Vulgatam irrepſiſſe, & quòd nemo illud obſervarit. Mitto aliam etiam, quæ tribuitur S. Petro Alexandrino (ſeu alii ſub ejus nomine) in Tract. Paſchali, qui vult, mendum in Evangelium Joannis potiùs irrepſiſſe, cùm autographo manu ipſius Joannis exarato, quod apud Fideles Epheſi ſervabatur, legatur ut apud Marcum *hora quaſi tertia*: quod aſſerit etiam Chronicum Alexandrinum. Verùm quidquid ſit, prior reſponſio magis plana, & litteræ conformis videtur.

XII. Quantum ad Locum Crucifixionis, ex dictis ſupra conſtat, hunc fuiſſe Golgotha ſeu Calvariæ Montem. Quæri tamen poteſt: cur Chriſtus non ſit mortuus in Nazareth, ubi fuit conceptus; aut in Bethlehem, ubi natus; aut in Hebron, ubi mortuus & ſepultus fuit Adamus, ad cujus peccatum delendum moriebatur; aut inter muros Jeruſalem, ubi ſacrificia vetera ſacrificium

ficium Crucis adumbrantia offerebantur; ſed in Calvariæ Monte extra Jeruſalem ſito.

Hoc quæſitum promovet S. Thom. 3.p. q.46. ar.10. Cum quo reſpondeo, conveniens fuiſſe, ut Chriſtus mortem pateretur in Hieruſalem, non intra muros Civitatis, ſed extra. Et quidem conveniens fuiſſe, ut in Jeruſalem potiùs, quàm alibi pateretur, probat S. Doctor primò, quia ſicut Jeruſalem erat Civitas à Deo electa, ut in ea offerrentur ſibi ſacrificia figurantia ſacrificium Chriſti: ita conveniebat, ut figuræ implerentur, quòd Sacrificium Chriſti verum per ea figuratum, in eadem Urbe fieret; ideòque ante ſex dies Paſchæ, ſeu decimâ lunâ, in qua Agnus Paſchalis ad locum immolationis ducebatur, Chriſtus Jeruſalem ingreſſus eſt. Secundò, quia virtus paſſionis ejus ad totum mundum diffundenda erat, in medio terræ habitabilis pati voluit: unde dicitur in Pſal.73. v.12. *Deus autem Rex noſter ante ſecula operatus eſt ſalutem in medio terræ*. Et ideò in Jeruſalem, quæ à Patribus & Geographis dicitur Umbilicus terræ. Tertiò, quia hoc maximè conveniebat humilitati ejus, ut ſicut turpiſſimum genus mortis elegit, ita in loco tam celebri illud pati non recuſaret: unde S. Leo ſerm.1. Epiphaniæ, ait: *Qui ſervi ſuſceperat formam, Bethlehem prælegit Nativitatis, Jeruſalem Paſſionis*. Quartò, ut oſtenderet, à Principibus Judæorum tantam ortam eſſe iniquitatem occidentium ipſum, in Jeruſalem, ubi Principes morabantur, pati voluit: Et ideò dicitur Act.4. v.26. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus. Convenerunt enim verè in Civitate iſta adversùs Sanctum Puerum tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus & Populis Iſrael*. Hæc ex S. Thoma laudato loco ad primum.

XIII. Conveniens autem fuiſse, ut non in Templo aut Civitate ipſa, ſed extra portam pateretur, oſtendit ibi ad ſecundum propter tria. Primò, ut veritas reſponderet figuræ. Nam vitulus & hircus, qui ſolemniſſimo ſacrificio ad expiationem totius multitudinis offerebantur, extra caſtra comburebantur, ut præcipitur Levit.16., & ideò dicitur Hebr. 13. v.11. *Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra. Propter quod & Jeſus ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem Populum, extra portam paſſus eſt.* Secundò, ut per hoc daret nobis exemplum ipſum imitandi, exeundo ab humana converſatione: unde ibidem v.13. ſubditur: *Exeamus igitur extra caſtra improperium ejus portantes*, ideſt crucem noſtram poſt eum ferentes. Tertiò, ut ait Chryſoſt. ſerm.

de

de Cruce & Latrone: *Noluit Dominus pati ſub tecto, non in Templo Judaico, ne Judæi ſubtraherent Sacrificium ſalutare, ne putares pro illa tantùm plebe oblatum. Et ideò foras Civitatem, foras muros, ut ſcias, ſacrificium eſſe commune, quod totius eſt terræ oblatio, quòd communis eſt purificatio.*

XIV. Tandem conveniens fuiſse, ut in loco Calvariæ pateretur mortem, oſtenditur; tum quia ut ſupra cap.16. §.2. adnotavi, probabile eſt, ibi Adam, cujus peccatum delere volebat, fuiſse ſepultum, quod eſto S. Thomas ibidem ad 3. ex S. Hieronymo in cap. 27. Matth. minús probabile reputet, alii tamen veriſimile judicant, & ex Antiquis Origenes Tract.35. in Matth., Epiphanius hæreſ.46., Chryſoſt. Hom.84. in Joan., Athanaſ. lib. de Paſſione, Ambroſius lib.5. Epiſt.19., & S. Auguſt. (ſeu quiſquis alius) ſerm.71. de tempore, ubi ait: *Hieronymus presbyter ſcripſit, ab antiquis & ſenioribus Judæis, ſe certiſſimè cognoviſſe, quòd ibi immolatus ſit Iſaac, ubi poſtea Chriſtus crucifixus eſt.* Et poſtea: *Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quòd & Adam primus homo in ipſo loco, ubi Crux fixa eſt, fuerit aliquando ſepultus: & ideò Calvariæ locum dictum eſſe, quia caput humani generis ibi dicitur eſſe ſepultum. Et verè non incongruè creditur, quia ibi erectus ſit medicus, ubi jacebat ægrotus* &c.

Si verò aliquis ſuſpendat aſsenſum huic Traditioni, maximè quia Joſue 14. v.15. Adam maximus dicitur ſepultus in Hebron, ante dicta Cariath-Arbe; dicere poterit cum S. Thoma citato, quòd *magis Jeſus crucifigendus erat in loco communi damnatorum, quàm juxta ſepulcrum Adæ; ut oſtenderetur, quòd Crux Chriſti, non ſolùm erat in remedium contra peccatum perſonale ipſius Adæ, ſed etiam contra peccatum totius Mundi.* Quod magis verificatur dicendo, ibi crucifixum fuiſse Dominum, non ſolùm quia Adam fertur ibi fuiſse ſepultus, ſed etiam quia eo in loco omnium damnatorum corpora ſepeliebantur.

§. III.

De Chriſti Crucifixoribus, eorumque peccato.

XV. Quærendum hic occurrit, an qui Chriſtum crucifixerunt, vel in ejus mortem conſpirarunt, ipſum cognoverint, & aliquam de peccato ſuo excuſationem habuerint. Huic quæſito occaſionem præbent tria Scripturæ loca. Primum illud 1. Cor. v.8. *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Secundum id, quod Act.3. v.17. dicit Petrus Judæos

dæos alloquens: *Fratres, ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri*: & illud Chriſti in Cruce pendentis, rogantis Patrem Luc. 23. v.34. *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt*.

XVI. De hoc agit S. Thomas 3.p. q.47. ar.5. & 6., ubi diſtinguit in eis, qui Crucifixioni operam dederunt, tria genera perſonarum, nempe Judæorum Principes, Legiſperitos, Scribas & Phariſæos; rursùs eos, qui apud Judæos erant minores, ut Populus & Plebs; tandem Gentiles, ut Pilatum, qui tulit ſententiam, & milites, qui eam executi ſunt. Et dicit, quòd Principes Judæorum, Scribæ & Phariſæi, utpotè in Lege periti cognoverunt, Chriſtum Jeſum eſse Meſſiam à Deo promiſsum, & Prophetarum Oraculis prænuntiatum. Viderant quippe omnia ab eis de Meſſia prædicta in Chriſto Jeſu fuiſſe impleta. Licèt autem myſterium Divinitatis ejus non plenè cognoſcerent; Et ideò Apoſtolus dicit, quòd *ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, eorum tamen ignorantia eos non excuſabat à crimine, quia affectata, imo potiùs augebat: talia enim & tam evidentia erant ſigna Divinitatis ejus, quibus per miracula, quæ coram ipſis faciebat, atteſtabatur, ſe eſſe Filium Dei, & Deum, ut eum talem eſſe fateri tenerentur; ſed ex odio & invidia ea pervertebant; & verbis ejus, imò & factis, quibus ſe Filium Dei aſſerebat, credere noluerunt: unde Ipſe Joann. 15. v.22. de eis dicit: *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. Et poſtea ſubdit: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Unde ex perſona eorum accipi poteſt, quod dicitur Joan.6. 21. v.14. *Dixerunt Deo: recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*.

Minores verò, ideſt Populus, qui myſteria Scripturæ non noverant, non plenè cognoverunt, ipſum eſſe nec Chriſtum nec Filium Dei. Licèt enim aliqui eorum in eum crediderint, multitudo tamen non credidit. Et ſi aliquando dubitaverunt, an ipſe eſſet Chriſtus propter ſignorum multitudinem & efficaciam doctrinæ, ut habetur Joan.7. v.31., tamen poſtea decepti fuerunt à ſuis Principibus, ut eum non crederent Filium Dei, neque Chriſtum. Unde & Petrus eis dixit: *Scio quia per ignorantiam feciſtis*: quia ſcilicet per Principes ſuos ſeducti erant. Peccarunt tamen, licèt non adeò atrociter, ut iſti, quia his potiùs credere voluerunt, quàm evidentibus ſignis, quæ Jeſum & Chriſtum & Filium Dei eſſe demonſtrabant. Unde eorum ignorantia fuit affectata & culpabilis, & eos reddidit Cru-

Crucifixores, non ſolùm hominis Chriſti, ſed etiam Dei.

XVII. Gentiles, qui in Chriſti Crucifixione partem habuerunt, ſunt Pilatus & milites. De Pilato plura dixi cap. 25. §.1. & cap. 26. §.1. Licèt enim minus atrociter, quàm Judæi, ipſe peccaverit, peccavit tamen, & quidem graviter, ſententiam vano timore victus injuſtè pronuntians adversùs Jeſum, quem noverat, & publicè proteſtatus fuerat eſſe innocentem: in cujus reatus pœnam infelicem exitum habuit, ut ſupra cap. 25. citato oſtendi. Milites etiam, qui Chriſtum crucifixerunt, quamvis aliquo modo excuſabiles, gravis tamen criminis rei fuerunt. Totum hoc exponit S. Thomas 3.p. q.47. ar.6. his verbis: *Principes Judæorum cognoverunt Chriſtum, & ſi aliqua ignorantia fuit in eis, fuit ignorantia affectata, quæ eos non poterat excuſare: Et ideò peccatum eorum fuit graviſſimum, tum ex genere peccati, tum ex malitia voluntatis. Minores autem graviſſimè peccaverunt, quantum ad genus peccati, in aliquo tamen diminuebatur eorum peccatum propter ignorantiam. Unde ſuper illud Lucæ 23.*,, Neſciunt quid faciunt,, *dicit Beda (cap. 94. in Luc.)*,, Pro illis rogat, qui neſcierunt, quid facerent, zelum Dei habentes, ſed non ſecundùm ſcientiam,, . *Multò autem magis fuit excuſabile peccatum Gentilium, per quorum manus crucifixus eſt, qui Legis ſcientiam non habebant*, & ad 2. *Horum tamen omnium peccatum* (Judæorum) *fuit majus, quàm Pilati, qui timore Cæſaris Chriſtum occidit; & etiam quàm peccatum militum, qui de mandato Præſidis Chriſtum crucifixerunt, non ex cupiditate, ſicut Judas, nec ex invidia & odio, ſicut Principes Sacerdotum*. Ita S. Thomas.

XVIII. Unde & de Pilato dicit S. Auguſtinus in Pſal. 63. *Quod fecit Pilatus, in eo ipſo quod fecit, aliquantum particeps fuit, ſed in comparatione illorum* (Judæorum) *multò ipſe innocentior. Inſtitit enim quantùm potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret ... At ubi perſeveraverunt, noſtis illum laviſſe manus, & dixiſſe, quod ipſe non feciſſet; mundum ſe eſſe à morte ipſius: fecit tamen. Sed ſi reus, quia fecit vel invitus, illi innocentes, qui coegerunt, ut faceret? nullo modo. Sed ſi ille dixit in eum ſententiam, & juſſit eum crucifigi, & quaſi ipſe occidit, & vos ò Judæi occidiſtis. Unde occidiſtis? Gladio linguæ: acuiſtis enim linguas veſtras. Et quando percuſſiſtis, niſi quando clamaſtis, crucifige, crucifige?* Minus etiam peccaſse milites, quàm Judæos dicit infra: *Rei magis iſti, qui clamando ſæviebant, quàm illi, qui obtemperando adminiſtrabant*.

XIX. Sed quare peccarunt, qui cooperati ſunt morti Chriſti, cùm Pater ipſum tradiderit, & ipſe voluntariè ſe ipſum obtulerit?

Digitized by Google

Reſpondeo cum S. Thom. 3. p. q. 47., tum art. 3. ad 3. *Quòd eadem actio diverſimodè judicatur in bono vel in malo, ſecundùm quod ex diverſa radice procedit. Pater enim tradidit Chriſtum, & ipſe ſemetipſum ex caritate; & ideò laudantur. Judas autem tradidit ipſum ex cupiditate, Judæi autem ex invidia, Pilatus ex timore mundano, quo timuit Cæſarem. Et ideò ipſi vituperantur*: tum ar. 6. ad 3. *Chriſtus*, inquit, *voluit ſuam paſſionem, ſicut & Deus eam voluit: iniquam tamen actionem Judæorum non voluit: & ideò occiſores Chriſti ab injuſtitia non excuſantur. Et tamen ille, qui occidit hominem, injuriam facit non ſolùm homini occiſo, ſed etiam Deo & Reipublicæ, ſicut ille, qui occidit ſe ipſum, ut Philoſophus dicit in 5. & hic cap. ultim. Unde & David damnavit illum ad mortem, qui non timuerat mittere manum, ut occideret Chriſtum Domini, quamvis eo petente, ut legitur 2. Reg. 1. v. 14.*. Recolantur dicta cap. 24. ſ. 2. n. 17.

XX. De militibus, qui Chriſtum crucifixerunt, quæritur ab aliquibus, cujus Nationis fuerint. Baronius ad ann. 34. n. 84. dicit, Feſtum Pompejum & Aulum Gellium velle, quòd fuerint Brutii, qui in pœnam, quòd ad Annibalem defeciſſent, hac ignominia à Romanis notati fuerint, quòd Magiſtratibus in ſuas Provincias euntibus, ad infligenda ſupplicia delinquentibus inſervirent. Qua ratione & Picentes populos, quòd ad eundem deſciviſſent, Romana Civitate privatos, & loco militiæ curſores & tabellarios factos, auctor eſt Strabo lib. 5. Verùm in re incerta, in qua nil præter alicujus nationis invidiam ſtatui poteſt, ab omni judicio abſtinendum eſse cenſeo. Et quidem, etſi daretur Brutios in pœnam defectionis ad Annibalem, ignominioſo Carnificum miniſterio fuiſse olim deſtinatos, unde conſtat, eos, in hac pœna uſque ad tempora Chriſti continuaſse, & ad omnes Romani Imperii Provincias, etiam remotas, ipſos ſolos ad hoc infame officium miſſos fuiſse? Certè in Evangeliis Chriſti tortores ſemper vocantur *Milites*, nunquam *Carnifices*. Et quidem credibile eſt, in cauſa Chriſti tumultuariè conſummata, Prætorii Milites clamoribus Judæorum excitatos, audientes inſuper eum proclamari Cæſaris perduellem, non erubuiſse (ut in caſtris contra deſertores facere ſolent) ſe exhibere ſupplicii ejus miniſtros: unde Joan. 19. plectentes Chriſto Coronam ſpineam, eum crucifigentes vocantur *Milites*, & qui lancea latus ejus aperuit dicitur *Unus militum*. Ex qua autem regione, vel natione hi milites eſsent, quis niſi divinando poteſt aſserere? Sed ad alia magis utilia tranſeamus.

CA-

CAPUT XXXI.

De Morte Chriſti, & Prodigiis in ea ſecutis.

§. I.

De Tenebris, & Solis Obſcuratione.

I. CHRISTO jam in Crucem acto, ſcribit Matthæus c. 27. v. 45. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam*, hoc eſt à meridie uſque ad horam tertiam pomeridianam, circa quam mortuus eſt Chriſtus, quod confirmat Marcus cap. 15. v. 33., & Lucas cap. 23. v. 44. qui addit *& obſcuratus eſt ſol*. Controvertitur hic, quid intelligant Evangeliſtæ, dum ajunt, quòd tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, an ſcilicet per univerſam terram intellexerint univerſum terrarum orbem, an verò univerſam terram Judææ tantùm. De quo inter modernos Criticos non modica eſt diſceptatio. Imo fuit etiam inter Veteres Patres, ſicut de obſcuratione ſolis, an vera fuerit Eclipſis, licèt miraculosè facta.

II. Tenebras, quæ Chriſto in Cruce pendente ab hora ſexta uſque ad nonam contigerunt, ad ſolam regionem Judææ reſtringunt Recentiorum non pauci; qui volunt etiam, id non accidiſse per veram Eclipſim, ſed per interpoſitionem nubis, vel alicujus corporis opaci. Primum ſumunt ab Origene, qui Tractat. 35. in Matth. *Arbitror ergo*, inquit, *ſicut cetera ſigna, quæ facta ſunt in Paſſione ipſius, in Jeruſalem tantummodo facta ſunt; ſic & tenebræ tantummodo ſuper omnem terram Judææ ſunt factæ uſque ad horam nonam*. Tum quia, ajunt, propter ſolos Judæos, ad execrationem ſcilicet ſceleris illorum inductæ ſint. Tum quòd ſi toto terrarum orbe diffuſæ cognitæque fuiſsent, incredibile omnino ſit, neminem Gentilium Scriptorum poſterorum memoriæ tantum prodigium commendaſse. Tum quia nec toto orbe id contingere poterat, cùm à meridie ad uſque tertiam horam, in media orbis parte nox ſumma eſset abſque prodigioſa ſolis obſcuratione. Ad ſecundum etiam moventur, quia in ea Eclipſi, ſi tunc contigiſset, plura confingenda eſsent miracula, à quo ſine certa cauſa abſtinendum eſse cenſent, cùm Deus non ſoleat præſtare pluribus, quod paucioribus poteſt. Quid autem ad Solis obſcurationem neceſse erat, diſsolutâ cœleſtium orbium machinâ,

nâ, Lunam plenam in locum alterum ſubſilire, ut inter ſolem & terram ſe interponeret? Quod utique ſi contigiſset, ut res eſt obſervatu facillima, millenos habuiſset illius obſervatores aſtronomos, qui poſterorum memoriæ prodidiſsent. Hæc & alia, quæ infra ſubjiciam, Recentiores Critici.

III. Sed ut iis non ſtatim dem manus victas, à prima detinent me tres laudati Evangeliſtæ Matthæus Marcus & Lucas, qui abſolutè & ſine ulla reſtrictione dicunt, quòd *tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam*. Quo enim fundamento ad ſolam terram Judææ reſtringam, quod ſuper univerſam terram factum narrant Evangeliſtæ? Certè ubi ad ſolam Judæam reſtringere intendunt, hoc indicant, ut Lucæ 7. v. 17. *Exiit hic ſermo in univerſam Judæam*, & cap. 23, v. 5. *Docens per univerſam Judæam*. Cùm ergo hìc concorditer dicant *ſuper univerſam terram*, nec addant *Judææ*, cur de terra Judææ ſola, & non de terra univerſi orbis eos intelligere debeam, neſcio. Nec mihi opponant, in Bibliis Proteſtantium nomine *terræ* haberi *Regionem*. Sic enim locum Matthæi vertit Beza *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam Regionem*, & alterum locum Lucæ ſic vertit: *Tenebræ factæ ſunt in tota Regione, uſque ad horam nonam, & obtenebratus eſt ſol*. Nam dicam ego, eandem fidem mereri præfatam Bezæ Verſionem, quam meretur illius Auctor: imo opponam eis Verſionem, qua uſus eſt Calvinus, in qua lego tenebras factas eſſe *ſuper univerſam & totam terram*, ut in Harmonia Evangelica legere eſt.

IV. Sed quoniam ad Heterodoxos provocor, non diſpliceat audire Grotium in cap. 27. Matth. Ad illa enim verba ſuper univerſam, ſeu ſuper totam terram, ut dicit Marcus, ait „ Sicut „ pro toto telluris globo ſumi non poteſt, (multis enim in partibus dies non erat) ita de ſola Judæa nolim accipi; cùm veteres Aſtrologi & Chronographi hanc caliginem annotaverint, nullo addito loci nomine: unde eam patuiſſe datur intelligi. Et affert auctoritatem Phlegontis 13. Olympiadum dicentis: *Quarto anno Olympiadis 102. factum eſt deliquium ſolis omnibus cognitis majus, & nox facta eſt hora diei ſexta: itaut & ſtellæ in cælo conſpicerentur; præterea terremotus per Bithyniam magnam partem Nicææ urbis evertit*. Ubi notat Grotius, quòd „ Phlegon Terræmotus locum nominat, tenebrarum non nominat; & cum majores ante viſis memorat, ita ut mero meridie, velut nox eſſet, ſatis demonſtrat, non fuiſſe proprium „ Judææ hoc ſpectaculum. Refert rursùs ex Euſebio alium Scriptorem Græcum dicentem: ***Sol defecit; Bithyniæ terra movit: Ni-***

Digitized by Google

Nicææ pars magna cecidit, quem licèt Euſebius non nominet, eum tamen Julius Africanus dicit fuiſſe quendam nomine *Thallum*. Hæc, aliaque Grotius.

V. Euſebius ergo in Chronico ex Ethnicorum teſtimonio refert, & tenebras factas eſſe ſuper univerſam terram, & terræmotus etiam per loca extra Judæam. Sic enim ait in Chronico ſub anno Chriſti 33. Tiberii verò 18. *Secundùm Prophetias, quæ de Deo fuerant prælocutæ, ad paſſionem venit* (Chriſtus) *anno Tiberii 18. Quo tempore & in aliis Ethnicorum commentariis hæc ad verbum ſcripta reperimus. Solis facta defectio, & tenebræ ſuper univerſam terram. Bithynia terræmotu concuſſa, & in urbe Nicæna ædes plurimæ corruerunt. Quæ omnia his congruunt, quæ in paſſione Salvatoris acciderunt. Scripſit verò de his Phlegon, qui Olympiadum egregius ſupputator eſt. Quarto autem anno 202. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ antea acciderant, defectio ſolis eſt facta: dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſus, ut ſtellæ cælo viſæ ſint, terræque motus in Bithynia Nicænæ urbis multas ædes ſubverterit.*

Imo Origenes ipſe, quem Auctores contrarii patronum ſibi vendicant, Phlegontis teſtimonium non rejicit: nam Tract.35. in Matth. *Phlegon quidem*, inquit, *in Chronicis ſuis ſcripſit, in Principatu Tiberii Cæſaris factum, ſed non ſignificavit, in Luna plena hoc factum* (nempe ſolis deliquium) & lib.2. contra Celſum: *De defectu autem ſolis ſub Tiberio Cæſare, quo imperante Jeſum conſtat Crucifixum, deque magnis ejus temporibus terræmotibus, etiam Phlegon ſcripſit decimo tertio, aut ni fallor, decimo quarto Chronicorum volumine.* Si ergo Origenes contra Celſum Ethnicum utitur Phlegontis teſtimonio, ut oſtendat, tempore mortis Chriſti defectum ſolis, & terræmotus contigiſſe, neceſſe eſt, ut concedat, quòd dicit Phlegon, nempè non ſolam terram Judæam contremuiſſe, ſed & in Bithynia urbem Nicænam fuiſſe concuſſam: cur ergo dicit, hoc in ſola Jeruſalem contigiſſe? Quod ſi nedum terra Judææ contremuit, ſed etiam Bithyniæ urbs, cur tenebras in ſola terra Judææ factas eſſe arbitratur? En Origenem contra ſe pugnantem.

VI. Tenebras iſtas ex ſolis defectione ortas ſcripto relatas, & in Romanorum Archivis aſſervatas refert Tertullianus in Apologetico cap.21. his verbis: *Tamen Suffixus multa mortis illius propria oſtendit inſignia. Nam ſpiritum cum verbo ſponte dimiſit prævento Carnificis officio. Eodem momento dies, medium orbem ſignante ſole, ſubducta eſt: deliquium utique putaverunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſcierunt. Et tamen eum Mun-*

di caſum relatum in Archivis veſtris habetis. Super quæ Franciſcus Zephyrus in Paraphraſi Tertulliano inſerta ait „ Quod cum „ Dionyſius Areopagites, Sophiſtaque Apollophanes, qui eo „ tempore in Heliopoli Ægyptiacæ Philoſophiæ ſtudioſi verſabantur, contemplarentur, dixit Apollophanes: ſunt hæ, „ optime Dionyſi, vices Divinarum rerum (haud ignarus, Lu„ nam non potuiſſe ſuo jure hinc illuc tam parvo temporis in„ terſtitio curſitare.) Dionyſius verò horrore quoque tenebra„ rum, motuque terræ commotus: aut ipſe, inquit, Deus pa„ titur aut patienti condolet. Sed ne hoc deliquium dubitatio„ nem afferret judicibus: & Romani, inquit Tertullianus, Pon„ tifices in ſuis faſtis idipſum tunc temporis annotaverunt. Hæc Zephyrus: quibus indicat, Tertullianum, dum ait, *Deliquium quoque utique putaverunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſcierunt*, ad Dionyſium & Apollophanem reſpexiſſe, qui Heliopoli in Ægypto verſantes, nihil de Chriſto ſcientes, Solis tamen deliquium obſervarunt. De hoc tamen aliquid infra dicam.

VII. Idem ſcribit Cedrenus in ſuis Annalibus, qui fatetur, hanc ſolis defectionem in Græcis Commentariis exaratam ſe reperiſſe in Phlegonte & Africano. Item Oroſius lib.7. Hiſt. c.4. ex Græcis Monumentis „ Cùm, inquit, Dominus Jeſus Chriſtus „ voluntariè quidem ſe tradidit paſſioni, ſed impiè à Judæis ap„ prehenſus, & patibulo ſuffixus eſt, maximo terræmotu per „ orbem facto, ſaxa in montibus ſciſſa ſunt, maximarumque „ Urbium plurimæ partes plus ſolitâ concuſſione ceciderunt. „ Eâdemque quoque die ad horam diei ſextam Sol in totum ob„ ſcuratus, terraque mox ſubitò obducta terris eſt: & ſicut di„ ctum eſt: *Impiaque æternam timuerunt ſecula noctem*: uſque „ adeò autem, neque lunam lumini Solis, neque nubes obſti„ tiſſe, manifeſtum eſt, ut 14. ea die lunam totâ cœli regione „ interjectâ longiſſimè à conſpectu ſolis abfuiſſe, & ſtellas tunc „ diurnis horis, vel potiùs in illa horrenda nocte, toto cœlo „ fuiſſe, referatur. Quod non ſolùm Sanctorum Evangeliorum „ fides, ſed etiam aliquanti Græcorum Libri atteſtantur „ Dicent ne ampliùs cum ſuo Origene moderni Critici, præfatam ſolis defectionem non fuiſſe ab Hiſtoricis extra Judæam poſitis traditam, ac proinde eis ignotam?

VIII. Abſtineo à teſtimonio Dionyſii Areopagitæ Epiſt. ad Polycarpum, & Epiſt. ad Apollophanem, quas exhibet Baronius ad ann. Chriſti 34. num. 121. & 122., in quarum prima hortatur Polycarpum, ut Apollophani improperet mirabilem ſo-

ſolis defectum, quem unà ſimul Heliopoli viderant, & ipſi ſuadeat, hoc non aliâ, quàm Chriſti potentiâ, fieri potuiſſe. Hoc idem ipſi Apollophani in Epiſtola ad ipſum data inculcat, addens, ſe diligenter collato die & anno, quibus hæc acciderant, cum iis, quæ ſibi dixerat Paulus, manum veritati ſubmiſiſſe, & falſitatis nexibus fuiſſe abſolutum, concludens: *Quam quidem veritatem mirificè effero, & quam tibi communico*. Abſtineo, inquam, ſtatim enim à Criticis audiam, ejuſmodi Epiſtolas eſſe ſuppoſitas, & alicujus Pſeudo-Dionyſii. Libenter tamen ab eis quærerem, unde hoc norint, & quis fuerit, qui ad Polycarpum & Apollophanem ſub ementito Dionyſii nomine eas litteras ſcripſerit? Si non fuit Dionyſius, fuit ſaltem alius Polycarpo & Apollophani coævus, qui ſe oculatum teſtem cum Apollophane illius mirabilis defectus ſolis pronuntiat. Hic non contendam, Libros de Divinis Nominibus, de cœleſti Hierarchia &c., quos Dionyſio Areopagitæ ipſi abjudicant, verum ejuſdem eſse fœtum, prout antiquitùs creditum fuit, quod tamen infra præſtabo cap.40. §.4. n.20.: ſolùm ab eis petam, cur præfatæ duæ Epiſtolæ Dionyſii Areopagitæ non ſint, illius nempè, qui Act. 17. v.34. Paulo Athenis prædicante in Chriſtum credidit? Ceterùm ex hactenus prolatis, ad rem præſentem teſtimonio Dionyſii non indigemus, cùm hoc ex antiquis etiam Monumentis & Hiſtoriis conſtare, jam ſit oſtenſum, quæ nec ipſe Joſeph Scaliger, quamvis Areopagiticis adverſetur, negare audet lib.6. de Emendat. temporum, ubi admittit & Tertulliani & Phlegontis dicta ab Euſebio relata, concludens: *Sanè egregia tam celebris diei monimenta, Archivia Romana, & Phlegon inſignis temporum computator* &c. Cui ex Heterodoxis præter Grotium, de quo ſupra, accedit Willelmus Moma tom.2. de varia condit. & ſtatu Eccleſ. Dei lib. 3. cap. 6. §. 84., ubi de eadem Eclipſi agens, aſserit, eam fuiſse prorsùs univerſalem his verbis: *Secundò fuit totalis & univerſalis ſuper univerſam terram, quæ Solem tunc ſupra Horizontem habebat, ſeu in quibus partibus terræ Sol tum ſpectari poterat*.

IX. Dimiſſis tamen Heterodoxis; pro noſtra ſententia ſtant S. Joann. Chryſoſtomus Homil.89. modò 88. in Matth., ubi de tenebris, quæ Chriſto Cruci affixo contigerunt, ait: *Neque in hoc ſolum res ſtupenda erat, ſed ſignum illud, quod quærebant, de cælo factum eſt, & in univerſa terra, id quod nunquam contigerat, niſi in Ægypto tantùm, quando Paſcha celebraturi erant. Etenim illa horum typus erant. Et animadverte, quandonam hæc fiant. In meridie, ut omnes per orbem diſcerent, nam ubique terrarum dies erat*.

erat. Quibus, tenebras, quæ olim in Ægypto tantùm factæ fuerant, dicit, moriente Chriſto in univerſa terra factas eſse. Idem ſentire videtur S. Hieronymus in cap.27. Matth., ubi exiſtimat, tenebras tunc in orbe factas, quia ſol retraxerit radios ſuos, quod repetit in cap.8. Amos ad illa verba: *Occidet ſol in meridie & tenebreſcere faciam terram in die luminis*, quod & Joel cap. 2. v.31., & Jeremias cap. 18. v.9. prædixerunt, imo & Oracula Sibyllina, ut iſtud

Nox tenebroſa die medio, monſtroſaque fiet.

Et iſtud, quod refert Salmeron tom.10. Tract.40.

Et die medio nox erit in tribus horis

Cùm ergo Sibyllæ, quæ Gentiles erant, hæc prænuntiarent Gentilibus, ſignum eſt, quòd etiam à Gentilibus conſpicienda erant.

X. Nec me terrent, quæ contrarii afferunt. Non quidem Origenis dictum. Nam ut notavi, Origenes contra Celſum utitur teſtimonio Phlegontis, qui, ut dixi, tenebras extra Judæam factas aſserit. Ne ergo Origenes ſibi contradicat, dicendum videtur, eum in Tract.35. in Matth. non aſserendo, ſed opinando fuiſse locutum. Falſum præterea eſt, haſce tenebras propter ſolos Judæos fuiſse factas. Cùm enim Evangelium Chriſti, nedum in Judæa, verùm & ad omnes Gentes eſset evulgandum; conveniens fuit, ut portentoſa illa Eclipſis ab iis etiam videretur, ut eo portento ab illis etiam viſo, faciliùs perſuaderi poſsent ad credendum, Jeſum, quem Judæi Cruci affixerunt, non purum hominem, ſed Deum extitiſse: quo ſe convictum fuiſse, Areopagita Dionyſius teſtatur Epiſt. ad Polycarpum; eum hortans, ut contra Apollophanem hoc portento ab eo etiam viſo, ad eum convincendum utatur. Conveniens etiam fuit, inquit Caſſiodorus in Pſal.29., *Ut & ipſe orbis cum humano genere Domini lugere videretur exitium.*

Falſum præterea eſt, quòd hujus ſolis Eclipſis nullum Gentilium Scriptorum meminerit, cùm oppoſitum oſtenderim ex Phlegonte, & Monumentis tum Romanis, tum Græcis. Et tandem quia nos non dicimus, illum ſolis defectum contigiſse in univerſo prorsùs orbe; ſed ſolùm in ea orbis parte, in qua tunc dies erat.

XI. Circa alteram verò partem, quomodo Solis ille defectus contigerit, multiplex eſt opinio. Qui enim volunt, tenebras illas ſolam Judæam occupaſse, dicunt, eas eſse factas, tenebroſiſſimis nubibus cooperientibus Solem, ne lucem emitteret in terram illam, ut putat Origenes: ſive per aeris condenſationem, ut

ut alii volunt. Sed ſi hoc fuiſſet, non potuiſſent in illis tenebris ſtellæ in cœlo conſpici, ut tunc accidiſſe retulimus ex Phlegonte: nec adeò prodigioſa illa ſolis defectio diceretur, ut meritò notari potuiſſet ab Evangeliſtis & Scriptoribus etiam Ethnicis: nec potuiſſet S. Lucianus Martyr Antiochenus hoc ex Archivis Nicodemiæ coram Præſide tanquam prodigium citare, dicens: *Conſulite Annales veſtros, & invenietis, Pilati temporibus, dum pateretur Chriſtus, media die fugatum ſolem, & interruptum diem.* Etenim defectio luminis ſolaris etiam in meridie per aeris condenſationem, aut per obſcuriſſimas nubes, ex cauſis naturalibus aliquando oriri poteſt, ut tradunt, qui de rerum cauſis ſcripſere.

XII. Ex aliis ergo, qui volunt, tenebras præfatas etiam ultra Judæam fuiſſe expanſas, quidam ſentiunt, hoc factum fuiſſe, ut refert S. Thomas 3.p. q.44. ar.2. ad 2. *propter hoc, quòd ſol ſuos radios retraxit, nullâ immutatione factâ circa motum cæleſtium corporum, ſecundùm quem tempora menſurantur: unde Hieronymus dicit ſuper cap.27. Matth.*,, Videtur luminare majus retraxiſſe radios ſuos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blaſphemantes ſuâ luce fruerentur,, *Talis autem retractatio radiorum non eſt ſic intelligenda, quaſi ſol in ſua poteſtate habeat radios emittere vel retrahere: non enim ex electione, ſed ex natura radios emittit . . . ſed ſol dicitur retraxiſſe radios, in quantum Divina virtute factum eſt, ut ſolis radii ad terram non pervenirent.*

Alii verò, quibus S. Thomas magis adhæret, ſentiunt, ſolis defectionem prodigioſâ & ſupernaturali Eclipſi contigiſſe: ait enim: *Sed circa hoc magis credendum eſt Dionyſio, qui oculatâ fide inſpexit, hoc accidiſſe per interpoſitionem Lunæ inter nos & ſolem: dicit enim in Ep. ad Polycarpum*,, Inopinabiliter Soli Lunam incidentem videbamus in Ægypto, *ſcilicet* exiſtentes, ut *ibidem dicitur. Et deſignat ibi quatuor miracula. Quorum primum eſt, quòd naturalis Eclipſis ſolis per interpoſitionem lunæ nunquam accidit, niſi tempore conjunctionis ſolis & lunæ. Tunc autem erat luna in oppoſitione ad ſolem, quintadecima exiſtens, quia erat Paſcha Judæorum. Unde dicit*,, non enim erat conjunctionis tempus,,.

Secundum miraculum eſt, cùm circa horam ſextam luna viſa fuiſſet ſimul cum ſole in medio cæli, in veſpere apparuit ſuo loco, ideſt in Oriente oppoſita ſoli: unde dicit,, Rursùs ipſam vidimus (*ſcilicet lunam*) à nona hora (*in qua ſcilicet receſſit à ſole ceſſantibus tenebris*) uſque ad veſperam ſupernaturaliter reſtitutam ad diametrum ſolis,, *ideſt ut diametraliter eſſet ſoli oppoſita. Et ſic patet, quòd non eſt turbatus conſuetus temporum curſus: quia Divinâ*

virtute factum eſt, & quòd ad ſolem ſupernaturaliter accederet præter tempus debitum, & quòd à ſole recedens in locum proprium reſtitueretur tempore debito.

Tertium miraculum eſt, quòd naturalis Eclipſis ſemper incipit ab occidentali parte ſolis, & pervenit uſque ad orientalem: & hoc ideò quia luna ſecundùm proprium motum, quo movetur ab occidente in orientem, eſt velocior ſole in ſuo proprio motu: & ideò luna ab occidente veniens, attingit ſolem, & pertranſit ipſum ad orientem tendens: ſed tunc luna jam pertranſierat ſolem, & diſtabat ab eo quaſi per medietatem circuli, in oppoſitione exiſtens: unde oportuit, quòd reverteretur ab oriente versùs ſolem, & attingeret occidentem. Et hoc eſt quod dicit, „ Eclipſim etiam ex oriente vidimus inchoatam, & uſque ad ſolarem terminum venientem (*quia totum ſolem eclipſavit*) poſtea regredientem.

Quartum miraculum fuit, quòd in naturali Eclipſi ex eadem parte incipit ſol prius reapparere, ex qua parte incœpit prius obſcurari: quia ſcilicet luna ſe ſoli ſubjiciens naturali ſuo motu ſolem pertranſit versùs orientem: & ita partem occidentalem ſolis, quam primò occupat, primò etiam derelinquit. Sed tunc luna miraculosè ab oriente versùs occidentem rediens, non pertranſivit ſolem, ut eſſet eo occidentalior, ſed poſtquam pervenit ad terminum ſolis, reverſa eſt versùs orientem: & ita partem ſolis, quam ultimò occupavit, primò etiam dereliquit: & ſic ex parte orientali inchoata fuit Eclipſis, ſed in parte occidentali priùs incœpit claritas apparere. Et hoc eſt, quod dicit,„ Et rursùm vidimus non ex eodem (*ideſt non ex eadem parte ſolis*) & defectum & purgationem, ſed è converſo ſecundùm diametrum factam. *Quintum miraculum addit Chryſoſt. Homil.*89. *in Matth.* Quòd tribus horis tunc tenebræ permanſerunt, cùm Eclypſis ſolis in momento pertranſeat, ut ſciunt illi, qui conſideraverunt. Hactenus S. Thomas.

XIII. Sed reclamant Adverſarii. Quid oportet tot miracula confingere, cùm uno tantùm omnia potuerint haberi! At dicam ego: cur ipſi reſtringere volunt omnipotentiam Dei, quæ in Chriſti Paſſione voluit totius naturæ commotionem manifeſtare? *Sol nunc lucens* (inquit Cyrillus Hieroſol. Catech. 10.) *teſtis eſt, qui tum Salvatoris noſtri paſſionis tempore paſſus eſt deliquium. Teſtes tenebræ, quæ in tempore illo factæ ſunt ab hora ſexta uſque ad horam nonam. Lux teſtis, quæ ab hora nona ad veſperam illuxit.* Quamquam omnia prænarrata miracula per modum unius ſe habuiſſe, tanquam ex uno fonte prodeuntia, dicenda ſint. Poſito enim, quòd obſcuratio illa ſolis fuerit per Eclipſim, ideſt per interpoſitionem lunæ inter terram & ſolem, facta eo

tem-

Digitized by Google

tempore, quo luna erat in oppoſitione ad ſolem, nimirùm in oriente poſita, quod fuit primum miraculum; oportuit, ut pars orientalis ſolis prius Eclipſi ſubjiceretur, quàm occidentalis, ac deinde in locum ſuum lunâ revertente, nempe versùs orientem, ea ſolis pars, quæ fuit poſteriùs obſcurata, priùs inciperet apparere, ut feriò rem perpendenti apparebit. Simile quid factum legimus Joſue 10. v.13. dum ad vocem Joſue: *Sol & luna ſteterunt, nec fuit antea nec poſtea tam longa dies*: unde Theodoritus q.14. in Joſue: *Iſtud porrò*, inquit, *præfigurat aliud prodigioſum facinus Salvatoris: ſicut enim pugnante Propheta ſol ſtetit: ita dum Salvator noſter mortem diſſolveret, ſol continuit radios ſuos, & in meridie tenebris implevit terram*. Simile etiam fuit, quod legitur Iſaiæ cap.38. v.8. de retroceſſione ſolis per decem lineas ſub Ezechia Rege in ſuæ recuperandæ ſalutis ſignum: *Et reverſus eſt ſol decem lineis per gradus, quos deſcenderat*; quæ nedum in Judæa notata fuit, verùm & longè extra, & præcipuè apud Babylonios, quorum Rex legatos miſit ad Ezechiam: *Ut interrogarent eum de portento, quod acciderat ſuper terram*, ut habetur 2. Paralip. cap.32. v.31.: & adnotat Theodoritus q.52. in lib.4. Regum dicens: *Solis autem miraculum pervaſit univerſum orbem terræ; omnibus enim fuit cognitum, ſolem retroceſſiſſe. Quamobrem Rex Babyloniorum, cùm & interitum reſciviſſet, & quæ in ſole admirabiliter facta erant didiciſſet, miſit & legatos & dona ad Regem Judæorum*.

XIV. Si itaque, ut Joſue hoſtes vinceret, ſolem & lunam Deus ſtare fecit: Si pro Ezechiæ ſalute demonſtranda, ſolem retrocedere in ſignum fecit; & hoc per orbem totum notatum fuit: num verum ac orbi toto patens ſolis deliquium fateri recuſabimus, quo Deus ſignificare voluerit, tum execrabilem Judæorum impietatem, tum Unigeniti ſui humanitatem pro ſalute totius Mundi morti oblatam? Hanc, ut diximus, tanquam mirabilem, & nunquam antea viſam ſolis Eclipſim confeſſi ſunt Dionyſius, Phlegon, Thallus, viri Ethnici extra Judæam poſiti: referebant Monumenta Romanorum & Græcorum, Tertulliano & Luciano teſtibus. Imo & Sinenſes, narrat in ſua Hiſtoria Hadrianus Graſſonius, adnotaſſe in rerum ſuarum Monumentis, ad id tempus, in quod annum Chriſti trigeſimum tertium nos Chriſtiani conferimus, circa menſem Aprilem ſolare deliquium præter naturæ ordinem & leges curſibus aſtrorum præfixas contigiſſe; qua rei novitate Quamuntium Imperatorem vehementer fuiſſe commotum. Claudam ergo cum S. Auguſtino Epiſt. 80., modò 199., ad Heſychium cap.10., ubi Eclipſim fuiſſe talem de-

ſcribens, qualem Gentium monumenta nunquam ante prodiderant, ait: *Non erat talis ſolis ille defectus, quando crucifixus eſt Chriſtus, & ideò verè mirabilis erat & prodigioſus; Paſcha quippe fuerat Judæorum, quod nonniſi in lunæ plenitudine celebratur. Secundùm aſtrologorum autem numeros, certum eſt, ſolem, quando luna plena eſt, non poſſe deficere, ſed quando finis eſt lunæ, non quidem ſemper, ſed aliter nunquam, cùm ſecundùm illos numeros deficit. Quid ergo tale unquam quiſquam meminit apparuiſſe de cælo, ex quo Dominus illa prædixit, quale apparuit, quando paſſus eſt?*

In hanc ſententiam præter Veteres relatos conſpirant ex Recentioribus Huetius Demonſtr. Evang. Propoſit. 3., Janſenius in cap. 27. Matth., Natalis Alexandre in idem caput, aliique multi.

§. II.

De aliis Prodigiis in Morte Chriſti.

XV. PRodigio obſcurationis ſolis, quod ab hora ſexta uſque ad nonam, ut oſtendimus, Chriſto adhuc vivo in Cruce pendente continuatum fuit, aliud ſucceſſit, nempe Veli Templi ſciſſio in duas partes, de quo Matthæus cap. 27. v. 50. *Jeſus autem clamans voce magna emiſit ſpiritum: & ecce velum Templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum;* quod etiam Marcus dicit cap. 15. v. 38., ex quo arguitur, hanc Veli ſciſſionem Chriſto jam extincto contigiſſe. Quamvis autem Lucas cap. 23. v. 45. ſciſſionem veli cum obſcuratione ſolis videatur conjungere, dicens: *Et obſcuratus eſt ſol, & velum Templi ſciſſum eſt medium*, deinde ſubjiciat Chriſti Mortem: hoc tamen per anticipationem factum eſſe, dicit S. Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu Evangeliſt. cap. 19. *Volens enim miraculum miraculo adjungere, cùm dixiſſet* „ ſol obſcuratus eſt „ *continuò ſubjungendum exiſtimavit* „ & velum Templi ſciſſum eſt medium „ *Praoccupans videlicet quod expirante Domino factum eſt.*

XVI. Porrò hic dubitatur, unicum ne an duplex eſſet Templi velum. Unicum fuiſſe præter alios exiſtimat Gerardus Voſſius lib. 2. Harmon. Evang. cap. 11., ex eo motus, quòd ſi duplex fuiſſet, non ſimpliciter *Velum Templi* dixiſſent Evangeliſtæ, ſed quodnam ex illis ſciſſum fuiſset, addidiſsent. Verùm fuiſse duplex plerique ſentiunt, non ſolùm autem in veteri Tabernaculo, ut ex Apoſtolo ad Hebr. 9. v. 2. & 3., & Exodi 26. v. 31. & 36., ſed etiam in Templo. Cum enim tres præcipuæ eſſent Templi par-

partes: Atrium, in quo Populus conſiſtebat: Sanctum, in quo Sacerdotes Sacra obibant miniſteria: & Sanctum Sanctorum, in quod unus Summus Pontifex, ac ſemel tantùm in anno, ingredi poterat: quemadmodum Sanctum Sanctorum ſacro velo, quod nemo dubitat, diſtinguebatur à Sancto: ita quoque Sanctum velo altero ab Atrio ſecernebatur. Hæc duo vela diſtinguit Joſephus lib.6. de Bello Judaico cap.6. Velum diſtinguens Sanctum ab Atrio vocans *Velum Babylonicum hyacintho & byſſo & cocco & purpura variatum mirabili opere factum*: alterum verò ſecernens Sanctum Sanctorum à Sancto ſic deſcribens: *Intima verò Templi pars... diſcernebatur ſimiliter velo ab exteriore...: inacceſſa verò & inviolata & inviſibilis omnibus habebatur, Sanctique Sanctum vocabatur*. Geminum illud Templi velum agnoverunt Origenes Tract.35. in Matth. dicens, Sacras Scripturas non negligenter intelligentibus perſpicuum eſſe, *Duo eſſe vela; unum quidem interius, quod velut Sancta Sanctorum; alterum autem exterius, ſive Tabernaculi ſive Templi*. S. Hieronymus Epiſt. 150. ad Hedibiam qu.8. infra referendus, & S. Thomas 1. 2. q.102. ar.4. ad 4.

XVII. Quod hic in controverſiam vocari ſolet, eſt, quodnam ex duobus Templi velis in morte Chriſti ſciſſum fuerit, an interius an exterius. Quotquot enim Patres geminum velum in Templo agnovere, exterius ſciſſum fuiſſe, non interius docuerunt, non ſine myſtica ratione. Sic Origenes citato loco his verbis: *In Paſſione Domini Salvatoris, Velum, quod erat à foris, conſciſſum eſt à ſummo uſque deorſum, ut ab initio mundi uſque deorſum, ideſt uſque ad finem ejus, conſciſſo velamine myſteria publicentur, quæ uſque ad Chriſti adventum rationabiliter fuerant occultata. Et niſi ex parte cognoſceremus, ſed jam nunc manifeſtarentur omnia, adhuc in corpore conſtitutis dilectis Chriſti Diſcipulis, utrumque velum fuerat conſcindendum; ideſt quod à foris eſt, & interius. Nunc autem quoniam ad ſcientiam rerum novarum producimur, ideò quod à foris quidem fuerat velum, interim conſcinditur à ſummo uſque deorſum, ut quando venerit quod perfectum eſt, & revelata fuerint cætera, quæ reſtabant, tunc auferatur etiam ſecundum velum, ut videamus etiam, quæ intra ſecundum velum ſunt occultata, veram Arcam Teſtamenti, & ſicut ipſa ſe habet natura: videamus Cherubim & Propitia orium verum* &c.

Sic & S. Hieronymus citata Epiſt. 150. ad Hedibiam q.8. his verbis: *Quærendum, quod velum Templi ſciſſum ſit, exterius an interius? Mihi videtur, in Paſſione Domini illud velum eſſe conſciſſum, quod in Tabernaculo & in Templo foris poſitum fuerat, & ap-*

pel-

pellabatur exterius,, quia nunc ex parte videmus; & ex parte cognoſcimus (1.Cor.13. v.9.) Quum autem venerit quod perfectum eſt,, *tunc & velum interius dirumpendum eſt; ut omnia, quæ nunc nobis abſcondita ſunt, domus Dei Sacramenta videamus. Videamus, quid ſignificent duo Cherubim, quid oraculum, quid vas aureum, in quo manna reconditum fuit* &c. S. Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum cap.11. veli nomine intelligens velamen intelligentiæ Scripturarum, quod non Judæis, ſed Fidelibus tranſeuntibus ad Chriſtum ejus Gratiâ aufertur, ait: *Unde Chriſto in Cruce paſſo velum Templi conſciſſum eſt, ut per Chriſti paſſionem revelentur ſecreta Sacramentorum Fidelibus, ad bibendum ejus Sanguinem ore aperto in confeſſione tranſeuntibus*: cui interpretationi favet Paulus 2. Cor. 3. v.18. &c. *Uſque in hodiernum diem cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum; cùm autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen*.

XVIII. Patres verò, qui velum Sancto Sanctorum ſuperpoſitum ſciſſum exiſtimarunt, inter quos S. Cyrillus Alexandrinus in cap.19. Joan., Euthymius in Matth., S. Leo Magnus ſer.10. de Paſſione, ex eo fortè moventur, quòd in Templo unicum tantùm velum, quo ſcilicet Sanctum Sanctorum à Sancto abſconderetur, agnoſcerent, hâc veli ſciſſione putant indicatam Veteris Sacerdotii abrogationem: ſic enim S. Leo citatus: *Velum*, inquit, *cujus objectu intercludebantur Sancta Sanctorum, à ſummo uſque ad ima diruptum eſt, & ſacrum illud myſticumque ſecretum, quod ſolus Summus Pontifex juſſus fuerat intrare, reſeratum eſt, ut nihil jam eſſet diſcretionis, ubi nihil reſederat ſanctitatis. Repudiatos itaque vos debuiſtis agnoſcere, & omne jus Sacerdotii perdidiſſe*.

XIX. Cæterùm præter velum interius, quo tegebantur Sancta Sanctorum, fuiſſe aliud exterius, quo Sancta tegerentur, ne Populi paterent aſpectui; & hoc poſterius, non prius, diſciſſum eſſe, oſtendunt rationes ſupra allatæ, præcipuè ex Origene & Hieronymo. Cujus duplicis velaminis cauſam dat S. Thomas citatus 1. 2. q.102. ar.4. ad 4. dicens: *Ad ſtatum autem Veteris Legis aliter ſe habebat Populus, & aliter Sacerdotes: nam Populus ipſa corporalia ſacrificia conſiderabat, quæ in Atrio offerebantur: Sacerdotes verò rationem ſacrificiorum conſiderabant, habentes fidem magis explicatam de Myſteriis Chriſti. Et ideò intrabant in exterius Tabernaculum, quod etiam quodam velo diſtinguebatur ab Atrio: quia quædam erant velata Populo circa Myſterium Chriſti, quæ Sacerdotibus erant nota, non tamen erant eis plenè revelata, ſicut poſtea in Novo Teſtamento, ut habetur Epheſ. 3.*

Nec

Digitized by Google

Nec deterrere debet, quòd in ſingulari dicatur *Velum Templi ſciſſum eſt*. Eſt enim propoſitio indefinita faciens ſenſum, unum ex velis Templi ſciſſum eſt. Et de exteriori potiùs, quàm de intimo intelligendum eſſe, præter dicta, ex eo etiam conjici poteſt, quòd iſtud in omnium oculis erat, Populi ſcilicet ac Sacerdotum, quòd ſancta omnia obtegebat, quòd miræ amplitudinis erat & longitudinis, unde & prodigii loco haberi potuit, quòd à ſummò uſque deorſum ſciſſum fuerit: quæ de velo intimo ſecreto & non ita amplo, verificari ægrè poſſent.

XX. Mitto aliud prodigium, quod S. Ephræm Syrus refert ſerm. de Paſſione, nempe quòd *Spiritus ipſe Sanctus, conſpiciens dilectum Filium Patris in ligno Crucis pendentem, rupto mundiſſimo illo Templi velo, quod à ſurſum erat uſque deorſum, in ſpecie Columbæ continuò de Templo exivit*. Hujus tamen prodigii præfatus Pater nullum exhibet documentum. Huic ſimile eſt aliud, quod S. Hieronymus in prælaudata Epiſt. ad Hedibiam q.8. refert dicens: *Velum quoque Templi ſciſſum eſt in duas partes, ut compleretur illud, quod dicit Joſephus*, (lib.2. de Bello Judaico cap.12.) *præſides Templi dixiſſe virtutes: tranſeamus ex his ſedibus*: quod repetit in Comment. ſuper cap.27. Matth. Etenim non intendit S. Hieronymus, tunc cùm ſciſſum fuit velum, illam terrificam vocem auditam fuiſſe, ſed ſolùm illam Veli ſciſſionem ſignificaſſe tunc Spiritus Domini abſceſſionem è Templo, quæ poſtea triginta ſeptem elapſis annis obſeſsâ à Tito & Veſpaſiano Hieroſolymâ vocibus illis expreſſa fuit. Et ſanè aliter non potuit ſentire Hieronymus; tum quia Joſephus, quem laudat, hoc factum narrat dum recenſet prodigia, quæ imminens Hieroſolymorum excidium præceſſerunt, ait enim: *Feſto autem die, quem Pentecoſten vocant, nocte Sacerdotes intimum Templum more ſuo ad divinas res celebrandas ingreſſi, primùm quidem motum quemdamque ſtrepitum ſenſerunt, poſtea verò ſubitam vocem audire, quæ diceret: Migremus hinc*. Tum quia idem S. Hieronymus ad c.66. Iſaiæ terrificam illam Angeli vocem ex intimis Templi inſonuiſſe dicit, non Paſſionis Dominicæ tempore, ſed in Urbis excidio imminente ſub Tito & Veſpaſiano, & ad hoc tempus Joſephi dictum refert, ut legenti conſtabit. Addo, quòd etſi Joſephi narratio ad tempora excidium Hieroſolymitanum præcedentia traheretur, nunquam tamen trahi poſſet ad diem, quo moriente Chriſto velum Templi ſciſſum eſt; cùm Joſephus dicat, vocem illam auditam fuiſse nocte & die Pentecoſtes, quibus certè die & hora nec Chriſtus mortuus, nec Velum Templi ſciſsum fuit, ut patet.

XXI. Sed

XXI. Sed ad Evangelia revertamur. Veli ſciſſioni adjungit Matthæus cap.27. v.51. Terræ motum, petrarum fracturam, ſepulcrorum apertionem: *Terra*, inquit, *mota eſt*, *& petræ ſciſſæ ſunt*, *& monumenta aperta ſunt*. Terra igitur mota eſt, quaſi crucifixum Dominum ſuum ferre non ſuſtinens. Teſtis eſt Phlegon ſupra relatus §. præced. Scriptor Ethnicus apud Euſebium, hoc terræmotu Bithyniam, & in ea Nicæam urbem præcipuè fuiſse concuſsam. Petræ etiam ſciſsæ ſunt ex terræmotu etiam in Monte Golgotha: unde S. Cyrillus Hieroſolym. teſtis ocularis Catech.10. n.39. *Golgothas iſte*, inquit, *Sanctus ſupereminens & hucuſque conſpicuus*, *atque in præſentem diem fidem faciens*, *quomodo petræ propter Chriſtum eo tempore ſunt ſciſsæ*. Apparebat ergo etiam Cyrilli tempore petrarum in Chriſti morte ſciſsarum in Monte Golgotha veſtigium. Ita & Lucianus Martyr, apud Ruffinum lib.9. Hiſt. Eccl. c.6.; qui Chriſtianæ Religionis defenſorem agens, ſic Præſidem alloquitur: *Si minùs adhuc creditur*, *adhibebo vobis etiam loci ipſius*, *in quo res geſta eſt*, *teſtimonium*. *Adſtipulatur his ipſe in Hieroſolymis locus*, *& Golgothana rupes ſub patibuli onere dirupta*. Qua ratione in loco, ubi fixa fuerat Crux, etiam hodie fixura peregrinis oſtenditur. Myſticè autem petræ ſciſsæ ſunt, inquit S. Thomas 3.p. q.44. ar.4. ad 3. *Ad oſtendendum*, *quòd lapidea hominum corda per ejus paſſionem emollirentur*, *& quòd totus mundus virtute paſſionis ejus erat in melius commutandus*. Aperta ſunt inſuper monumenta, ut declararetur, crucifixum eſse Dominum vivorum & mortuorum, eſse mortis & inferni domitorem, & in ſignum futuræ vi Crucifixi reſurrectionis omnium, ut volunt Hieronymus Epiſt. 150. ad Hedibiam q.8., & Ambroſius lib.10. in Lucam dicens: *Monumentorum autem reſeratio quid aliud, niſi clauſtris mortis effractis reſurrectionem ſignificat mortuorum?* Cùm autem Matthæus dicat multa corpora Sanctorum exiiſse ex apertis monumentis, quærendum eſset, quinam exierint, ac an iterùm ad ea redierint. Verùm quia nonniſi ſuſcitato Chriſto, iſti videntur fuiſse ſuſcitati, dicente Matthæo cap.27. v.53. *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus*, *venerunt in Sanctam Civitatem*, *& apparuerunt multis*; ideò aptior erit de illis dicendi locus, ubi de Chriſti Reſurrectione, cujus ſocii ac teſtes fuerunt, ex profeſso ſermo erit.

XXII. Prætereundum non cenſeo aliud prodigium, quo Chriſti Domini mors Ethnicis ſignificata eſt, de quo licèt in Sacris Litteris nihil habeatur, illud tamen admittunt Euſebius lib.5. Præparat. Evang. cap.17., Tilmontius tom. 1. Mem. Eccleſ.

cleſ. Not.37., Baronius ad ann. 34. num.129., & Huetius Demonſtr. Evang. Propoſit. 9. cap. 136. num. 4. factum his verbis narrans „ Ethnicis verò ſtupendo miraculo Chriſti Jeſu ſignificata mors eſt, quòd in libello de defitis Oraculis Plutarchus „ refert. Id quamquam à vulgo Scriptorum tritum eſt, minimò tamen ob admirabilitatem rei pigebit hic adſcribere. Cùm „ in Italiam tenderet Thamus Ægyptius navis rector, jamque „ Echinadas prӕternavigaret, ſubitò remiſit ventus, & ad Paxas inſulas audita vox eſt, quӕ Thamum appellaret, juberetque ipſum, ſimul ac appuliſſet ad portum Pelodem, clamare, „ magnum Pana eſſe mortuum. Paruit Thamus, eâque, quam „ juſſus fuerat, voce editâ, ejulatus auditi ſunt, quaſi Panos „ obitum mirantium & gementium. Vectores Romam delati „ portentum vulgarunt. Pervenit illud ad Tiberium Cӕſarem, „ qui & à Thamo ipſo de re geſta certior factus hominum eruditorum ſententiam ſuper ea exquiſivit. Narrat id apud Plutarchum Æmilianus Rhetor, ut ſibi à patre Epitherſe rei teſte traditum. Atqui id convenit in tempus mortis Chriſti Jeſu, qui verus Pan eſt, rerum omnium parens, ac Naturӕ „ totius auctor, quam Panos ſymbolo Mythologi ſignatam voluerunt „ hactenus Huetius. Scio aliquos, inter quos Blondellus vir heterodoxus, hanc narrationem ceu fabuloſam reſpuere: alii tamen etiam Heterodoxi eam admittunt, & ex Catholicis ferè omnes. Aliqui tamen in hoc diſſentiunt, quòd nolint Panos nomine ab Ethnicis Jeſum Chriſtum fuiſſe appellatum, ut putat Huetius, & ante ipſum Baronius citato loco videtur exiſtimaſſe; parum enim probabile judicant, verum Deum voluiſſe nomine falſi Numinis deſignari. Glorioſius ergo putant Jeſu Chriſto, credere cum Euſebio lib.5. Demonſtr. Evang. c.17., Jeſum obligaſſe Dӕmonem, ut vel nolens publicaret ipſe fatale exitium, quod in Jeſu Chriſti Cruce paſſus fuerat.

XXIII. Primus fructus Orationis, à Chriſto pro crucifixoribus in Cruce fuſӕ, fuit converſio Centurionis & aliorum, qui cum eo erant. Ut enim refert S. Matthӕus cap.27. v.54. *Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Jeſum, viſo terrӕ motu, & his, quӕ fiebant, timuerunt valdè dicentes: verè Filius Dei erat iſte.* Licèt autem Marcus cap.15. v.3. dicat, exclamaſſe Centurionem: *Verè hic homo Filius Dei erat*: & Lucas: *Verè hic homo juſtus erat*: nulla eſt diſſonantia, inquit S. Auguſtinus Lib.3. de Conſ. Evangeliſt. cap.19., *Sed vel utrumque dictum à Centurione intelligere debemus, & aliud illos aliud iſtum commemoraſſe; vel fortaſſe Lucam exprimere voluiſſe ſententiam Centurionis, quomodo di-*

dixerit Jeſum Filium Dei. Fortè enim non eum Unigenitum æqualem Patri Centurio intellexerat, ſed ideò Filium Dei dixerat, quia juſtum crediderat, ſicut multi juſti dicti ſunt Filii Dei.

XXIV. De hoc Centurione (ſeu duce centum militum) varia dicuntur, ſed incerta. S. Joan. Chryſoſt. Homil. 89., modò 88., in Matth. *Tanta eſt*, inquit, *virtus Crucifixi, ut poſt tot irriſiones & dicteria, & Centurio & Populus compungerentur. Quidam verò narrant, hunc Centurionem poſtea in fide roboratum martyrium fortiter ſubiiſſe.* In hac ſententia ſunt Græci, qui eum *Longinum* nomine appellant, ut ex eorum Menologio conſtat ad diem 16. Octobris his verbis: *Certamen Sancti Martyris Longini Centurionis.* Hic Tiberio Cæſare ex regione Cappadocum Centurio fuit, militans ſub Pilato Judææ Præfecto, cujus juſſu pretioſæ Chriſti Paſſioni & Cruci unà cum Centuria ſua miniſtravit. Sed cùm ea, quæ Chriſto in Crucem ſublato fiebant, miracula vidiſſet, terræ ſcilicet motum, ſolis deliquium, ſepulcra aperta, mortuos excitatos, petras ſciſſas, exclamavit: verè Filius Dei erat iſte: abjectoque militiæ ſibi ſubjectæ munere, in patriam rediit, Chriſtum prædicans. Quo comperto Judæi pecuniâ Pilatum ſubornarunt, qui ad Tiberium adversùs Longinum ſcripſit. At ille decollari eum unà cum duobus ſociis militibus mandavit, ejuſque Caput Hieroſolymam deferri: quod in ſterquilinium dejectum, tamdiu delituit, donec mulier quædam Cappadox cæca divino admonita viſu, Hieroſolymam profecta, caput *invenit, viſumque recepit.*

Hæc eadem Bollandiſtæ ad diem 15. Martii ex Metaphraſte, ſeu ex quodam Heſychio Hieroſolymitano Presbytero, qui ſeculo quinto ineunte floruit: addentes; quòd Centurio deinde cuſtodiendo Chriſti ſepulcro à Pilato addictus, cùm pecuniam à Pontificibus oblatam, ut Jeſu cadaver à Diſcipulis ſublatum teſtaretur, rejeciſſet, Præſidis iram adeò in ſe concitavit, ut propè fuerit, ut ab eo perderetur. Quare inſcio Pilato militiâ ſe abdicavit unà cum duobus, qui exemplo ſuo fidem amplexi fuerant, & in Cappadociam ſecedens ibi Martyr occubuit.

XXV. Inter Græcos tamen & Latinos hæc diverſitas eſt: quòd Græci, ut vidimus, S. Longinum Martyrio coronatum Andrale, ſeu Sandrale propè Thyanas in Cappadocia, putant eſſe ipſum Centurionem, qui Chriſto mortuo exclamavit: *Verè Filius Dei erat iſte*, & ejus Feſtum celebrant 16. Octobris. Latini verò S. Longinum putant eſſe militem alium à Centurione, qui lanceâ Chriſti latus effodit. Unde in Martyrologio Romano ad diem 15. Martii ſic legitur: *Cæſareæ in Cappadocia paſſio Sancti*

ſi Longini militis, qui latus Domini lanceâ perforaſſe perhibetur. Quibus addit Baronius in Not. Martyrol., S. Longini venerandum corpus Romæ in Eccleſia S. Auguſtini aſservari, ſe percepiſse. Hic ergo, ut vides Lector, omnia incerta ſunt. Incertum eſt Nomen, incerta Perſona, incertum Martyrium. Quare æquum eſt, ut iſta relinquamus.

CAPUT XXXII.

Paſſiones & Dolores, quos Chriſtus ſuſtinuit.

§. I.

An omnes Paſſiones ſuſtinuerit.

1. AD excitandam in Fidelium cordibus erga Chriſti Domini Paſſionem pietatem ac devotionem, hæc cenſui non omittenda. De eis agit S. Thomas 3. p. q. 46. ar. 5. 6. 7 & 8., cujus doctrinam ſequendo, dico, Paſſiones alias eſse ab intrinſeco cauſatas, ſicut ſunt ægritudines corporales, ſicut lepra, febris, morbus; & has non decuit Chriſtum pati: quia cùm, ut ſupra docuerat q. 14. ar. 4., iſti defectus quandoque cauſentur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu; quandoque autem ex defectu virtutis formativæ; neutrum potuit habere locum in Chriſto, quia ipſe nihil inordinatum in regimine ſuæ vitæ exercuit; Caro autem ejus de Spiritu Sancto concepta fuit, qui eſt infinitæ ſapientiæ & virtutis, errare ac deficere non potens: alias verò eſse Paſſiones ab extrinſeco illatas; & has paſsus eſt Chriſtus.

Quia tamen conſiderari poſsunt & quantum ad ſpeciem & quantum ad genus, dico, quòd non oportuit Chriſtum pati omnem Paſſionum ſpeciem, quia multæ Paſſionum ſpecies ſibi invicem contrariantur, ſicut combuſtio in igne, & ſubmerſio in aqua: & manifeſtum eſt, ipſum nec fuiſse igne exuſtum, nec gladio transfixum, nec vivum excoriatum, nec in fruſta conciſum, nec alias Paſſionum ſpecies paſsum fuiſse, quas humana malitia poteſt excogitare.

Si verò conſiderentur quantùm ad genus, ſic dici poteſt, Chriſtum omne genus Paſſionum ſuſtinuiſse: primò ex parte hominum, à quibus paſsus eſt: *Paſſus eſt enim aliquid & à Gentilibus & à Judæis & à maſculis & à feminis, ut patet de Ancillis accuſantibus Petrum. Paſſus eſt etiam & à Principibus & à Mini-*

ſtris eorum, & à Popularibus, ſecundùm Pſal.2. „ Quare fremuerunt Gentes & Populi meditati ſunt inania? aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus „ *Paſſus eſt etiam à familiaribus & notis, ſicut patet de Juda eum prodente, & Petro ipſum negante.* Secundò *ex parte eorum, in quibus homo poteſt pati. Paſſus eſt enim Chriſtus in ſuis amicis eum deſerentibus; in fama per blaſphemias contra eum prolatas; in honore & gloria per irriſiones & contumelias ei illatas; in rebus, per hoc quòd etiam veſtibus ſpoliatus eſt; in anima per triſtitiam tædium & timorem; in corpore per vulnera & flagella.* Tertiò *poteſt conſiderari quantùm ad corporis membra. Paſſus eſt enim Chriſtus in capite pungentium ſpinarum coronam, in manibus & pedibus fixuram clavorum, in facie alapas & ſputa, & in toto corpore flagella. Fuit etiam paſſus ſecundùm omnem ſenſum corporeum: ſecundùm tactum quidem flagellatus & clavis confixus, ſecundùm guſtum felle & aceto potatus; ſecundùm olfactum in loco fœtido cadaverum mortuorum, qui dicitur Calvariæ, appenſus patibulo; ſecundùm auditum laceſſitus vocibus blaſphemantium & irridentium; ſecundùm viſum videns Matrem & Diſcipulum, quem diligebat, flentes.* His S. Thomas oſtendit, Chriſtum ſuſtinuiſse omne genus Paſſionum, quia paſsus eſt ab omni genere hominum, in omni bono humano, & in omnibus membris aut ſenſibus corporis.

II. Duas hìc blaſphemias evomit ore virulento Calvinus: unam quòd paſſione deſperationis abreptus Chriſtus fuerit in Cruce, quando Matth.27. v.46. exclamavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* alteram præcedenti cognatam protulit, nimirùm quòd Chriſtus omnes pertulerit Paſſiones & cruciatus, quos damnati in inferno patiuntur; & hoc ſignificari in Symbolo per articulum: *Deſcendit ad inferos.* Ita enim loquitur in Harmonia ad cap.27. Matth. v.47. *Sic videmus omni ex parte fuiſse vexatum, ut deſperatione obrutus ab invocando Deo abſiſteret: quod erat ſaluti renuntiare.* Rationem autem hujus vexationis deprimentis Chriſtum uſque ad deſperationem aſſignat lib.2. Inſtit. cap. 16. §. 10. Quia Chriſtus ſuſtinebat perſonam omnium noſtrum, qui propter peccata æternæ damnationi eramus obnoxii: & ideò inquit: *Operæ ſimul pretium erat, ut divinæ ultionis ſeveritatem ſentiret, quo & iræ ipſius intercederet & ſatisfaceret juſto judicio. Unde etiam eum oportuit cum inferorum copiis, æternæque mortis horrore, quaſi conſertis manibus luctari. Correctionem pacis noſtræ illi impoſitam fuiſse ex Propheta* (Iſaiæ 53. v.5.) *nuper retulimus, fuiſse propter ſcelera noſtra à Patre percuſſum,*

ſum, attritum propter noſtras infirmitates. Quibus ſignificat, in locum ſceleratorum ſponſorem vadem, adeòque inſtar rei ſubmiſſum, qui dependeret ac perſolveret omnes, quæ ab illis expetendæ erant, pœnas: uno hoc dumtaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri (Act.2. v.24.) *Ergo ſi ad inferos deſcendiſſe dicitur, nihil mirum eſt, quum eam mortem pertulerit, quæ ſceleratis ab irato Deo infligitur.* Et in parvo Catechiſmo huic quæſito: *Quomodo autem fieri poteſt, ut Jeſus Chriſtus, qui eſt ſalus mundi in tali fuerit damnatione?* reſpondet: *Non in ea fuit, ut in ea permaneret*: hoc eſt, ut ſupra aſſerebat, omnes pœnas damnatorum ſuſtinuit: *Uno hoc dumtaxat excepto, quòd doloribus mortis non poterat detineri.* Et Beza Calvini diſcipulus Annot. in c.27. Matth. v.45. *Jeſus*, inquit, *in inferorum gurgitem immerſus, ejulat.*

III. Ex his ita diſcurro: Si Chriſtus omnes damnatorum pœnas ſuſtinuit, uno hoc dumtaxat excepto, quòd in illis non poterat detineri: ergo pro eo tempore, quo illis damnatus fuit, omnes alias pœnas paſſus fuit: ergo cùm inter pœnas damnatorum ſit privatio viſionis Dei, & deſperatio de ſalute, Chriſtus pro eo tempore ſecundùm animam caruit viſione Dei, & tanquam à Deo derelictus in deſperationem corruit. Hæc audiens quis pius non deteſtetur blaſphemiam? Scio Calvinum conari, ut oſtendat, Chriſtum in abyſſum dolorum licet detruſum, ſpem ac fiduciam non amiſiſſe. Sed præterquamquod hoc ex ejus doctrina neceſſariò ſequitur, meminiſſe debet, ſe hoc fuiſſe confeſſum loco ſupra citato in cap.27. Matth., & inſuper in c.26. hæc dixiſſe: *Sic animo dejectus, ut ingente neceſſitate coactus fuerit clamare deſperabundè*, Deus meus &c. *Deſperatione denique obrutus ab invocando Deo deſtiterit.*

IV. Hac phraſi de Chriſto Domino loquuntur iſti, qui ejus Eccleſiæ Reformatores ſe dictitant, quæ nullis ex anteactis Hæreticis, ſed ſolis Modernis in mentem venit, quorum aliqui referente Lindano in Dubitantii ſui Dialogo 2. *Antichriſtiani* appellati, eò devenerunt blaſphemiæ, ut dicerent, Chriſtum in Cruce deſperaſſe, & ideò damnatum. Advertere igitur iſti debuerant, verba illa: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* prolata à Chriſto, non fuiſſe deſperantis; qui enim de Deo deſperat, recedit à Deo, nec eum vocat Deum ſuum: non enim poteſt quiſquam dicere *Deus meus*, niſi Deo per affectum adhæreat; Chriſtum autem talia dicentem Deo Patri per affectum adhæſiſſe conſtat, quia ſtatim ſpiritum ſuum in manus ejus tradidit. Sunt ergo quaſi gementis ac implorantis, quæ Chriſtus pro-

Digitized by Google

protulit in perſona non ſua ſed noſtra, quam tunc gerebat: *Quare* (inquit Ambroſius ſerm. in Pſal.21.) *aſſumti hominis agit cauſam, & interrogare quodammodo videtur, dicens: Deus omnium, qui es omnium Deus meus, cur me dereliquiſti? .... Hæc autem dicit, ut manifeſtaret, propter nos ſe eſſe derelictum, quorum peccata portabat, ut videntes diſceremus, pro ipſo ſancto & juſto mori, cum pro peccatoribus ille moreretur.*

Hæc eadem verba in perſona Chriſti patientis Pſal.21. prænuntiaverat David: *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Super quæ S. Auguſt. enarrat.2. in Pſal.21. *Iſtum verſum*, inquit, *primum in Cruce audivimus, ubi Dominus dixit Eli, Eli, quod eſt, Deus meus, Deus meus*: & infra: *Quare dicitur, niſi quia nos ibi eramus, niſi quia corpus Chriſti Eccleſia?* Et in Pſal.49. *Unde enim illæ voces, niſi ex nobis aſſumtæ, Deus Deus meus, ut quid me dereliquiſti? Quando autem Pater Filium dereliquit, aut Filius Patrem? Nonne unus Deus Filius & Pater? Nonne veriſſimum, Ego & Pater unum ſumus? unde ergo Deus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti; niſi quia in carne infirmitatis agnoſcebatur vox peccatoris? Qui enim ſuſcepit ſimilitudinem carnis peccati, cur non ſuſciperet ſimilitudinem vocis peccati?* Idem dicit Nazianzenus Orat. 36.. Sunt etiam, ut ait S.Cyrillus lib.2. ad Reginas, verba vocantis ad benevolentiam, ſive exorantis Deum, qnaſi dicat, ut quid? ſive memento, ut quid ſive in quem finem dereliqueris me, nimirùm ut placatus maledictionem humano generi incumbentem ſolvas. Et ita eſſent verba Chriſti tamquam Sacerdotis Patrem placantis, & fructum ſacrificii exorantis pro humano genere. Quæ expoſitio plana eſt.

V. Altera Calvini blaſphemia, quòd Chriſtus pœnis damnatorum addictus fuerit, quo ſenſu ejus deſcenſum ad inferos exponit, præter ſupradicta, de quo egi etiam in Theolog. tom. 16. q.2. dub. 1. §. 2., refutatur primò, quia nemo ante Calvinum hoc aſſerere auſus fuit. Secundò quia pervertit ordinem Symboli; nam in Symbolo habemus, Chriſtum deſcendiſſe ad inferos poſt mortem & ſepulturam: Calvinus autem vult, Chriſtum cœpiſſe deſcendere ad inferos, ſeu pati pœnas damnatorum, quando in horto dixit: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me Calix iſte*; deinde profundiùs deſcendiſſe, quando in Cruce ſe à Patre derelictum exclamavit; demum poſt mortem profundiſſimè, quando coram ſevero Dei tribunali tanquam reus comparuit: unde lib.2. Inſt. cap. 16. §.12. ita ſcribit: *Si nunc roget quiſpiam, an tunc deſcenderit Chriſtus ad inferos, cum mortem deprecatus eſt; reſpondebo, hoc fuiſſe exordium. Unde colligi poteſt,*

quàm

quàm diros & horribiles cruciatus perpeſſus fuerit, cùm ſe ad tribunal Dei reum ſtare cognoſceret noſtrâ causâ, nempè poſt mortem uſque ad reſurrectionem.

VI. Secundò dicit Calvinus, Chriſti mortem corporalem nihil nobis fuiſſe profuturam, ſi non etiam poſt mortem perpeſſus fuiſſet pœnas damnatorum, cùm coram Dei judicio comparuit. Ita citato loco §.10. *Nihil*, inquit, *actum erat, ſi corporea tantùm morte defunctus fuiſſet Chriſtus, ſed operæ ſimul pretium erat, ut Divinæ ultionis ſeveritatem ſentiret, quo & iræ ipſius intercederet, & ſatisfaceret juſto judicio* &c.

Sed hoc eſt apertè contra Scripturam, quæ paſſim dicit, Chriſtum nos redemiſſe in Sanguine ſuo Epheſ.1. v.7. *In quo habemus redemtionem per Sanguinem ejus*. Coloſs.1. v.20. *Pacificans per Sanguinem ejus, quæ in terris, & quæ in cœlis ſunt*. 1. Petri 1. v.18. *Scientes, quòd non corruptibilibus auro vel argento redemti eſtis, ſed pretioſo Sanguine Chriſti*, & Apocal.5. v.9. *Redemiſti nos Domine in Sanguine tuo*. Inde fuſo Sanguine jam moriturus Chriſtus dixit Joan. 19. v. 30. *Conſummatum eſt*: quia (inquit S. Auguſt. Tract.118. in Joann.) *nihil remanſerat, quod antequam moreretur, fieri adhuc oporteret*: & Paulus Hebr.5. v.9. ait: *Conſummatus* (per mortem) *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*. Qua ergo fronte audet Calvinus dicere, *quòd nihil actum erat, ſi corporea tantùm morte defunctus fuiſſet*, niſi adhuc poſt mortem damnatorum pœnas ſubiret?

VII. Reſpondebit, ſe hoc colligere primò ex illo Act.2. v.24., ubi de Chriſto Petrus ait: *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni*. Si ergo Deus ſuſcitavit Jeſum ſolutis doloribus inferni, neceſſe fuit, ut antequam reſurgeret eis eſſet ligatus; nemo enim dicitur ſolutis vinculis exire è carcere, niſi qui ante vinculis detinebatur. Secundó quia Chriſtus debebat pro peccatis hominum plenè coram Dei judicio ſatisfacere: ergo debuit pœnam pro eis inflictam in ſe ſuſtinere: hæc autem erat pœna damnationis in inferno.

VIII. Sed contra primum: Si conſulo Verſionem, qua utitur ipſe Calvinus, in ea lego: *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus mortis, quandoquidem impoſſibile erat ipſum teneri ab ea*; non ergò ſuſcitavit Deus Jeſum ſolutis doloribus *inferni*, ſed *mortis*, qua teneri non poterat, revocando ipſum ad vitam immortalem. Ita etiam exponit Grotius in hunc locum. Sed quia Calvinus, quamvis in aliis Vulgatam contemnat, in hoc tamen, quia putat, ſibi favere, dum ait *Solutis doloribus inferni*, eam amplectitur: ideò obſervandum, quòd textus non dicit, Chriſtum fuiſſe ſo-

ſolutum ſeu liberatum à doloribus inferni, quibus antea tenebatur, ſed dolores inferni fuiſſe ſolutos à Chriſto, *ſolutis doloribus inferni*: quæ verba dupliciter exponi poſſunt. Primò, quòd ſolverit, ideſt irritos fecerit & evaſerit dolores inferni, non quibus tenebatur, ſed ne teneretur: ſicut ſi dicerem, Leo ſolvit laqueos venantium, ideſt rupit ſeu evaſit, ne caperetur. Secundò, quòd ſolverit dolores inferni liberando animas Juſtorum Veteris Teſtamenti à doloribus, quibus apud inferos expectatione gloriæ tenebantur. Utramque expoſitionem exhibet Sanctus Auguſtinus Epiſt.99., modò 164., ad Evodium cap.2. Prior tamen videtur conformior textui.

IX. Contra ſecundum dico, Chriſtum debuiſſe, & de facto ſuperabundanter ſatisfeciſſe pro pœnis nobis debitis, aſſumendo pœnas hujus vitæ ſibi indebitas; ſed non debuit pœnas inferni nobis debitas ſuſtinere: Et quia hoc indignum erat; & quia ſatisfactionis valor ſumendus non eſt ex identitate pœnæ, ſed ex patientis dignitate & caritate. Sed de hoc ſatis.

§. II.

An dolor Paſſionis Chriſti fuerit major omnibus doloribus.

X. SUpponendum eſt, quod dixi tom.1. in 3.p. q.5. de Natura aſſumta dub. 8. §.1. ex D. Thom. 3.p. q.15. ar.5. & 6., quòd in Chriſto patiente fuit verus dolor & ſenſibilis, qui cauſatur ex corporali nocivo; & dolor interior, qui cauſatur ex apprehenſione alicujus nocumenti, qui triſtitia dicitur. Hoc ergo præmiſſo.

Dicit S. Thomas 3.p. q.46. ar.6. quòd uterque dolor in Chriſto fuit maximus inter dolores præſentis vitæ. Primò, propter cauſas doloris: *Nam doloris ſenſibilis cauſa fuit læſio corporalis, quæ acerbitatem habuit, tum propter generalitatem paſſionis*, de quo §. præcedente dictum eſt: *Tum ex genere paſſionis, quia mors confixorum in Cruce eſt acerbiſſima, quia configuntur in locis nervoſis & maximè ſenſibilibus, ſcilicet in manibus & pedibus, & ipſum pondus corporis pendentis continuè auget dolorem, & cum hoc etiam eſt doloris diuturnitas, quia non ſtatim moriuntur, ſicut hi, qui gladio interficiuntur. Doloris autem interioris cauſa fuit: primò quidem omnia peccata humani generis, pro quibus ſatisfaciebat patiendo, unde ea quaſi ſibi adſcribit dicens in Pſal.21.*,, verba delictorum meorum,, *ſecundò ſpecialiter caſus Judæorum & aliorum in*

in ejus morte delinquentium, & præcipuè diſcipulorum, qui ſcandalum paſſi ſunt in Chriſti Paſſione: tertiò etiam amiſſio vitæ corporalis, quæ naturaliter eſt horribilis humanæ naturæ.

Secundò poteſt magnitudo doloris ejus conſiderari ex perceptibilitate patientis ſecundùm animam & ſecundùm corpus. Nam & ſecundùm corpus erat optimè complexionatus, cùm corpus ejus fuerit formatum miraculosè operatione Spiritus Sancti; ſicut & alia, quæ per miraculum facta ſunt, fuerunt aliis potiora, ut Chryſoſtomus dicit (homil.21. in Joan.) *de vino, in quod Chriſtus aquam convertit in Nuptiis: & ideò in eo maximè viguit ſenſus tactus, ex cujus perceptione ſequitur dolor. Anima etiam ſecundùm vires interiores efficaciſſimè apprehendit omnes cauſas triſtitiæ.*

Tertiò magnitudo doloris Chriſti patientis poteſt conſiderari ex doloris & triſtitiæ puritate. Nam in aliis patientibus mitigatur triſtitia interior, & etiam dolor exterior ex aliqua conſideratione rationis, per quandam derivationem ſeu redundantiam à ſuperioribus viribus ad inferiores: quod in Chriſto patiente non fuit: quia,, unicuique virium permiſit agere, quod eſt ſibi proprium ,, *ſicut Damaſcenus dicit* (lib.3. Orthod. Fidei cap.15.)

Quartò poteſt conſiderari magnitudo doloris Chriſti patientis ex hoc, quòd paſſio illa & dolor à Chriſto fuerunt aſſumta voluntariè propter finem liberationis hominum à peccato: & ideò tantam quantitatem doloris aſſumſit, quæ eſſet proportionata magnitudini fructus, qui inde ſequebatur.

XI. Unde concludit S. Doctor: *Ex his igitur omnibus cauſis ſimul conſideratis manifeſtè apparet, quòd dolor Chriſti fuerit maximus*: ubi nota quod ait, *ſimul conſideratis*. Nam eſto in aliquibus poſſit eſſe major dolor; ſi tamen omnes cauſæ ſimul jungantur, quæ ad dolorem Chriſti concurrerunt, dolor ejus fuit maximus. Maximus, inquam, quoad intenſionem. Nam de dolore maximo etiam ſecundùm extenſionem, non videtur S. Doctor fuiſſe locutus, cùm ſaltem directè, & per ſe Chriſtus non fuerit paſſus in pluribus partibus corporis, quàm illi, quorum corpora fruſtatim in minimas partes conciſa ſunt. Maximus item inter dolores, qui de via ordinaria ſuſtineri poſſunt, non de via extraordinaria, & de potentia Dei abſoluta. Maximus tandem inter dolores præſentis vitæ, non autem futuræ. Nam, ut ait ad tertium: *Dolor animæ ſeparatæ patientis pertinet ad ſtatum futuræ damnationis, quæ excedit omne malum hujus vitæ, ſicut Sanctorum gloria excedit omne bonum præſentis vitæ. Unde cum dicimus, Chriſti dolorem eſſe maximum, non comparamus illum dolori animæ ſeparatæ* (quibus S. Thomas excludit errorem Calvini ſupra repro-

batum, volentis Chriſtum damnatorum in inferno pœnas pertulisse). Major tamen fuit, quàm dolor Adami, ſi per impoſſibile poneretur, quòd in ſtatu innocentiæ paſſus fuiſſet, & hoc propter rationes prædictas.

XII. Sed dices: Virtus mentis eſt mitigativa doloris in tantum, quòd Stoici poſuerunt, triſtitiam in animum ſapientis non cadere. Innocentia item patientis diminuit dolorem paſſionis: ſed in Chriſto fuit perfectiſſima virtus mentis, & inſuper innocenter eſt paſſus, juxta illud Hierem. 11. *Ego autem quaſi Agnus manſuetus, qui portatur ad victimam*. Videtur ergo, quòd Chriſti dolor nec inter dolores hujus vitæ fuerit maximus.

XIII. Reſpondeo tamen cum S. Thoma citato ad ſecundum, quòd virtus moralis mitigat triſtitiam interiorem, non eam tollendo, ut putabant Stoici, ſed conſtituendo in ea medium, ne ſcilicet triſtitia excedat regulam rationis. Hoc enim modo triſtari & dolere laudabile eſt, ut oſtendit Auguſtinus lib. 14. de Civit. Dei c. 9., puta cùm quis triſtatur de peccatis propriis vel alienis. Eſt etiam utilis ad ſatisfaciendum pro peccato, ſecundùm illud Apoſt. 2. ad Cor. 7. *Quæ ſecundùm Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. Et ſic Chriſtus aſſumſit triſtitiam ex caritate procedentem, dolens de peccatis hominum, & pro eis ſatisfaciens; maximam quidem, non tamen excedentem rationis regulam. At dolorem exteriorem ſenſus virtus moralis directè non minuit, quia talis dolor non obedit rationi, ſed ſequitur corporis naturam. Licèt autem ipſum aliquando indirectè diminuat diverſio à conſideratione illorum, quæ triſtitiam pariunt, vel conſideratio alicujus boni: hoc tamen in Chriſto patiente locum non habuit, qui, ut dixi, omnia, quæ triſtitiam cauſant, præſentia ſuæ menti habuit, relinquens cuilibet objectorum contriſtantium agere, & cuique ſenſuum pati quod proprium eſt, appetitum quoque, quantum naturæ & propenſionis efficacia poſſet, contriſtari.

Ad ſecundum etiam dico cum eodem S. Thoma ibidem ad quintum, *Quòd innocentia patientis minuit dolorem paſſionis quantùm ad numerum: quia cum nocens patitur, dolet non ſolùm de pœna, ſed etiam de culpa; innocens autem ſolùm de pœna. Qui tamen dolor in eo augetur ex innocentia, inquantùm apprehendit nocumentum illatum, ut magis indebitum: unde etiam & alii magis ſunt reprehenſibiles, ſi ei non compatiuntur, ſecundùm illud Iſaiæ 57.* „Juſtus autem perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo „.

Accedit, quòd, ut docet ibi ad quartum, Chriſtus non ſolùm doluit pro amiſſione vitæ corporalis propriæ, ſed etiam pro pec-

peccatis omnium aliorum, quæ tunc omnia ſimul repræſentabantur ei tamquam perſonam peccatorum gerenti: cùmque ipſe innocentiſſimus ab omni culpa eſſet, ideò dolor ejus excellit omnem dolorem cujuſcumque contriti; ideòque ex perſona ejus jure dicitur Threnor. 1. *Attendite & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.*

§. III.

De Paſſione Chriſti quantùm ad animam.

XIV. QUærit S. Thomas 3. p. q. 46. ar. 7. An Chriſtus paſſus ſit ſecundùm totam animam, ubi obſervat, quòd anima dici poteſt tota pati vel inquantùm patitur ſecundùm ſuam eſſentiam, vel inquantùm ſecundùm omnes potentias ſuas patitur. Si tota anima ſumatur ratione ſuæ eſſentiæ, ſic dicit, totam animam Chriſti paſſam eſſe; quia *tota eſſentia animæ conjungitur corpori, ita quod tota eſt in toto, & tota in qualibet parte ejus: & ideò corpore patiente & diſpoſito ad ſeparationem ab anima, tota anima patiebatur.*

Si verò intelligamus totam animam ſecundùm omnes potentias ejus, obſervat, quòd aliqua potentia animæ poteſt pati dupliciter: *Uno modo paſſione propriâ, quæ quidem eſt ſecundùm quod patitur à ſuo objecto, ſicut ſi viſus patiatur ex ſuperabundantia viſibilis. Alio modo aliqua potentia patitur paſſione ſubjecti, ſuper quod fundatur, ſicut viſus patitur patiente ſenſu tactus in oculo, ſuper quem fundatur viſus; puta cum oculus pungitur aut diſtemperatur per calorem.*

Si ergo loquamur de paſſionibus cuique potentiæ propriis, dicit, quòd Chriſtus patiebatur quidem ſecundùm omnes vires inferiores: *Quia in ſingulis viribus inferioribus animæ, quæ circa temporalia operantur, inveniebatur aliquid, quod erat cauſa doloris Chriſti, ut ex ſupradictis patet. Sed ſecundùm hoc ſuperior ratio non patiebatur in Chriſto ex parte ſui objecti, ſcilicet Dei, qui non erat animæ Chriſti cauſa doloris, ſed delectationis & gaudii.* Ubi nota, S. Doctorem non dicere abſolutè, quòd ratio ſuperior in Chriſto non patiebatur, ſed ſolùm *ſecundùm hoc, & ex parte ſui objecti, ſcilicet Dei*: quibus non negat, quòd ratio ſuperior in Chriſto, dum apprehendebat peccatum ut offenſam Dei, triſtitiam non ſolùm in appetitu ſenſitivo, ſed etiam in rationali ſeu in voluntate conciperet.

XV. Difficultas eſt, an tota anima Chriſti tempore paſſio-

 nis

nis gauderet fruitione beatâ. Videtur enim impoſſibile ſimul dolere & gaudere, cùm ſint contraria; & maximè ſi triſtitia ſit vehemens, non ſolùm impedit delectationem contrariam, ſed quamcumque. Cùm ergo Chriſti anima tempore paſſionis tota pateretur & doleret, & quidem dolore maximo, ut dictum eſt, non erat in ea ulli delectationi ac fruitioni locus, & præſertim ſummæ, qualis eſt beata.

XVI. Non defuere Theologi primæ notæ, inter quos Melchior Cano, Alphonſus Salmeron, Maldonatus, & Gregorius de Valentia, qui putàrint, Deum, ſicut toto tempore vitæ mortalis Chriſti beatitudinem, qua fruebatur anima, cohibuit, ne deflueret in corpus, ut videlicet pati poſſet: ita eandem in ſupremo Crucis ſacrificio cohibuiſſe, ne & inde gaudium ac delectatio redundaret in animam, ut ſummum & doloris & triſtitiæ ſenſum habere pro nobis poſſet (quod ingens ejus erga nos caritatis argumentum fuit): & inde emanaſſe illas Chriſti in Cruce voces *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Matth.27. v.46.

XVII. Attamen S. Thom. hac q.46. ar.8., & in 3. diſt. 15. q.2. ar.3. qu.2. & alibi (& cum eo communiùs Theologi) ſentit, quòd tota anima Chriſti etiam tempore paſſionis fruebatur Divinitate, non quidem ratione omnium potentiarum, nec directè: *Quia fruitio non poteſt eſſe actus cujuslibet partis*, ſeu potentiæ *animæ*: *nec per redundantiam gloriæ, quia dum Chriſtus erat viator, non fiebat redundantia gloriæ à ſuperiori parte in inferiorem, nec ab anima in corpus. Sed quia nec è converſo ſuperior pars animæ impediebatur circa id, quod eſt ſibi proprium, per inferiorem; conſequens eſt, quòd ſuperior pars animæ perfectè fruebatur Chriſto patiente.*

XVIII. Ad difficultatem autem ſuperiùs propoſitam reſpondet S. Thomàs 3. p. q. 46. ar. 8. ad 1. in 4. diſt. 15. q. 2. ar. 3. qu.2. ad 5., ubi hæc habet: *Fruitio Deitatis & gaudium conſequens erat in ſuperiori parte rationis in ordine ad ſuum objectum: dolor autem non perveniebat ad ſuperiorem rationem, ut dictum eſt, niſi ſecundùm quod fundatur in eſſentia animæ; ſed in ratione inferiori & in ſenſualitate & in ſenſu erat triſtitia & dolor etiam ſecundùm comparationem ad objecta, in quantùm ſecundùm has potentias dolebat de pœna corporis, & aliis hujuſmodi: qui tamen dolor erat quodammodo materia gaudii fruitionis, in quantùm gaudium illud ſe extendebat ad omnia illa, quæ apprehenduntur ut Deo placita. Et ſic patet, quòd dolor, qui erat in anima Chriſti, nullo modo gaudium fruitionis impediebat, neque per modum contrarietatis, neque per*

per modum redundantiæ; triſtitia enim contrarium gaudium impedit, ſicut quodlibet contrarium impeditur à ſuo contrario. Triſtitia autem, quæ erat in anima Chriſti, nullo modo gaudio fruitionis contraria erat, quod patet ex tribus: primò, quia non inerat eidem ſecundùm idem, ſed vel in diverſis potentiis erant vel in eadem ſecundùm diverſam operationem: ſecundò, quia non erant de eodem: tertiò, quia unum erat materia alterius; ſicut accidit in pœnitente, qui dolet & de dolore gaudet. Sed ulteriùs ſecundùm Philoſophum in 7. Ethic. omnis triſtitia impedit omnem delectationem per quandam redundantiam, ſecundùm quod nocumentum unius potentiæ redundat in aliam: talis autem redundantia, ut dictum eſt, non fuit in Chriſto, niſi quando ipſe volebat: unde gaudium, quod erat in ſuperiori ratione per comparationem ad objectum non redundabat in vires inferiores, ut ab eis dolor & triſtitia tollerentur, neque ulteriùs in corpus, ut à læſione immune eſſet, nec per conſequens in animam, nec in potentias, ſecundùm quod in eſſentia animæ radicantur, prout læſio corporis ad eſſentiam animæ, & ad potentias in ea radicatas pertingit. Hactenùs Angelicus Magiſter.

XIX. Dices: Optima quidem doctrina, ſed eâ poſitâ, jam non fuit miraculum, quòd in Chriſto fuerint ſimul ſummum gaudium & ſumma triſtitia, ſi non erant invicem contraria.

Reſpondeo neg: ſequelam. Nam licèt actus illi non ſint contrarii ex objecto propter diverſum tamen modum tendendi in illud gaudium, ſi ſit perfectiſſimum, naturaliter non compatitur ſecum triſtitiam; tum quia in ſummo gaudio voluntas tota occupatur; tum quia gaudium dilatationem cordis importat, triſtitia conſtrictionem. Adde, quòd cùm viſio & fruitio Dei ponat animam in ultimo ſtatu perfectionis, naturaliter ponere debet in eodem ſtatu corpus & omnes potentias in ea radicatas, & ab eis excludere omne nocivum omnemque triſtitiam & dolorem: quod cum in Chriſto ob finem redemtionis factum non fuerit, ideò miraculum fuit.

CA-

CAPUT XXXIII.

De Sepultura Chriſti.

§. I.

Aliqua circa Chriſti mortem.

I. SUPPONO, ut Fide certum, in morte Chriſti Divinitatem non fuiſſe à corpore & anima ejus ſeparatam, ſed eis, quamvis disjunctis, manſiſſe hypoſtaticè unitam. Eodem enim modo, quo in Symbolo profitemur, Filium Dei conceptum & natum de Virgine, profitemur etiam mortuum & & ſepultum. Ita nos docet Catechiſmus Romanus in Expoſit. 4. Articuli Symboli n. 8. his verbis: *Neque verò hoc ſolùm credimus Chriſti corpus mortuum eſſe, ſed illud præcipuè his verbis credendum proponitur, Deum ſepultum eſſe: quemadmodum ex Fidei Catholicæ regula veriſſimè etiam dicimus, Deum mortuum, & ex Virgine natum eſſe: nam cùm Divinitas nunquam diviſa fuerit à corpore, quod in ſepulcro conditum eſt, rectè confitemur, Deum ſepultum eſſe.* Idem ſentiunt Athanaſius lib. de Salutari adventu Domini, & Gregorius Nyſſenus Orat. 2. contra Eunomium; probantes contra Apollinariſtas, quòd ſi Verbum vices animæ in Chriſto geſſiſſet, corpus ejus immortale fuiſſet, quia à Verbo ſeparatum nunquam fuiſſet.

II. Hoc probat S. Thomas 3. p. q. 50. ar. 2., ubi oſtendit, Gratiam unionis nunquam, nec in morte ſeparatam fuiſſe à corpore Chriſti, quia ſicut illud, quod per gratiam Dei conceditur, nunquam abſque culpa revocatur: ita multò magis gratia unionis, & quia major, & *quia magis permanens ex ſui ratione, quia hæc gratia ordinatur ad unionem perſonalem, gratia autem adoptionis ad quandam unionem affectualem: & tamen videmus, quòd gratia adoptionis nunquam perditur ſine culpa. Cùm igitur in Chriſto nullum fuerit peccatum, impoſſibile fuit, quòd ſolveretur unio Divinitatis à carne ipſius. Et ideò ſicut ante mortem caro Chriſti unita fuit ſecundùm perſonam & hypoſtaſim Verbo Dei: ita & remanſit unita poſt mortem, ut ſcilicet non eſſet alia hypoſtaſis Verbi Dei & carnis Chriſti poſt mortem, ut Damaſcenus dicit in lib. 3. Orthod. fidei cap.* 27. Hoc idem exponens in 3. diſt. 21. q. 1. ar. 1. qu. 1. *Corpus Chriſti*, inquit, *in morte non fuit ſeparatum à Deitate; cujus ratio ex tribus accipi poteſt. Primò ex parte Dei, quia cùm ſit im-*

immutabilis, ei, quod perfectè ſibi conjunctum eſt, incommutabilitatem præſtat, ut ſcilicet immutabiliter ei adhæreat. Secundò ex parte priùs aſſumti, quia per mortem, quam ex obedientia Patris ſuſtinuit, non debuit ſuam dignitatem amittere, ſed magis glorificari. Tertiò ex fine aſſumtionis, quia ea, quæ poſt mortem ipſius circa ipſum acta ſunt, ſalutaria nobis non fuiſſent, niſi Deitas adjuncta eſſet.

III. Multò autem magis Chriſti animam Verbo Dei unitam remanſiſſe poſt mortem, S.Thomas oſtendit dictâ q.50. 3.p. ar.3. Quia *Anima unita eſt Verbo Dei immediatiùs & per prius, quàm corpus, cùm corpus unitum ſit Verbo Dei mediante animâ. Cùm ergo Verbum Dei non ſit ſeparatum in morte à corpore, multò minùs ſeparatum eſt ab anima. Unde ſicut de Filio Dei prædicatur id, quod convenit corpori ab anima ſeparato, ſcilicet* eſse ſepultum: *ita de eo in Symbolo dicitur, quòd* deſcendit ad inferos, *quia Anima ejus à corpore ſeparata deſcendit ad inferos.*

IV. Nec ab hac veritate recedunt aliqui Patres, qui Divinitatem ad tempus ſaltem receſſiſſe dixerunt, dum Chriſtus morti proximus exclamavit *Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* inter quos Ambroſius lib.10. in Lucam: *Clamabat*, inquit, *homo ſeparatione Divinitatis moriturus*. S. Hilarius Com. in Matth. cap.33. *Clamor verò ad Deum corporis vox eſt, recedentis à ſe Verbi Dei conteſtata diffidium.* Et S. Epiphanius hæreſ. 60. *Videns, Divinitatem jam in procinctu eſſe, ut Sanctum Corpus deſereret, vocem illam emiſit.*

Nam præfati Patres loquuntur de receſſu Divinitatis, quoad externam protectionem, non quoad perſonalem internam unionem. Ita S. Ambroſium exponit Angelicus noſter 3.p. q.50. ar.2. ad 1. his verbis: *Dicendum, quòd derelictio illa non eſt referenda ad ſolutionem unionis perſonalis, ſed ad hoc quòd Deus Pater eum expoſuit paſſioni: unde derelinquere ibi non eſt aliud, quàm non protegere à perſequentibus. Vel dicit ſe derelictum quantùm ad illam orationem, qua dixerat,,* Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me Calix iſte,, *ut Auguſtinus exponit* Epiſt.120. modò 140. cap.6., dicens: *In eo quippe derelinquitur deprecans, in quo non exauditur*. Eodem modo exponendi ſunt alii duo Patres; & præcipuè S. Hilarius, alioquin ut obſervant Patres Maurini in Notis ad præfata verba, S. Hilarius ſibi eſſet contrarius, cum lib. de Trinitate n.15. dicat: *Dei Filius crucifigitur: ſed in Cruce hominis mortem Deus vincit. Chriſtus Dei Filius moritur, ſed omnis caro vivificatur in Chriſto: Dei Filius in inferis eſt: ſed homo refertur ad cælum*. Quæ certè non dixiſſet, ſi putaſſet, Chriſtum in cruce & in morte fuiſſe à Filio Dei dimiſsum. V. Sed

Digitized by Google

V. Sed dices: Remoto medio ſeparantur extrema, ſed Verbum Dei ex dictis unitum eſt carni mediante anima; ergo ſublatâ in morte animâ, caro ſeparatur à Verbo Dei: Reſpondeo cum S. Thoma 3.p. q.50. ar.2. ad 2. *Quòd Verbum Dei dicitur unitum carni mediante anima, inquantùm caro per animam pertinet ad humanam naturam, quam Filius Dei aſſumere intendebat, non autem ita quòd anima ſit quaſi medium ligans unita. Habet autem caro ab anima, quod pertinet ad humanam naturam, etiam poſtquam anima ſeparatur ab ea; inquantùm ſcilicet in carne mortua remanet ex Divina ordinatione quidam ordo ad Reſurrectionem. Et ideò non tollitur unio Divinitatis ad carnem.*

VI. Supereſſet hîc quærendum: an ſicut Verbum Divinum Corpori & Animæ Chriſti à ſe invicem ſeparatis manſit unitum: ita & Sanguini effuſo & à Corpore Chriſti in Paſſione ſeparato unitum manſerit. In quo partem affirmantem acriter defenſarunt noſtri contra Franciſcanos negantes. Cauſa ſub Clemente VI. & Pio II. agitata eſt. Sed quia à Sede Apoſtolica indictum fuit utrique parti ſilentium, donec ſuper hoc ab ea publica ſententia prodiret, ideò, eâ qua decet religione & obedientiâ illud cuſtodiens, rem in medio relinquo.

VII. Quæri ſolet primò, utrum Chriſtus in triduo mortis fuerit homo.

Reſpondet S. Thomas 3.p. q.50. ar.4. Negativè, quia Chriſtum verè fuiſſe mortuum eſt Articulus fidei. Unde aſſerere omne illud, per quod tollitur veritas mortis Chriſti, eſt error contra Fidem: pertinet autem ad veritatem mortis hominis, quòd deſinat eſſe homo; mors enim hominis provenit ex ſeparatione animæ, quæ complet rationem hominis. Quare dicere, Chriſtum in triduo mortis hominem fuiſſe, ſimpliciter & abſolutè loquendo erroneum eſt. Poteſt tamen dici, quòd Chriſtus in triduo fuit homo mortuus: nec enim Anima ſola eſt homo, ut putavit Hugo de S. Victore lib.2. de Sacr. p.1. c.11., nec ad hoc, ut ſit homo, ſufficit, ut habeat animam humanam & corpus ſive conjuncta ſive non conjuncta (ut putavit Mag.Senten. in 3. diſt.22.) Nam unio corporis & animæ eſt indiſpenſabiliter neceſſaria ad conſtituendum hominem.

Nec obſtat, quòd hæc propoſitio *Chriſtus eſt homo* ſit eſſentialis, ſicut iſta *Joannes eſt homo*. Nam hoc verum eſt, ſi conſiderentur extrema ſecundùm eſſentiam, & præſcindendo ab actuali exiſtentia, ſecus verò ſi ſumantur ut exercitè exiſtentia, ut hìc ſumuntur.

VIII. Quæri ſolet ſecundò, an fuerit idem numero Corpus Chriſti viventis & mortui. Re-

Digitized by Google

Reſpondet S. Thomas qu. 50. citata ar. 5., quòd fuit idem numero abſolutè, quia fuit idem Suppoſitô, non enim habuit vivum & mortuum aliam hypoſtaſim præter Hypoſtaſim Verbi Dei. Non tamen fuit idem numero corpus omnino, vel totaliter vivum & mortuum, quia in morte amiſit vitam, quæ eſt de eſsentia corporis viventis: unde ſi diceretur Corpus Chriſti mortuum manſiſſe omnino ac totaliter idem, ſequeretur, quòd non eſset mortuum, quod eſt hæreticum.

Notat tamen S. Thomas ad primum, inter corpus cujuſcunque alterius hominis mortui & Corpus Chriſti mortui hanc eſse differentiam, *quòd corpus mortuum cujuſcumque alterius hominis non remanet unitum alicui hypoſtaſi permanenti, ſicut Corpus Chriſti mortuum. Et ideò corpus mortuum cujuſcumque alterius hominis non eſt idem ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, quia eſt idem ſecundùm materiam, non autem idem ſecundùm formam. Corpus autem Chriſti remanet idem ſimpliciter propter identitatem ſuppoſiti*. Sed de hoc ſatis.

§. II.

De Convenientia & Modo Sepulturæ Chriſti.

IX. Conveniens fuiſse, Chriſtum mortuum ſepeliri, oſtendit S. Thomas 3. p. q. 51. ar. 1. Tum *ad comprobandam veritatem mortis; non enim in ſepulchro aliquis ponitur, niſi quando jam de veritate mortis conſtat: unde & Marci 15. legitur, quòd Pilatus antequam concederet, Chriſtum ſepeliri, diligenti inquiſitione cognovit, eum mortuum eſſe*. Tum *quia per hoc, quòd Chriſtus de ſepulchro reſurrexit, datur ſpes reſurgendi per ipſum his, qui ſunt in ſepulchro, ſecundùm illud Joan. 5.* „Omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei; & qui audierint vivent„. Tum *ad exemplum eorum, qui per mortem Chriſti ſpiritualiter moriuntur peccatis, qui ſcilicet abſconduntur à conturbatione hominum: unde dicitur Coloſſ. 3.* „Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo„ *Unde & baptizati, qui per mortem Chriſti moriuntur peccatis, quaſi conſepeliuntur Chriſto per immerſionem, ſecundùm illud Rom. 6.* „Conſepulti ſumus cum Chriſto per Baptiſmum in mortem„. Ita S. Thomas.

Sicut autem injurioſum non fuit Deo mori propter hominum ſalutem, ita nec ſepeliri. Ut enim dicitur p. 3. Concilii Epheſini cap. 9. *Nihil horum, quæ ſalvant homines, injuriam Deo facit, quæ oſtendunt eum, non paſſibilem, ſed clementem*: & cap. 10. *Ni-*

Nihil putat injuriam Deus, quod eſt occaſio ſalutis hominibus: tu quidem non ita vilem Dei naturam arbitraberis, tanquam quæ aliquando ſubjecta poſſit eſſe injuriis. Ita S. Thomas ad tertium: qui ibidem ad ſecundum dicit, quòd ſicut mors Chriſti efficienter operata eſt noſtram ſalutem, ita etiam & ejus ſepultura. Unde Hieronymus ſuper Matth. dicit: *Sepulturâ Chriſti reſurgimus*.

X. Circa modum Defunctorum corpora curandi ac ſepeliendi varii fuerunt Ritus, qui à diverſis Nationibus uſurpari ſolebant. Quidam enim mortuos vel morti proximos devorabant, ut Scythæ, Pontici, Indi, Meſsagetæ, Derbices, Thebareni, quibus ſolemne eſt parentes & conſanguineos, dum aut morbo aut macie aut ſenio confecti morti aut ſepulchro vicini cenſentur, edacibus dentibus diſcerpere, eorumque carnes in viſceribus ſuis tumulare; rectius exiſtimantes, ut à ſe potiùs, quàm à vermibus comedantur. Alii in more habebant Defunctos ſuos in arboribus ſuſpendere, ut Colchi. Alii Mortuorum cadavera projiciebant in flumina, vel in paludes, ut à piſcibus abſumerentur, ſicut Æthiopes. Inter iſtos tamen, ut poſt Herodotum refert Diodorus Siculus lib. 2. Bibliothecæ, aliqui vitreis vaſis concluſos mortuos ſuos aſſervabant, ut nepotibus & poſteris notæ eſsent eorum effigies, eorumque memoria inſideret. Alii in ſterquiliniis mortuos ſepeliebant, ut Sabæi ſive Nabathæi. Alii canibus & beſtiis defunctorum corpora devoranda relinquunt, ut Hircani & Bactriani, qui publicos ac domeſticos alunt Canes, quos *ſepulchrales* vocant, à quibus poſt mortem lanientur, & hanc putant eſse optimam ſepulturam. Ab hoc parum diſtat Caſpiorum ritus, qui viros ſeptuagenarios fame enectos in ſolitudinem ejiciunt, ac eminus ſpectantes, ſi à feretro eos ab avibus detrahi viderent, prædicant beatos: ſi à feris aut à canibus, minùs infelices: ſi omnino à feretro non detrahantur, infelices exiſtimant. Romani Defunctorum cadavera rogo impoſita igni comburebant. Ægyptii verò & Judæi mortuorum corpora aromatibus condire conſueverant. Cum hoc tamen diſcrimine, quòd Ægyptii ventre exenterato & cerebro per nares extracto, intrinſecùs condiebant, Judæi verò unguenta & aromata extrinſecùs applicarent: ſicut Caſaubonus Exercit. 16. in Baron. obſervat. Plura circa hoſce Ritus: videſis apud Joan. Nicolai lib. 2. de ſepulchris Hebræorum, & Gregorium Lylium Giraldum in libello de vario ſepeliendi Ritu.

XI. Nunc ad Ritum Sepulturæ Chriſti accedamus. S. Joannes cap. 19. v. 38. &c. ſcribit: *Poſt hæc autem rogavit Pilatum Joſeph ab Arimathæa (eo quòd eſſet diſcipulus Jeſu, occultus autem pro-*

propter metum Judæorum) ut tolleret Corpus Jeſu. Et permiſit Pilatus. Venit ergo, & tulit Corpus Jeſu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Jeſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloes, quaſi libras centum. Acceperunt ergo Corpus Jeſu & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelire. Quibus omnes circumſtantias Sepulturæ Chriſti deſcribit. Et in primis quinam fuerint ſepulturæ curatores, nempe Joſephus ab Arimathæa & Nicodemus.

XII. Quales fuerint hi duo ſepulturæ Chriſti curatores, breviter dicam. Joſeph patria Arimathæus fuit (quam S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ Epiſt.86., olim 27., locat non procul à Dioſpoli ſeu Lidda) Judæorum Senator ſeu Decurio, & occultus Chriſti diſcipulus, Judæorum & Synedrii præſertim flagitio de Chriſto interficiendo nunquam aſsenſus eſt. Hunc S. Lucas cap.23. v.50. ita deſcribit: *Et ecce vir nomine Joſeph, qui erat Decurio, vir bonus & juſtus (hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum) ab Arimathæa civitate Judææ, qui expectabat & ipſe regnum Dei.* Hic Chriſti mortui cadaver à Pilato impavidè conſecutus, in tumulo, quem in horto non procul ſito ſaxo excavatum habebat, ſepelivit, & ad monumenti oſtium ſaxum advolvit, ut ex Evangeliis habemus. Hunc inter Sanctos veneratur Eccleſia, Græca quidem ad diem 31. Julii, Latina verò eum Martyrologio Romano inſcriptum habet ad diem 17. Martii. Mitto ea, quæ de illo Pſeudo-Evangelium Nicodemi refert, nempè, quòd Judæi reſcientes, quòd Joſeph Corpus Chriſti piè ſepeliiſſet, apprehenderunt eum & juſserunt cuſtodiri tota die Sabbati in cubiculo, ubi non erat feneſtra, ſignantes cubiculi oſtium clave. Cumque elapſo Sabbato congregati Annas & Caiphas decreviſsent eum occidere, accedentes ad cubiculum, & aperto oſtio, eum ampliùs non invenerunt. Mitto inquam hæc & alia, quia fabulæ ſunt.

XIII. Nicodemus, qui à Joanne cap.23. v.1. dicitur ſectâ *Phariſæus* & *Princeps Judæorum*, à Chriſto autem v.10. *Magiſter in Iſrael* appellatur, fuit ille, qui, ut ibi narratur, ex miraculis à Chriſto poſt Baptiſmum patratis, ipſum ut Meſſiam agnoſcens v.2. *venit ad Jeſum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo:* ubi Jeſus multa cum eo locutus eſt. Poſt quæ factus fuit ejus diſcipulus: unde Joan.7. ortâ diſsenſione circa Chriſtum, Nicodemus partes ejus egit, ex quo ſuſpicati, quòd ejus eſset ſectator, dixerunt ei Judæi v.52. *Nunquid & tu Galilæus es?* Demum talem eſse ſeſe apertè exhibuit, quando

 jun-

Digitized by Google

junctus Joſepho ab Arimathæa Jeſu crucifixi cadaveri juſta perſolvit, illudque è Cruce depoſitum & aromatibus conditum in monumento unà cum ipſo repoſuit. Refert autem Photius in Bibliothec. Cod. 171. pag. 384., quòd à Joanne & Petro fuit baptizatus unà cum Gamalielis filio, cui Abibo nomen: quod cùm inaudiſſent Judæi, priùs Nicodemum omni dignitate ſpoliarunt, & ab eorum communione interdictum Hieroſolymâ expulerunt; ejuſque bona depopulati, verberibus ita percuſſerunt, ut penè exanimem relinquerent; neque omnino peremere, ut Gamalieli ejus patruo ſive ſobrino obſequerentur: Gamaliel autem eidem in ruralem domum recepto, quidquid opus erat, abundè ſuppeditavit; eumque non diù poſt mortuum propè S. Stephanum tumulavit. Anno verò 415. cadavera Nicodemi, Stephani, Abibonis, & Gamalielis, ſpeciali revelatione ab ipſo Gamaliele facta Luciano presbytero, Hieroſolymis inventa ſunt. Cujus Inventionis memoria ad diem 3. Auguſti in Roman. Martyrol. celebratur; de quo Baronius in Notis. Sub Nicodemi nomine Evangelium apocryphum, de quo non ſemel memini, plenum nugis ac fabulis circumfertur, ideòque rejiciendum.

Igitur hi duo, Joſeph & Nicodemus, viri dignitate conſpicui, priùs propter metum occulti, deinde excuſſo metu facti publici Chriſti diſcipuli, & quidem tunc cum cæterorum fides nutabat, fiduciâ pleni hoc religionis ac pietatis opus, curandi ſcilicet Chriſti Jeſu ſepulturam, intrepidè aggreſſi ſunt; ut contra intentionem Judæorum in tam honorifica ſepultura virtus morientis Chriſti cunctis innoteſceret. Quapropter S. Auguſtinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 13. *Laudabiliter*, inquit, *commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorificè tegendum ſepeliendumque curarunt*: & S. Thomas 3. p. q. 51. ar. 2. ad 1. ait: *Circa mortem Chriſti commendatur patientia & conſtantia ipſius, qui mortem eſt paſſus; & tantò magis quantò mors fuit abjectior: ſed in ſepultura honorifica conſideratur virtus morientis, qui contra intentionem occidentium etiam mortuus honorificè ſepelitur; & præfiguratur devotio Fidelium, qui erant Chriſto mortuo ſervituri.*

XIV. Exprimit deinde laudato loco S. Joannes Ritum, quem in curando Chriſti Corpore ad ſepulturam ſervarunt, nempè unguento illud condiendo. Unde fit, quòd eſto Chriſtus Romano more fuerit in Cruce paſſus & mortuus, attamen ſecundùm morem Judaicum fuit ſepultus, qui, ex ſupradictis, erat Defunctorum corpora aromatibus, myrrha ſcilicet & aloe condire; tum quia hæc aromata cum ſint ſucci amariſſimi, & cum habeant

beant vim corpora à vermibus & putredine præſervandi, ad uſum ungendorum cadaverum optima habebantur, eiſque non ſoli Judæi, ſed & Ægyptii, Syri, aliæque Nationes ad hunc finem utebantur; tum ob myſticam rationem, quam exhibet S. Thom. 3.p. q.51. ar.2. ad 2. *Myrrha enim & aloes propter ſui amaritudinem ſignificant pœnitentiam, per quam aliquis in ſe ipſo Chriſtum conſervat abſque corruptione peccati; odor autem aromatum ſignificat bonam famam.*

XV. Tertiò exprimit S. Joannes Joſephum & Nicodemum ligaſſe Corpus Jeſu *linteis*. In quo non adverſatur aliis Evangeliſtis, qui tradunt, Joſeph Corpus Jeſu involviſſe in *Sindone munda*. Nam, ut ait S. Auguſtinus lib.3. de Conſ. Evangel. cap.23. „ *Neque illi, qui de Nicodemo tacuerunt, affirmaverunt à ſolo Joſeph Dominum ſepultum, quamvis ſolius commemorationem fecerint, aut quia illi una Sindone à Joſeph involutum dixerunt, propterea prohibuerunt intelligi, & alia lintea potuiſſe afferri à Nicodemo, & ſuperaddi, ut verum narraret Joannes, quòd non uno linteo, ſed linteis involutus ſit: quamvis & propter ſudarium, quod capiti adhibebatur, & inſtitas, quibus totum corpus alligatum eſt, quia omnia de lino erant, etiamſi una ſindon ibi fuit, veriſſimè dici potuit* „ ligaverunt eum linteis,„ *lintea quippe generaliter dicuntur, quæ lino texuntur.* Et ſanè mos erat apud Judæos ſudario ſive linteolo operiendi faciem Defunctorum, & corpora à pedibus uſque ad fauces inſtitis obvinciendi, non ſecus ac infantium, qui adhuc in cunis ſunt, corpora involvuntur & circumligantur: unde Joan. cap. 11. v.44. de Lazaro dicitur, quòd ad Chriſti vocem è monumento prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis & facies ejus ſudario erat ligata. Erant autem *Inſtitæ* faſciæ latæ uno vel altero digito, quarum figuram exhibet P. Lamy in ſua Concordia Evang. Quamvis P. Chifletius lib. de linteis ſepulchralibus Chriſti pag. 22. probabiliùs putet, in Chriſti funeratione præter ſudarium & inſtitas, alia adhibita eſſe linteamina: & hinc factum eſſe, ut plura Chriſti ſudaria ſeu lintea diverſis in locis inveniantur.

XVI. Quartò exprimit S. Joannes Locum, in quo Chriſti Corpus ſepultum fuit, ſubjicit enim v.41. *Erat autem in Loco, ubi crucifixus eſt, Hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Ibi ergo propter Paraſceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, poſuerunt Jeſum.* In his Sanctus Thomas dictâ qu.51. ar.2. ad 4. varias myſticas ſignificationes intelligit: *Sepelitur enim in horto, ad ſignificandum, quòd per mortem & ſepulturam ipſius liberamur à mortè, quam incurri-*

rimus per peccatum Adæ in horto Paradiſi commiſſum.

Sepelitur in ſepultura aliena, non ſua; Sive quia, ut habetur ſerm. olim 133. de tempore ſub nomine Auguſt., modò 284. in Appendice: *Ideò in aliena ſepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur ſalute. Mors enim iſta non illi accidit, ſed nobis proficit: mors iſta non illi illata eſt, ſed nobis delata. Ut quid ergo ei propria ſepultura, qui in ſe mortem propriam non habebat? ut quid illi tumulus in terris, cujus ſedes manebat in cœlis? ut quid illi ſepultura, qui tridui tantùm temporis ſpatio, non tam in ſepulchro mortuus jacuit, quàm velut in lecto conquievit? Ipſa enim temporis brevitas declarat, ſomnum potiùs fuiſſe, quàm mortem. Sepulchrum autem mortis eſt habitaculum. Neceſſarium ergo non erat mortis habitaculum Chriſto, qui vita eſt, nec opus habebat ſemper vivens habitaculo Defunctorum.* Et S. Ambroſius lib. 10. in Lucam: *Non habebat*, inquit, *Chriſtus tumulum ſuum: tumulus his paratur, qui ſub lege ſunt mortis. Victor mortis tumulum ſuum non habet; quæ enim communio tumulo & Deo?* Sive etiam tumulo proprio caruit, ut paupertatis abundantiam pro nobis ſuſceptæ oſtenderet: *Nam* (inquit S. Thomas loco citato) *qui domum in vita non habuit, poſt mortem quoque in alieno ſepulchro reconditur, & nudus exiſtens à Joſeph cooperitur.*

In monumento autem novo ponitur, ut Hieronymus dicit in Matth. cap. 27. *Ne poſt Reſurrectionem, ceteris corporibus remanentibus, ſurrexiſſe alius fingeretur*; addit S. Thomas: *Poteſt autem & novum ſepulchrum Mariæ Virginalem uterum demonſtrare. Per hoc etiam datur intelligi, quòd per Chriſti ſepulturam omnes innovamur, morte & corruptione deſtructâ.*

In monumento autem (proſequitur S. Thomas) *exciſo in petra conditus eſt, ut Hieronymus dicit* Matth. 27. „ ne ſi multis lapidibus ædificatum fuiſſet, tumuli fundamentis ſuffoſſis ablatus furto diceretur „: *Unde & ſaxum magnum, quod oppoſitum fuit, oſtendit, quòd non abſque auxilio plurimorum ſepulchrum potuiſſet reſerari. Si etiam ſepultus fuiſſet in terra, dicere poterant* „ ſuffoderunt terram, & furati ſunt eum „ *ſicut Auguſtinus dicit.* Alias rationes myſticas ex Hilario Origene & Ambroſio affert Sanctus Thomas, quas ſtudioſus & pius Lector apud ipſum percurrere poterit.

***

§. III.

De Chriſti Corpore in ſepulchro condito.

XVII. Tria examini ſubjicientur. Primum, an Corpus Chriſti in ſepulchro aliquam paſſum fuerit incinerationis vel corruptionis diſpoſitionem. Secundum, quanto tempore in ſepulchro jacuerit. Tertium, an etiam nunc extet Chriſti ſepulchrum.

Ad primum S. Thomas 3.p. q.51. ar.3. negativè reſpondet. Primó, quia hoc Scriptura teſtatur Pſalmo 15. v.10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: quæ verba de Chriſto Davidem protuliſſe, teſtatur S. Petrus, Act.2. v.31. dicens: *Providens locutus eſt de Reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem*. Quare falſum dicit Grotius, aſſerens, Davidem juxta ſenſum litteralem & hiſtoricum locutum eſſe de ſe ipſo, ſive quia David, ut cæteri homines, in ſepulchro computruit, ut nemo dubitat, ſive quia præter S. Petrum, Patres omnes, qui contra Arianos & Apollinariſtas ſcripſere, hæc de Chriſto dicta intellexere: & S. Auguſtinus in Pſal.15. verba illa exponens, ait: *Neque ſanctificatum corpus, per quod & alii ſanctificandi ſunt, corrumpi patieris*. Aliud etiam Scriptura teſtimonium ſuppeditat Pſalm.29. v.10., ubi David in perſona Chriſti, ait: *Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* Quaſi dicat, ſi corpus meum in ſepulchro putreſcat, perdetur à me fuſi ſanguinis utilitas: *Si enim deſcendero, inquit, in corruptionem, ſi ſic fuerit corrupta caro mea, quomodo ceterorum hominum, ut in fine reſurgat, ut quid fudi ſanguinem?* Ita S. Auguſtinus in dictum Pſalmum.

Secundò, quia ut docet S. Thomas citato loco: *Putrefactio cujuſcumque corporis provenit ex infirmitate naturæ illius corporis, quæ non poteſt ampliùs corpus continere in unum: mors autem Chriſti... non debuit eſſe ex naturæ infirmitate, ne crederetur non eſſe voluntaria: & ideò non ex morbo, ſed ex paſſione illata voluit mori, cui ſe obtulit ſponte. Et ideò Chriſtus, ne mors ejus naturæ infirmitati adſcriberetur, noluit corpus ſuum qualitercumque putrefieri, aut qualitercumque reſolvi, ſed ad oſtenſionem virtutis Divinæ voluit corpus illud incorruptum permanere*. Quibus non negat Sanctus Thomas, Corpus Chriſti putrefactibile fuiſſe; imo ibi ad ſecundum expreſsè hoc affirmans, *Corpus Chriſti*, inquit, *quan-*

tùm

tùm ad conditionem naturæ paſſibilis putrefactibile fuit, licèt non quantùm ad meritum putrefactionis, quod eſt peccatum; ſed virtus Divina Corpus Chriſti à putrefactione præſervavit, ſicut & reſuſcitavit à morte. Nam (inquit Auguſtin. lib.2. de peccat. meritis & remiſs. cap.29.) *Quia in eo erat ſimilitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipſa exorſus infantia, ut ad mortem videatur, etiam ſeneſcendo, illa caro pervenire potuiſſe, niſi juvenis fuiſſet occiſus*.

XVIII. Cur autem, cùm non minùs mors quàm incineratio ſit pœna peccati, voluit Chriſtus pati mortem, non autem incinerationem vel corruptionem; rationem dat S. Thomas citato loco ad primum dicens: *Quòd Chriſtus cùm non eſſet ſubjectus peccato, neque morti erat obnoxius, neque incinerationi. Voluntariè tamen mortem ſuſtinuit propter noſtram ſalutem... Si autem corpus ejus eſſet putrefactum vel reſolutum, magis fuiſſet in detrimentum ſalutis humanæ, dum non crederetur in eo eſſe virtus Divina: unde ex perſona ejus in Pſalmo 29. dicitur,* „Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?„

XIX. Ad ſecundum quæſitum dico cum S.Thoma 3.p. q.51. ar.4., Chriſtum manſiſſe in ſepulchro una die integra & duabus noctibus, ideſt, toto Sabbato illiuſque nocte præcedente & nocte Dominicæ. Ita S. Auguſtinus lib.4. de Trinit. cap.6. *A veſpere ſepulturæ uſque ad diluculum reſurrectionis triginta ſex horæ ſunt... ideſt nox tota cum die tota & nocte tota*. Hoc autem conveniens fuiſſe oſtendit S. Thomas laudato loco. Nam *ipſum tempus, quo Chriſtus in ſepulchro manſit, affectum mortis ejus repræſentat. Dictum eſt autem... quod per mortem Chriſti liberati ſumus à duplici morte, ſcilicet à morte animæ, & à morte corporis: & hoc ſignificatur per duas noctes, quibus Chriſtus in ſepulchro permanſit. Mors autem ejus, quia non fuit ex peccato proveniens, ſed ex caritate ſuſcepta, non habuit rationem noctis, ſed diei; & ideò ſignificatur per diem integrum; quo Chriſtus fuit in ſepulchro*. Hanc rationem, quæ myſtica eſt, ſumſit Angelicus Magiſter ex S. Auguſt. lib.4. de Trinitate cap.3., ubi oſtendit, mortem Chriſti duas nobis Reſurrectiones operatam fuiſſe, unam interiorem animæ & ſpiritus, alteram exteriorem corporis, unde ait: *Huic ergo duplæ morti noſtræ Salvator noſter impendit ſimplam ſuam, & ad faciendam utramque reſuſcitationem noſtram, in Sacramento & exemplo præpoſuit & propoſuit unam ſuam*.

XX. Contra hoc difficultatem excitare poſſunt ipſius Chriſti verba Matth.12. v.40. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ſic erit Filius Hominis in corde terræ tribus die-*

bus

bus & tribus noctibus, ideſt vel in Limbo ſecundùm animam, vel Sepulchro ſecundùm corpus. Non igitur fuit in ſepulchro una ſolùm die & duabus noctibus.

XXI. Ut ab hac difficultate ſe extricent, putant aliqui, Chriſtum, non die Veneris ſeu feria ſexta, ſed die Jovis ſeu feriâ quinta, paſſum & ſepultum fuiſſe: ſic enim tribus diebus & tribus noctibus in ſepulchro manſit. Sed hanc opinionem ſupra rejeci, & iterum rejicio. Primò, quia teſte Joanne cap.19. v.41. & 42. dies qua ſepultus eſt Jeſus erat Paraſceve: *Ibi ergo propter Paraſcevem Judæorum... poſuerunt eum*: Paraſceves autem eſt feria ſexta, quæ eſt præparatio ad ſeptimam, ideſt Sabbatum. Secundò, quia Judæis inceſſit religio Sabbati, ut nollent damnatorum corpora in cruce remanere: ita S.Joann. cap.19. v.31. *Judæi ergo (quoniam Paraſceve erat) ut non remanerent in cruce corpora Sabbato* &c. *rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura & tollerentur*: nulla autem timendi ratio Judæis fuiſſet, ne corpora illa penderent Sabbato, ſi feria quinta Cruci fuiſſent affixa; poterant enim ſalvâ Sabbati religione, quintâ ac ſextâ feriâ ad ſextam uſque horam pomeridianam in Cruce pendere. Tertiò, quia Jeſum feriâ ſextâ fuiſſe mortuum ac ſepultum, conſtans eſt Patrum ſententia. Ignatius Martyr Epiſt. ad Trallianos ait: *Die ergo Paraſceves tertia horâ accepit ſententiam à Pilato... Continet ergo dies Paraſceves paſſionem ejus, Sabbatum verò ſepulturam & requiem: Dominica autem Reſurrectionem*. S. Juſtinus Apolog.2. *Pridie*, inquit, *Saturni diei Jeſus in Crucem actus eſt, & poſtridie ejuſdem, qui ſcilicet Solis eſt dies, Apoſtolis & Diſcipulis apparuit*. Irenæus lib.5. contra Hæreſ. cap.23. *Dominus venit ad Paſſionem pridie ante Sabbatum, quæ eſt ſexta Conditionis dies, in qua homo plaſmatus eſt, ſecundum plaſmationem ei, eam, quæ eſt à morte per ſuam paſſionem, donans*.

XXII. Alia verò communior & verior via ſolvendi hunc nodum eſt ea, quam indicat S. Auguſtinus lib.4. de Trinitate cap.6., nempe non ſumi ibi tres dies & tres noctes totas & integras, ſed partem pro toto. Relatis enim præfatis Chriſti verbis Matth.12. v.40. ſic ait: *Ipſum autem triduum non totum & plenum fuiſſe, Scriptura teſtis eſt. Sed primus dies à parte extrema totus annumeratus eſt; dies verò tertius à parte prima & ipſe totus; medius autem inter eos, ideſt ſecundus dies, abſolutè totus viginti quatuor horis ſuis, duodecim nocturnis & duodecim diurnis. Crucifixus eſt enim primò Judæorum vocibus horâ tertiâ, cum eſſet dies ſexta Sabbati: deinde in ipſa Cruce ſuſpenſus eſt horâ ſextâ, & ſpiritum tradidit horâ nonâ. Sepultus eſt autem, cùm jam ſerò fa-*

ctum eſſet, ſicut ſeſe habent verba Evangelii, quod intelligitur in fine diei. Quæ explicans S. Thom. dictâ q.51. ar.4. ad primum ait: *Et ſic primus dies computatur ab extrema parte ſui, quâ Chriſtus in ſexta feria eſt mortuus & ſepultus. Secundus autem eſt integer cum viginti quatuor horis diurnis & nocturnis: nox autem ſequens pertinet ad tertium diem*; additque ex eodem Auguſtino, iſtos dies à nocte in lucem jure computari: *Sicut enim primi dies propter futurum hominis lapſum à luce in noctem; ita iſti propter hominis reparationem a tenebris ad lucem computantur*.

Concludo igitur, quòd primus dies & prima nox computatur extrema pars feriæ ſextæ cum ea parte noctis, quæ illam feriam ſequitur uſque ad medium noctis. Secundus dies & ſecunda nox eſt integrum Sabbatum, cujus initium ſumitur à media nocte feriam ſextam ſequente, & terminatur in mediam noctem ſequentem Sabbatum. Tertia nox eſt hujus noctis poſterior medietas. Tertius autem dies eſt initium diei Dominicæ: exiſtimamus enim, Chriſtum propè auroram ſurrexiſſe. Videatur idem Auguſtinus lib.3. de Conſ. Evangeliſt. cap.24., Anſelmus Homil. 4. Matth., & S. Leo ſerm.1. de Reſurrect., ubi cauſam, cur Chriſtus breviaverit ſepulturæ dies aſſignans, *Unde*, inquit, *ne turbatos Diſcipulorum animos longa mœſtitudo cruciaret, denuntiatam tridui moram tam mirâ celeritate breviavit, ut dum ad integrum ſecundum diem pars prima noviſſima, & pars tertii prima concurrit, & aliquantum temporis ſpatio decideret, & nihil dierum numero deperiret*.

XXIII. Quot autem horis manſerit in ſepulchro, S.Auguſtinus lib.4. de Trinit. cap.6. dicit, quòd *Ab hora mortis uſque ad diluculum reſurrectionis horæ ſunt quadraginta, ut etiam ipſa hora nona connumeretur. Cui numero congruit etiam vita ejus ſuper terram poſt Reſurrectionem in quadraginta diebus.... A veſpere autem ſepulturæ uſque ad diluculum Reſurrectionis triginta ſex horæ ſunt.... Nox tota cum die toto & nocte tota*. Quorum numerorum cauſas myſticas aſſignat.

XXIV. Poſtquam egi de Corpore Chriſti triduo jacente in ſepulchro, ſupereſſet, ut agerem de Anima ejus, quæ illo triduo apud inferos fuit. Sed cùm de hoc ſatis tractaverim tom.16. Theolog. Scholaſtico-Dogmaticæ qu. 2., actum reagere inutile foret: ideòque ſtudioſum illuc remitto.

XXV. Ad tertium quæſitum, utrum etiam nunc extet ſepulchrum Chriſti. Reſpondeo affirmativè. Hoc enim glorioſum fore, & ab omnibus in ſummo honore habendum, prædixit Iſaias cap.11. v.10. *In die illa radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum Popu-*

palorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum. Illud obſcurare & abolere variis temporibus Chriſti hoſtes conati ſunt: Hadrianus Imperator ſeculo poſt Chriſtum natum ſecundo, hoc eſt circa annum Chriſti 129. (ut ſcribit S. Paulinus Epiſt. 31. ad Severum) *exiſtimans, ſe Fidem Chriſtianam loci injuriâ peremturum, in loco paſſionis ſimulacrum Jovis conſecravit; & Bethlebem Adonidis Fano profanata eſt, ut quaſi radix & fundamentum Eccleſiæ tolleretur, ſi in iis locis idola colerentur, in quibus natus eſt, ut pateretur; paſſus eſt, ut reſurgeret; ſurrexit, ut regnaret; judicatus, ut judicaret*. Loqui autem Paulinum ſpecialiter de loco ſepulchri, ex eo patet, quia in loco Crucifixionis non Jovis ſed Veneris ſimulacrum; in loco autem Nativitatis Adonidis Veneris amaſii poſitum fuerat, ut Euſebius lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 25., quod explicat Hieronymus Epiſt. 13., modò 49., ad Paulinum de Inſtitutione Monachi his verbis: *Ab Hadriani temporibus uſque ad imperium Conſtantini, per annos circiter centum octoginta, in loco Reſurrectionis ſimulacrum Jovis, in Crucis rupe ſtatua ex marmore Veneris à Gentibus poſita colebatur, exiſtimantibus perſecutionis Auctoribus, quòd tollerent nobis Fidem Reſurrectionis & Crucis, ſi loca ſancta per Idola polluiſſent. Bethlebem nunc noſtrum & auguſtiſſimum Orbis locum, de quo Pſalmiſta canit*,, Veritas de terra orta eſt,, *lucus inumbrabat Thamuz ideſt Adonidis, & in ſpecie, ubi quondam Chriſtus parvulus vagiit, Veneris amaſius plangebatur*. Hoc idem Sozomenus lib. 2. Hiſt. cap. 1.

XXVI. Incaſsùm tamen omnes hi conatus reciderunt. Seculo enim quarto, ſic providente Deo ad ſui Nominis gloriam reparandam, religioſiſſimus Imperator Conſtantinus inquiſitum Domini ſepulchrum à ſordibus Ethnicorum repurgavit, ibique Templum extruxit. Ita refert Euſebius lib. 3. de Vita Conſtant. cap. 25. *Impii quondam homines, ſeu potiùs univerſum Dæmonum genus impiorum hominum operâ, venerandum illud immortalitatis monumentum tenebris atque oblivione penitùs involvere ſtuduerant. Illud inquam monumentum, ad quod Angelus olim è cœlo delapſus admirabili luce radians ſaxum revolverat ex animis eorum, qui verè ſaxei erant, & qui viventem Chriſtum inter mortuos adhuc jacere arbitrabantur, felicem nuntium afferens mulieribus, & incredulitatis lapidem auferens à mentibus earum removens, ut opinionem de vita ejus, qui ab illis quærebatur, aſtrueret* &c. Hunc ergo locum ſordibus profanatum, ac terrâ ſuperimpoſitâ abſconditum, Conſtantini pietas eruit ac repurgavit, &, ut ſequentibus capitibus Euſebius narrat, publicæ Fidelium venerationi expoſuit,

Digitized by Google

ibique Templum conſtruxit. Acceſſit cura & pietas Helenæ matris, quâ promovente, undique Fideles ad ſacrum illud Sepulchrum venerandum affluxiſſe, teſtatur Theodoritus lib. 1. hiſt. cap. 17.: ubi refert Epiſtolam Conſtantini ad Macharium Hieroſolymit. Epiſcopum, & quam ipſa Helena detulit, pro erectione magnifici Templi in loco Paſſionis & Sepulchri Chriſti, cujus deſcriptionem ſi quis deſideret, adeat Bedam de Locis Sanctis apud Baronium ad ann. Chriſti 34. num. 188.

XXVII. Pium tamen Fidelium ad Sepulchrum Domini concurſum ſeculo ſeptimo anno à Chriſto nato 615. Heraclii Imperatoris tempore interrupit Choſroes Perſarum Rex, qui, ut ſcribit Cedrenus, Palæſtinam invadens, Hieroſolymam cepit, & magna hominum ſtrage edita, Zachariam Patriarcham unà cum Cruce Domini aliiſque theſauris abduxit: quæ tamen omnia poſt decennium reddita ſunt à Siroe Choſroe filio, qui, patre cæſo, cum Heraclio pacem iniit. Verùm non multò poſt, anno circiter 636. barbara Saracenorum Gens Hieroſolymâ denuò occupatâ Sepulchrum Domini annis 400. uſque ad ſeculi undecimi finem tenuit. Quo tempore, Urbano II. Pontifice Maximo excitante, multi ex Gallis ac Germanis Proceribus Godefrido Bullione Duce, Bellum ſacrum ſuſcipientes, Terram Sanctam ac Sepulchrum Chriſti Barbaris eripuerunt, novumque Ordinem Equitum Templariorum inſtituerunt, qui Patriarchæ Hieroſolymitano operas ſuas præſtabant coercendo Latrones, ne Fidelibus ad Chriſti Sepulchrum accedentibus iter infeſtum redderent. Tunc reſpirare cœperunt Chriſtiani, ſummâque lætitiâ perfundi, quòd ad Sepulchrum Chriſti venerandum liberum ſibi iter pateret. Sed ecce novus turbo graviorem procellam excitavit. Saladinus namque Ægypti Sultanus injecto inter Principes Chriſtianos diſcordiæ pomo ſub finem ſeculi duodecimi Hieroſolymam armis obtinuit, Mahometicam Religionem induxit, Latinos, quorum potentiam formidabat, expulit, ægrè Græcis ac Syris infelicibus Chriſtianorum reliquiis aliquam ſtationem Hieroſolymis relinquens. In hoc ſtatu res adhuc perſeverant, pluries Chriſti Sepulchrum recuperare tentatum eſt, ſed irrito conatu, Deo ſic permittente. Sepulchrum Chriſti à multis ſeculis Fratres Minores, de Obſervantia dicti, ſub jugo Turcarum cuſtodiunt. Et dum nemo Chriſtianorum Principum de eo recuperando cogitat, occulta judicia Dei adoranda ſunt, nec ulteriùs inveſtigandum. Interim ad lætiora procedamus.

CA-

CAPUT XXXIV.

De Reſurrectione Chriſti.

§. I.

Recenſentur errores.

I. Promiſerat Chriſtus ſæpè Diſcipulis ſuis, ſe poſt Paſſionis & Crucis ac Mortis ignominiam ad gloriam Reſurrectionis tertio die perventurum, ut omnia Evangelia fidem faciunt; præcipuè autem Matth.20. v.18., ubi convocatis duodecim Diſcipulis ſecretò dixit eis: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius Hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte., & tradent eum Gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, & tertiâ die reſurget.* Ea, quæ de ſua paſſione prædixerat, accuratè fuiſſe impleta, in antecedentibus demonſtratum eſt. Impletum itidem fuiſſe, quòd tertiâ poſt mortem affulgente die è Sepulchro ſurrexerit, modò eſt oſtendendum. Ex hoc myſterio, ſicut tota Chriſti veracitas, ita & tota Fidei noſtræ firmitas pendet, ajebat enim Paulus 1. ad Cor.15. v.14. *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra*: Hinc ad veritatem Reſurrectionis Chriſti Judæis & Gentibus perſuadendam, tota Pauli & cæterorum Apoſtolorum tendebat prædicatio.

II. Reſurrectionem ergo mortuorum ex Gentibus & ex Judæis quidam generaliter negabant: de Gentibus conſtat ex Act.17. v.32., ubi annuntiante Athenienſibus Paulo, Chriſtum à mortuis ſuſcitatum, dicitur: *Cùm audiſſent autem Reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exivit de medio eorum;* videns hoc tanquam fabuloſum commentum ab eis contemni. Ex Judæis autem Sadducæorum ſecta, de quibus dicitur Matth.22. v.23. *Acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe Reſurrectionem.*

III. Circa verò Reſurrectionem Chriſti, apud eos etiam, qui Reſurrectionem abſolutè non negabant, & qui ſe Chriſtianos mentiebantur, pluribus modis erratum eſt. Primò enim omnes, qui negabant Chriſtum fuiſſe verum Hominem, aut aſſumſiſſe verum corpus mortale, aut verè mortuum fuiſſe, ut Manichæi & alii, naturali conſequentiâ debebant quoque inferre, eum non ve-

verè ſurrexiſſe. Quare de Manichæis dicit S. Auguſtinus Hæreſ. 46., eos docuiſſe, *Chriſtum noviſſimis temporibus veniſſe, ad animas non ad corpora liberanda. Nec fuiſſe in carne vera, ſed ſimulatam ſpeciem carnis ludificandis humanis ſenſibus præbuiſſe, ubi non ſolùm mortem, verùm etiam Reſurrectionem ſimiliter mentiretur.* Ex illis autem, qui Chriſto veram carnem tribuerunt, quidam aſſeruerunt, eum quidem crucifixum & mortuum eſſe, ſed nondum reſurrexiſſe, reſurrecturum tamen in generali Reſurrectione: ita Cerinthus, teſtibus Epiphanio hæreſ. 28. & Auguſt. hæreſi 8. de Cerinthianis dicente, eos *Jeſum hominem tantummodo fuiſſe, nec reſurrexiſſe, ſed reſurrecturum aſſeverantes.* De Cerintho dicit S. Irenæus lib. 1. contra Hæreſ. cap. 35. modò 36., eum diſtinxiſſe Chriſtum à Jeſu, qui poſt Baptiſmum in Jeſum deſcenderat: *In fine autem revolaſſe iterùm Chriſtum de Jeſu, & Jeſum paſſum eſſe & reſurrexiſſe: Chriſtum autem impaſſibilem perſeveraſſe, exiſtentem ſpiritualem.*

Erravit etiam Apelles, qui, ut ſcribit Philaſtrius hæreſ. 47., putavit, Chriſtum non ex Virgine, ſed ex quatuor elementis carnem ſumſiſſe: reſurgendo autem carnem in Sepulchro reliquiſſe, ut in elementa, ex quibus eam acceperat, rediret, eumque ſine carne in cœlum aſcendiſſe. Idem refert S. Auguſtinus hæreſ. 23. Hunc errorem indicat etiam Nazianzenus Epiſt. 1. ad Cledonium. Hanc & alias ſimiles hæreſes refert ac rejicit Tertullianus lib. de Carne Chriſti cap. 24. his verbis: *Idem veniet de cælo, qui eſt paſſus; idem omnibus apparebit, qui eſt reſuſcitatus. Et videbunt & agnoſcent, qui eum confixerunt: utique ipſam carnem, in quam ſævierunt; ſine qua nec ipſe eſſe poterit, nec agnoſci. Ut & illi erubeſcant, qui adfirmant carnem in cælis vacuam ſenſu, ut vaginam exemto Chriſto ſedere, aut qui carnem & animam tantumdem, aut tantummodò animam, carnem verò non jam.* Quibus ultimis verbis, ut notat Pamelius, refutat errorem illorum, qui dicebant, Chriſtum ſine carne cœlos etiam aſcendiſſe, quem Philaſtrius attribuit etiam Paſſioniſtis, Seleucianis, & Hermianis.

IV. Hiſce erroribus jam antiquatis ſuos addere voluerunt moderni Novatores, quibus aut veritas Reſurrectionis Chriſti tollitur, aut ſaltem infirmatur. Inter iſtos Benedictus Spinoſa, primùm Judæus, factus deinde nomine tenus Chriſtianus, & verè Atheus, Judaicam pertinaciam Chriſti Reſurrectionem negantem adhuc corde tenens, coloribus illam palliare, reverà autem negare, auſus fuit; dicens, totam hiſtoriam de Reſurrectione Chriſti ab Evangeliſtis traditam, non litteraliter, ſed allegoricè

cè accipiendam eſse. Sic enim vir ille, temeritate ac blaſphemiis notus, auſus eſt ſcribere Epiſt. 23. ad Henricum Olderburgium: *Concludo itaque Chriſti à mortuis reſurrectionem reverà ſpiritualem, & ſolis Fidelibus ad eorum captum revelatam fuiſse, nempè quòd Chriſtus æternitate donatus fuit, & à mortuis ſurrexit, ſimul atque vita & morte ſingularis ſanctitatis exemplum dedit, & eatenus Diſcipulos ſuos à mortuis ſuſcitat, quatenùs ipſi hoc vitæ ejus & mortis exemplum ſequantur*: & Epiſt. 25. ad eundem: *Ceterùm*, inquit, *Chriſti paſſionem, mortem & ſepulturam tecum litteraliter accipio, ejus autem Reſurrectionem, allegoricè. Fateor quidem, hanc ab Evangeliſtis iis narrari circumſtantiis, ut negare non poſſimus, ipſos Evangeliſtas crediſſe Chriſti Corpus reſurrexiſse, & ad cælum aſcendiſse, ut ad ad Dei dexteram ſederet: & quòd ab Infidelibus etiam potuiſset videri, ſi unà in iis locis adfuiſsent, in quibus ipſe Chriſtus Diſcipulis apparuit: in quo tamen ſalvâ Evangelicâ doctrinâ potuerunt decipi, ut etiam aliis Prophetis contigit*: hæc ille. At ego dicam: Tu, mortalium impudentiſſime, deciperis, non Evangeliſtæ decepti fuerunt, qui & ea, quæ viderunt, & quibus ipſe Chriſtus adteſtatus eſt, conſcripſerunt, ni dicas, ut fortè dicere non erubeſces, eos à Chriſto quoque fuiſſe deceptos. Alios Novatorum errores ſigillatim recenſebimus & refutabimus.

§. II.

Reſurrectionis Chriſti Veritas.

V. Revocanda hùc ſunt ea, quæ in Tract. de Verit. Relig. Chriſt. cap. 10. §. 3. de hac veritate dixi. Ibi enim præcipuè oſtendi, quòd ſi Reſurrectio Chriſti non fuiſſet vera, eam diſcipuli, viri ſimplices ac timidi, & qui eam adteſtantibus mulieribus, imo viſo etiam Chriſto ipſo, adhuc dubitabant, non publicaſſent: maximè quia nihil ex hoc mendacio ſibi ſperare poterant, quin potiùs Principum Sacerdotum indignationem & odium. Quod ſi publicaſſent, omnem certè adhibuiſſent artem, ut mendacium detegerent iidem Pontifices, & de facto detexiſſent. Cum ergo Apoſtoli (ut habetur in Actibus) publicè prædicarent, Jeſum crucifixum à mortuis ſurrexiſse, nec aliquis inventus fuerit, ſive ex Judæis ſive ex Gentilibus, qui eos falſitatis argueret, ſignum eſt, quòd rem adeò veram prædicabant, quam nemo negare, aut in dubium vertere poterat.

VI. Confirmatur ergo hæc veritas primò. Poſt Chriſtum ſepul-

pulturæ traditum Phariſæi & Sacerdotes adierunt Pilatum Matth.27. v.63. *Dicentes: Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens, poſt tres dies reſurgam. Jube ergo, cuſtodiri Sepulchrum uſque in diem tertium, ne fortè veniant Diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi, ſurrexit à mortuis: & erit noviſſimus error pejor priore. Ait illis Pilatus: habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite, ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, munierunt Sepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus.* Quî ergo credibile eſt, quòd Diſcipuli hùc illùc metu diſperſi, convenientes in unum accederent ad Sepulchrum, cujus ſciebant lapidem ſignatum & milites vigilare ad cuſtodiam; & Magiſtri corpus furati ſint? An ſubtus terram per cuniculos penetrando? at inquit Matthæus cap.27. v.60. monumentum fuiſse exciſum in petra. An lapidem è Sepulchro amoventes? at erat ſignatus, nec ſine fragore fieri poterat, quo cuſtodes, etſi dormientes, excitarentur. Hoc & ipſi Judæi impoſſibile judicantes, aliam, copioſâ erogata pecuniâ, viam non invenerunt, niſi ut ſuggererent cuſtodibus: *Dicite, quia Diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus* (Matth.28. v.13) Hoc milites dixerunt: *Et divulgatum eſt verbum iſtud apud Judæos uſque in hodiernum diem.* Sed jure hìc exclamat S. Auguſtinus Con.2. in Pſal. 36. *Stulta inſania; ſi vigilabas, quare permiſiſti? Si dormiebas, unde ſciſti?* Et in Pſal.63. *Quid eſt quod dixiſti, infelix aſtutia? ... Dicite, quia vobis dormientibus, venerunt Diſcipuli ejus, & abſtulerunt eum? Dormientes teſtes adhibes? Verè tu obdormiſti, qui ſcrutando talia defeciſti. Si dormiebant, quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodo teſtes ſunt? Sed defecerunt ſcrutantes ſcrutationes.*

Nihilominùs inſano furore obcæcati Judæi, non contenti hanc fabulam in Vulgus Hieroſolymæ effudiſſe, miſerunt ad omnes Mundi partes Legatos, qui putida militum mendacia de Chriſti Corpore à Diſcipulis furtim ſublato evulgarent. Sic enim eos redarguit S. Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone pag.234. & 335. *Verùm tantum abeſt, ut pœnitentiam egeritis, poſtquam eum à mortuis reſurrexiſſe accepiſtis, ut etiam (prout antea memoravi) eximiis delectis viris, in omnem terrarum orbem eos miſeritis, qui renuntiarent, hæreſim & ſectam quandam impiam & iniquam excitatam eſſe à Jeſu quodam Galilæo plano & ſeductore, quem à vobis crucifixum Diſcipuli ejus noctu è monumento, ubi è Cruce refixus poſitus fuerat, furto ſuſtulerint, & homines in errorem adduxerint, aſſeverantes, eum à mortuis excitatum eſſe, atque in cælum aſcendiſſe* &c. Tot ergo conatibus ſtuduerunt Judæi, Chriſti Reſurrectionem tamquam falſam etiam apud Gentes vulgare.

re; de quo aliqua inferiùs dicam. Vel ergo Populi Judæis hæc nuntiantibus crediderunt, & nihilominùs Chriſti Fidem amplexati ſunt; vel non crediderunt Judæis, & Chriſto nomen dederunt. Si primum: en Judæorum impoſtura ſine fructu: ſi ſecundum, en Judæorum mendacium ſine fide. Cùm ergo toto ferè Orbe veritas Reſurrectionis credita ſit, & adhuc credatur; & ab oppoſito Judæorum dictum contrarium reprobatum fuerit, & adhuc reprobetur; quinam mentiti ſunt? Apoſtoli Chriſtum verè ſurrexiſſe annuntiantes, an Judæi, ejuſdem corpus ab eis furtim ſublatum teſtimonio dormientium evulgantes? Nihilominùs, inquit S. Auguſtinus ſerm. 44. (aliàs hom. 36. inter 50.) cap. 4., etiam *bodie, hoc eſt apud Judæos, ſic habet ipſa fama, quàm varia, quàm falſa, quàm inanis. Teſtimonium Martyrum nolunt audire, ut vivant; & teſtimonium dormientium audiunt, ut pereant.*

VII. Secundò, ut narrat S. Matthæus cap. 28., Chriſto reſurgente factus eſt terræmotus ingens; Angelus deſcendens de cœlo removit ingentis molis ſaxum ab oſtio monumenti, ſedit ſuper eum, & aſpectus ejus erat ſicut fulgur, veſtimenta autem ſicut nix. Quibus exterriti Cuſtodes facti ſunt velut mortui. Unus tamen ex eis veniens in Civitatem nuntiavit Principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant. Hæc Matthæus in ſuo Evangelio: quæ Judæi videre poterant ac examinare; ideòque ſi falſa fuiſſent, falſitatis & mendacii ipſum ceteroſque Apoſtolos accuſare & convincere; quòd cùm nunquam fecerint, ſed potiùs corrumpendi pecuniâ milites teſtes conſilium inierint; evidens eſt, eos agnoviſſe, quæ ſibi nuntiata fuerant & Matthæus ſcripſit, vera eſſe.

Accedit, quòd ſuæ Reſurrectionis Chriſtus ipſe frequentibus apparitionibus fecit fidem. Primò enim apparuit Mariæ Magdalenæ. Secundò piis mulieribus, quæ ad monumentum venerant. Tertió Petro. Quartò duobus Diſcipulis euntibus in Caſtellum Emmaus. Quintò Apoſtolis abſente Thomâ. Sextó poſt dies octo eiſdem Apoſtolis Thomâ præſente, ejus incredulitatem de veritate ſuæ Reſurrectionis, oſtendendo ei cicatrices manuum & lateris, corrigendo. Septimò ſeſe ad mare Tiberiadis in captura piſcium, ubi etiam cum eis manducavit, conſpicuum exhibendo. Octavò in Monte Galilææ apparuit plùs quàm quingentis Fratribus. Nonò viſus Jacobo Apoſtolo: ac ſæpiùs per 40. dies cum Diſcipulis ſuis conveſcens & loquens de Regno Dei, ſe verè ſurrexiſſe demonſtravit. Hæc referunt Evangeliſtæ. Vel ergo mentiti ſunt, aut falſum ſcripſerunt; vel

vel Chriſtus ipſe eis illuſit, eoſque decepit, ſi ſigna veræ Reſurrectionis, quæ eis oſtendit, vera non erant, ſed apparentia tantùm. Hoc diſcurſu configitur Benedictus Spinoſa, de quo ſupra §. 1.

VIII. Tertiò Chriſtus ſæpiùs prædixerat Apoſtolis, & promiſerat, ſe tertio poſt paſſionem die ſurrecturum. Vel ergo implevit promiſſionem, & ſic verè reſurrexit; vel non implevit, & ſic eos decepit. Quare ergo Apoſtoli à Chriſto decepti, fide tantâ fortitudine & conſtantiâ Reſurrectionem ejus toto orbe prædicarunt, adeò ut mortem potiùs obirent, quàm tacerent? Si ex hac promulgatione aliqua gloriæ aut præmii ſpes apud homines conſequendi affulſiſſet, poſſet quis ſuſpicari, eos fucum feciſſe, & hoc mendacio credulis illudere voluiſſe: ſed cùm ex hoc niſi invidiam & odium Judæorum & Gentilium, imo & mortem ipſam ſe accerſere viderent; quis adeò inſanos eos credet, ut pro tuendo mendacio ſibi noto tot tantaque mala obire voluerint? Rursùs, ſi vera non erat Chriſti Reſurrectio, quam prædicabant Apoſtoli, viri cæteroquin paucij, ſimplices, ignobiles, nullius auctoritatis; cur homines etiam ſapientes, imo totus orbis eam credidit? *Reſurrectio certè Chriſti, & in cælum cum carne, in qua reſurrexit aſcenſio, toto jam mundo prædicatur & creditur: ſi credibilis non eſt, unde toto terrarum orbe jam credita eſt? Si multi nobiles, ſublimes, docti, eam ſe vidiſſe dixerunt, & quod viderunt diffamare curarunt, eis mundum credidiſſe non mirum eſt .... Si autem, ut verum eſt, paucis obſcuris minimis indoctis eam ſe vidiſſe dicentibus & ſcribentibus credidit Mundus, cur pauci obſtinatiſſimi, qui remanſerunt, ipſi Mundo jam credenti adhuc uſque non credunt? Qui propterea numero exiguo ignobilium infimorum imperitorum hominum credidit, quia in tam contemtibilibus teſtibus multò mirabiliùs Divinitas ſe ipſa perſuaſit. Eloquia namque perſuadentium quæ dicebant, mira fuerunt facta, non verba*. Hucuſque S. Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 5. Qui ſubinde narratis miraculis, quæ in Chriſti Nomine Apoſtoli ediderunt, concludit: *Si verò per Apoſtolos Chriſti, ut eis crederetur, Reſurrectionem atque Aſcenſionem prædicantibus Chriſti, etiam iſta miracula facta eſſe non credunt, hoc unum nobis grande miraculum ſufficit, quòd eam terrarum Orbis ſine ullis miraculis credidit*.

IX. Tandem Veritas hæc confirmari poteſt teſtimonio viri Judæi & Gentilis. Judæus eſt Joſephus, qui lib. 18. Antiquit. cap. 4. de Chriſto Jeſu, ait: *Apparuit enim eis tertiâ die vivens, multa hæc & alia mirabilia Oraculis Prophetarum de eo vaticinanti-*

Digitized by Google

tibus: *& uſque hodie Chriſtianorum Gens ab hoc ſortita vocabulum non defecit*. Vir autem Gentilis ſit Pontius Pilatus, qui referens Tiberio Cæſari ea, quæ de Chriſto, ipſo Præſide contigerant, inter alia hæc ſcribit: *Crucifixerunt igitur illum, & ſepulchro, quo conditus erat, cuſtodes adhibuerunt, inter quos ex meis militibus nonnulli erant, qui tertia die eum à mortuis reſurgentem viderunt. Nequitia autem Judæorum magis hoc facto exarſit, numeraruntque magnam pecuniarum vim ipſis militibus, quatenùs Diſcipulos ipſius noctu corpus rapuiſſe prædicarent. Acceperunt hi quidem pecunias: nihilominùs publicè ubique profeſſi ſunt atque teſtantur, ſe viſiones Angelorum vidiſſe, ac Jeſum illum à mortuis verè reſurrexiſſe. Hæc autem ideò ſcripſi, ne quis nugis ac mendaciis Judæorum, ſi de re geſta aliter loquantur, fidem adhibeat. Vale*. Hæc Pilatus: quæ conformia ſunt iis, quæ ab Evangeliſtis narrantur. Hanc Epiſtolam ſe ex antiquiſſimis Bibliothecæ Vaticanæ Codicibus tranſcripſiſſe, Sixtus Senenſis teſtatur. Critici tamen rigidiores apocrypham & ſpuriam putant. Ut ut ſit, eam ad ſuperabundantiam retuli, cùm Chriſtiana Veritas de hoc Myſterio Pilati teſtimonio non indigeat. Sed de hoc ſupra etiam locutus ſum.

X. Hujus tamen hiſtoriæ veritatem obſcurare videtur diverſus & quaſi contrarius modus, quo eam narrant Evangeliſtæ. Primò enim Matthæus dicit, quòd mulieres venientes ad Sepulchrum viderunt revolutum lapidem, & Angelum ſedentem ſuper eum: quæ ſignificant, eas vidiſſe Angelum foris Sepulchrum. Marcus autem dicit, eas introeuntes Sepulchrum vidiſſe juvenem ſedentem in dextris, hoc eſt intus Sepulchrum. Secundò, Marcus dicit, quòd mulieres exeuntes de monumento fugerunt, & nemini quidquam dixerunt. Matthæus autem quòd cum timore & gaudio cucurrerunt nuntiare Diſcipulis. Tertiò, circa horam; nam Matthæus dicit, quòd venerunt *Veſpere Sabbati*: Marcus *valdè mane orto jam ſole*: Lucas *valde diluculo*: Joannes *mane cùm adhuc tenebræ eſſent*. Quartò Marcus & Matthæus narrant, plures mulieres veniſſe ad monumentum; Joannes autem de ſola Maria Magdalena loquitur.

XI. Sed has apparentes antilogias inter cæteros tollit S. Auguſtinus lib. 3. de Conſ. Evangeliſt. cap. 24. Primam quidem dicendo, vel fuiſſe duos Angelos, unum foris, alterum intus Sepulchrum, ſed Matthæum tacuiſſe de eo, qui erat intus, & Marcum de eo, qui erat foris: vel fuiſſe unum ac eundem ſedentem in ingreſſu Sepulchri, in ſpatio ſcilicet ante petram revolutam; & hunc Matthæus dicit ſedentem ſuper petram, Mar-

cus verò in introitu à dextris. Niſi etiam dicatur, quòd præter illum Angelum, quem in ingreſſu viderant, de quo Matthæus & Marcus, deinde locum intus circumſpicientes, locum, inquam, in quo jacebat Dominus, viderint alios duos, de quibus Lucas.

XII. Secundum tollit dicendo, Mulieres præ timore & gaudio nemini dixiſſe, ideſt, nemini Angelorum reſpondiſſe ad ea, quæ ipſis locuti fuerant, ſicut & nemini Cuſtodum, ſed ſtatim cucurriſse ad Apoſtolos, ut nuntiarent eis, quæ viderant & audierant.

XIII. Tertiam, quæ majorem præſefert difficultatem, ſolvit conciliando primò Marcum Lucam & Joannem ſic: *Quòd enim dicit Lucas*, valdè diluculo, *& Joannes*, mane cùm adhuc tenebræ eſſent; *hoc intelligitur Marcus dicere*, valdè mane oriente jam ſole, *ideſt, cùm cælum ab orientis parte jam albeſceret; quod non ſit utique niſi ſolis orientis vicinitate: ejus enim eſt ille fulgor, qui nomine auroræ appellari ſolet. Unde non repugnat illi, qui ait*, cùm adhuc tenebræ eſsent. *Die quippe ſurgente aliquæ reliquiæ tenebrarum tantò magis extenuantur, quantò magis oritur lux. Nec ſic accipiendum eſt, quòd ait*, valdè mane, *tanquam ſol ipſe videretur jam ſuper terras: ſed potiùs ſicut dicere ſolemus eis, quibus volumus ſignificare temperiùs aliquid faciendum. Cum enim dixerimus* mane, *ne putent, jam ſole ſuper terram conſpicuo nos dicere, ad hoc plerumque addimus*, valdè mane, *ut illud, quod etiam albeſcente vocatur, intelligant. Quamquam & hoc uſitatum ſit, ut poſt galli cantum ſæpè repetitum, cum conjectare homines cœperint diem jam propinquare, dicant* jam mane eſt, *& cum poſt hoc verbum attenderint, & jam oriente, ideſt jam de proximo adveniente in has partes ſole, cælum rubeſcere vel albeſcere viderint, addant qui dicebant mane eſt*, & valdè mane eſt. Ita S. Auguſtinus ſentit, tres Evangeliſtas licèt diverſo modo loquendi idem ſignificare velle. Neque enim videtur præcipuè Marcus intellexiſſe, ortum jam fuiſſe ſolem, quaſi jam elevatus fuiſſet ſupra Horizontem: ſic enim ſibi ipſi Marcus contradiceret, dum ſimul dicit fuiſſe valdè mane. Niſi fortè voluerimus, ut voluit Dionyſius Alexandrinus, illa duo ad diverſa tempora referri, nimirùm quòd venire valdè mane, quia tunc venire cœperint, orto autem jam ſole, quia tunc ad Sepulchrum pervenerint.

Quòd verò dicit Matthæus: *Veſpere Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati venit Maria Magdalena & altera Maria* &c. juxta S. Auguſtinum citato loco, ſumit partem noctis pro tota nocte, dicendo autem quæ luceſcit in prima Sabbati, ſumſit, non primam

mam noctis ſeu veſperæ partem, quæ terminatur in tenebras ſeu medium noctis, ſed partem ſecundam noctis, quæ terminatur ſeu luceſcit in diem primam Sabbati, ideſt Dominicam, ut idem Auguſtinus Tract. 120. in Joan., accipiendo Sabbatum pro Hebdomada vel Septimana, ut Lucæ 18. v. 12. *Jejuno bis in Sabbato*, vel propriè pro die Sabbati jam tranſacti, quaſi prima die à Sabbato jam tranſacto. Unde ordo rei geſtæ hic fuit, ut mulieres emerint aromota ſtatim cum tranſiſſet Sabbatum, ſicut Marci 16. v. 1. hoc eſt illo veſpere Sabbati poſt occaſum ſolis, deinde cùm jamdiu tranſiſſet Sabbatum, nocte Sabbati jam luceſcente in primam diem poſt Sabbatum, ideſt Dominicam, venerunt ad Monumentum: & hoc eſt quod alii Evangeliſtæ vocant *Diluculo, valdè mane, & cùm adhuc tenebræ eſſent*.

XIV. Quartum tandem ſolvit idem S. Auguſt. ibidem, dicendo, veniſſe Mariam Magdalenam, non ſolam, ſed cum aliis mulieribus: unde Joann. 20. v. 2. currens ad Petrum dixit ei: *Tulerunt Dominum meum, & neſcimus, ubi poſuerunt eum*, non dixit *Neſcio*. Solius tamen Mariæ Magdalenæ mentionem facit Joannes, quia ipſa ferventior, cæteriſque dux ac princeps ad opus illud pietatis fuit, & quia, relictis aliis ad monumentum, ipſa ſola cucurrit ad nuntiandum Petro, quod viderant, quod ab aliis Evangeliſtis omiſſum Joannes narrare propoſuerat. Hinc tollitur alia difficultas, quomodo ſcilicet potuerit Maria dicere Petro: *Tulerunt* &c. *Et neſcimus, ubi poſuerunt eum*, cùm alii Evangeliſtæ narrent Angelum dixiſſe mulieribus, *Surrexit non eſt hìc*. Etenim ipſa cum aliis accedens ac videns apertum monumentum, nec in eo offendens Chriſti Corpus, ſed ſolas exuvias, quibus fuerat involutum; moræ impatiens, incerta quid de eo factum fuiſſet; vel timens, illud furto ſublatum, ſtatim relictis aliis ad monumentum, cucurrit ad Petrum dicens: *Tulerunt* &c. Quo fit, ut colloquio, quod aliæ mulieres, quæ remanſerant, habuerunt cum Angelis, ipſa præſens non fuerit.

XV. Quod ſi quæras, cur Chriſtus Reſurrectionem ſuam, ac ſe ipſum poſtquam reſurrexit, priùs mulieribus, quàm ſuis Diſcipulis manifeſtavit? Reſpondebo cum S. Gregorio Nyſſeno Orat. de Reſurrectione, oportuiſſe, *Primum muliebrem ſexum, & ab Angelo bonum Reſurrectionis accipere nuntium, & Dominum videre, & primum ab eo vocem audire, Avete. Quoniam mulier quoque prima audiverat vocem ſerpentis, & contra præceptum viderat ligni interdicti fructum, & pœnâ triſtitiæ & doloris condemnata fuerat. Quapropter etiam adorare Servator & pedes apprehendere & contrectare permittebat, & Diſcipulis gaudium annuntiare jubebat*,

bat, cùm mulierem, quæ triſtitiæ miniſtra Adamo fuerat, gaudii nuntiam viris eſſe vellet, contraria contrariis curans. Eandem rationem tradit S. Auguſt. ſerm. modò 45., ubi dixit: *Reſurrexit ergo Caput, & viſum eſt reſurgere Caput. Primò à mulieribus viſum eſt & nuntiatum eſt viris. Primæ mulieres viderunt reſurgentem Dominum, & Evangeliſtis futuris Apoſtolis à mulieribus Evangelium annuntiatum eſt, & per mulieres illis Chriſtus annuntiatus. Evangelium enim latinè bonus nuntius eſt... Sed quare fœmina nuntiavit Evangelium? quia per feminam mors emendata eſt. Etenim feminam nuntiantem mortem conſolata eſt femina nuntians vitam; quia mortua erat propinans mortem. Per feminam ſeductus eſt Adam, ut caderet in mortem: per feminam nuntiatus eſt Chriſtus jam reſurgens non moriturus.* Idem dicit ſerm.232. aliàs 144. de Tempore cap. 2.

XVI. Neceſſarium fuiſſe, ut Chriſtus à mortuis reſurgeret, oſtendit S. Thomas, videndus 3.p. q.53. ar.1., quinque rationibus. Prima, ad commendationem Divinæ juſtitiæ, ut qui ſe humiliaverat uſque ad mortem Crucis, exaltaretur uſque ad gloriam Reſurrectionis. Secunda, ad Fidei noſtræ inſtructionem: quia per hoc, quòd Chriſtus ſe ipſum ſuſcitavit, confirmata eſt Fides noſtra de ejùs Divinitate. Tertia, ad ſublevationem noſtræ ſpei, quia dum videmus, Chriſtum Caput noſtrum reſurgere, ſperamus & nos reſurrecturos. Quarta, ad informationem vitæ Fidelium, ut ſicut Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, ſic & nos non ſimus ampliùs morientes peccato, ſed ſemper viventes coram Deo, ut ex Paulo Rom.6. Quinta, ad complementum noſtræ ſalutis: ſic enim reſurrexit ad vitam, ut nos poſt ejus Reſurrectionem prædicatione Apoſtolorum generaliter fructus paſſionis ejus participes eſſemus.

XVII. Conveniens autem fuiſſe, ut Reſurrectionem non differret ad finem Mundi, nec ſtatim poſt mortem, ſed tertiâ die reſurgeret, demonſtrat idem S. Thomas ibidem ar.2. Primum quidem; tum quia ad demonſtrandam excellentiam virtutis Capitis ſupra membra, conveniens fuit Chriſtum Caput tertiâ die reſurgere, membrorum Reſurrectione dilatâ uſque ad finem Mundi, ut ibidem ad *primum*; tum quia Chriſtus, utpotè inter mortuos liber, nullâ neceſſitate mortis tenebatur adſtrictus: & ideò aliquandiu in morte manſit, non quaſi detentus, ſed propriâ voluntate, & quamdiù judicavit hoc eſſe neceſſarium ad inſtructionem Fidei noſtræ. Ita idem S.Thom. ad ſecundum. Quibus addendum ex S.Auguſt. Epiſt.120. (modò 140.) ad Honorat. c.15. ad illud Pſal.29. v.10. „ Quæ utilitas in ſanguine meo, dum de-

deſcendo in corruptionem ,, : *Si eo modo, quo & cæteri* (Chriſtus) *mortuus dimitteretur in pulverem, & caro ejus Reſurrectioni ultimæ ſervaretur, nulla eſſet utilitas in ſanguine ejus, quia nihil prodeſſet mors ejus, nec annuntiaretur Veritas Dei, quæ illum continuò reſurrecturum eſſe prædixerat.*

Secundum autem, quòd non fuerit conveniens, ut illicò poſt mortem reſurgeret, oſtendit in Corp. art. Quia *ut confirmaretur Fides de veritate humanitatis & mortis ejus, oportuit moram eſſe inter mortem & reſurrectionem. Si enim ſtatim poſt mortem reſurrexiſſet, videri poſſet, quòd ejus mors vera non fuerit, nec per conſequens Reſurrectio vera.*

Tertium verò, quòd ad veritatem mortis Chriſti manifeſtandam ſatis fuerit, ut Reſurrectio ejus ad tertium diem differretur, probat; tum quia *non contingit, quin infra hoc tempus in homine, qui mortuus videtur, cum vivat, appareant aliqua indicia vitæ*; tum quia *per hoc, quòd tertiâ die reſurrexit, commendatur perfectio ternarii, qui eſt numerus omnis rei, utpotè habens principium medium & finem, ut dicitur in* 1. *de Cælo* Text.2. Oſtenditur etiam, quòd Chriſtus *unâ morte ſuâ corporali duas noſtras mortes deſtruxit, ſcilicet corporis & animæ, quæ ſunt tenebroſæ propter peccatum. Et ideò unâ die integrâ & duabus noctibus permanſit in morte, ut Auguſt. dicit* 4. *de Trinit.* cap.6. Et tandem ſignificatur, *quòd per Reſurrectionem Chriſti tertium tempus incipiebat. Nam primum fuit ante Legem, ſecundum ſub Lege, tertium ſub Gratia. Incepit etiam in Chriſti Reſurrectione tertius ſtatus Sanctorum: nam primus fuit ſub figuris Legis, ſecundus ſub veritate Fidei, tertius erit in æternitate Gloriæ, quam Chriſtus inchoavit reſurgendo.* Ita Angelicus noſter Magiſter.

Huc pertinet etiam figura Jonæ Matth.12., de qua ſupra, & quod Oſeæ 6. v.3. *Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos.* Quæ de Chriſto tertio die reſurgente intelligunt S. Hieronym. in cap. 6. Oſeæ, dicens Dominus *non ſolùm curat, ſed vivificat poſt dies duos, & die tertiâ reſurgens ab inferis omne hominum ſecum ſuſcitat genus.* S. Auguſtin. lib. 18. de Civit. Dei c.28., Tertullianus lib. contra Judæos c.13., qui ex hoc Oſeæ Oraculo probat contra Judæos incredulos Chriſti Reſurrectionem, & in cœlum Aſcenſum his verbis: *Poſt biduum die tertiâ, quæ eſt Reſurrectio ejus glorioſa, de terra in cœlum eum recepit, unde & venerat ipſe ſpiritus ad Virginem, cujus Nativitatem neque Paſſionem Judæi agnoverunt.* Idipſum & alii Patres. Quomodo autem verificetur, Chriſtum tertiâ die ſurrexiſſe, oſtendi cap præcedenti §.3. 22., & videri poteſt apud S. Thomam dicto ar.2. ad 3.

§. III.

§. III.

De qualitate Corporis Chriſti reſurgentis.

XVIII. VEritate Reſurrectionis Chriſti ſtatutâ, ſupereſt videre cum S. Thoma 3.p. q.54., cujus conditionis eſſet Corpus ejus poſt Reſurrectionem. Et primò, an eſſet Corpus verum, an ſolùm phantaſticum & apparens. Secundò, an fuerit Corpus integrum, conſtans ſcilicet carne, oſſibus, nervis, & ſanguine. Tertiò, an habuerit dotes Corporis glorioſi. Quartò, an in eo remanſerit cicatrices plagarum, quas in paſſione ſuſcepit.

XIX. Circa primum ergo, certum ſecundùm fidem eſt, quòd Chriſtus in Reſurrectione reſumſit verum corpus humanum, & ejuſdem naturæ, imò idem, quod ante habebat: cùm ergo ante habuerit verum corpus, & non phantaſticum, ut Fides Catholica docet contra Manichæos; ſequitur, quòd etiam poſt Reſurrectionem verum corpus humanum habuerit. Probat hoc Sanctus Thomas q. 54. citatâ ar. 5. Quia juxta Damaſcenum lib. 4. Fidei Orthod. cap. ultimo: *Illud reſurgere dicitur, quod cecidit*: at corpus, quod per mortem, ideſt ſeparationem animæ ab ipſo, cecidit, erat verum corpus humanum, non apparens; ergo idem animæ ejus iteratò unitum fuit in Reſurrectione: ſi enim aliud aut alterius naturæ unitum fuiſſet, non fuiſſet Reſurrectio vera.

Secundò, Lucæ ultimo v.37. Chriſto poſt Reſurrectionem Diſcipulis apparente, *conturbati & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre*, ac ſi non haberet verum corpus, ſed phantaſticum: ad quod removendum ipſe eis dixit: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Vel ergo Chriſtus fefellit & mentitus eſt, Diſcipulis ita dicens, ſi veram carnem & vera oſſa non habuit, quod imaginari nefas eſt: vel veram carnem & vera oſſa habuit, & per conſequens verum corpus. Hinc S. Auguſtinus lib. de Agone Chriſtiano cap. 24. *Nec eos*, inquit, *audiamus, qui negant tale Corpus Domini reſurrexiſſe, quale poſitum eſt in monumento. Si enim tale non fuiſſet, non ipſe dixiſſet poſt Reſurrectionem Diſcipulis*,, Palpate & videte, quoniam ſpiritus oſſa & carnem non habet, ſicut me videtis habere,, *Sacrilegum eſt enim credere, Dominum noſtrum, cùm ipſe ſit Veritas, in aliquo fuiſſe mentitum.*

XX. Propterea cùm Eutychius Patriarcha Conſtantinopoli

litanus, ut refert S.Gregorius lib.14. Moral. cap.29. modò 56., aſſereret, corpus noſtrum in reſurrectione fore impalpabile, ventis aereque ſubtilius, idemque diceret de Corpore Chriſti poſt Reſurrectionem; idem S. Gregorius, tunc Pelagii II. Papæ ibi Legatus, coram Tiberio Imperatore utens prælaudatis Chriſti verbis, eum impugnare aggreſſus eſt. Quia verò reſpondebat Eutychius, quòd Dominus tunc quidem corpus palpabile habuit, ſed poſt confirmata corda palpantium, illud in ſubtilitatem redegit: inſtabat S. Gregorius: ſi hoc verum eſſet; ergo in Corpore Chriſti poſt Reſurrectionem aliquam mutationem & corruptionem admittis, & conſequenter, quòd Dominus rediit in mortem, dum corpus ejus de ſolido & palpabili facis in ſubtile & aereum reſolutum. Quod quis niſi ſtultus dicat, & niſi veram ejus Reſurrectionem neget, dicente Apoſtolo Rom.6. v.9. *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur?* Reponebat Eutychius, hoc ſe dicere, cum ſcriptum ſit 1. Cor.15. v.50. *Caro & ſanguis Regnum Dei poſſidere non poſſunt.* At Gregorius aliter inquit eſt caro ſecundùm culpam, aliter caro ſecundùm naturam; illa quidem in Reſurrectione non erit, quia tunc deſideria carnis ceſſabunt: iſta verò, nempè caro ſecundùm naturam, perſeverabit; hanc enim aſſumſit Verbum dum *Verbum Caro factum eſt*. Diſputatione igitur completâ, (quam apud Gregorium citato loco legere quis poterit) Imperator, Gregorio & Eutychio ſecretò vocatis, ac hinc inde penſatis rationibus, Eutychii librum de Reſurrectione flammis concremavit. Eutychius verò paulo poſt moriens, fertur, errorem ſuum morti proximus retractaſſe.

XXI. Eodem argumento S. Athanaſius Epiſt. ad Epictetum num.7. probat, Chriſtum habere corpus ex Maria, dicens: *Nam poſtquam a mortuis ſurrexiſſet, cùm quidam exiſtimarent, ſe non in corpore ex Maria genito Dominum adſpicere, ſed illius loco ſpiritum videre, dixit ille,* „ Videte manus meas & pedes meos & fixuras clavorum, quia ego ipſe ſum. Palpate me & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus„ *Ex quibus jure coarguantur, qui dicere auſi ſunt, Dominum in carnem & oſſa mutatum fuiſſe: non enim dixit, ut me videtis carnem & oſſa eſſe, ſed habere; ne ipſummet Verbum in res illas transformatum fuiſſe cenſeretur, ſed illas & ante mortem & poſt Reſurrectionem habere crederetur.* Quibus Apollinarium alioſque Hæreticos redarguit. Idem argumentum in Valentinum intorquent SS. Patres.

XXII. Obſtare tamen videtur primò: nam verum corpus

non poteſt ſimul cum alio eſſe in eodem loco; ſed Chriſtus poſt Reſurrectionem fuit cum alio corpore in eodem loco: intravit enim januis clauſis ad Diſcipulos, ut dicitur Joan. 20. v.19., & 26. exivit clauſo monumento; ergo non habuit verum corpus, ſed apparens.

XXIII. In hac re Acatholici recentiores, & Chriſtum penetrando fores intraſſe ad Diſcipulos, & penetrando lapidem exiſſe è monumento, communiter negant; ſed dicunt, quòd *ſicut aqua non ſecus ac ſolidum pavimentum Chriſto iter præbuit ſuper lacum ambulanti, ita nihil mirum, ſi ad ejus recurſum ſe flexit lapidis durities. Etſi probabilius eſt, ejus imperio amotum fuiſſe lapidem, & mox tranſitu dato in ſuum locum rediiſſe. Nec januis clauſis intrare tantumdem valet ac penetrare per ſolidam materiam, ſed ſibi aditum patefacere Divinâ virtute, ut repentè ſteterit inter ſuos Diſcipulos planè admirabili modo cum obſeratæ eſſent fores*. Ita Calvinus lib.4. Inſt. cap. 17. §. 29., Bullingerus autem ad cap. 20. Joan. dicit, vel Angelum fores ac lapidem Chriſto aperuiſſe, vel alium modum Chriſti potentiam. Idem ſentiunt alii Calvini gregales, Gualterus, Beza &c., in hoc conſpirantes, duo corpora non poſſe eſſe in eodem loco, nec unum cum altero penetrari.

XXIV. Catholici tamen omnes uno ſpiritu dicunt, quòd ſicut Corpus Chriſti clauſo utero Matris exivit (de quo ſupra dictum eſt) ita clauſo monumento egreſſus fuit, & januis clauſis intravit ad Diſcipulos; non quia lapis aut fores fuerint emollitæ aut rarefactæ, vel ab Angelo apertæ, & ſubitò clauſæ; ſed quia Chriſtus Divinâ virtute tam lapidem ſepulchri, quàm fores penetravit. Neque hoc tollit veritatem corporis; nam, ut ait Hieronymus Epiſt.86. aliàs 27. ad Euſtochium, ſi ſemel dicatur, Corpus Chriſti aereum & ſpirituale fuiſſe, quia reſurgens clauſo monumento exivit, & clauſis januis ad Diſcipulos intravit, eâdem ratione *Antequam pateretur, quia contra naturam graviorum corporum ſuper mare ambulavit, ſpirituale corpus habuit; & Apoſtolus Petrus, quia & ipſe ſuper aquas pendulo inceſſit gradu, ſpirituale corpus habuiſſe credendus eſt*; Quod tamen nemo dixerit.

Sic ergo Chriſtus, licèt poſt Reſurrectionem è clauſo monumento exierit, & clauſis januis ad Diſcipulos intraverit, verum corpus habuit; quia licèt unum corpus naturaliter non poſſet cum alio penetrari, & eſſe in eodem loco cum illo, id tamen Deo ſic volente poteſt, quia cùm expulſio alterius corporis ab eodem loco ſit effectus ſolùm ſecundarius quantitatis, ut Philoſophi docent, poteſt Divinâ virtute ſalvâ ratione corporis impe-
di-

diri. Unde, inquit S. Thomas ar.1. citato ad 1., *Non ex natura corporis, ſed potiùs ex virtute Divinitatis unita, illud corpus ad Diſcipulos, licèt verum eſſet, clauſis januis introivit*: & affert auctoritatem S. Auguſtini Tract. 121. ſuper Joan. dicentis: *Moli corporis, ubi Divinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt: ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo naſcente Virginitas Matris inviolata permanſit*. Simili ergo modo è monumento clauſo egreſſus eſt, non lapide amoto, nec rarefactâ ejus duritie, ſed lapidem penetrando, & ejus duritie minimè obſiſtente, ſicut aquarum fluiditas ei non obſtitit, ne ſuper illas ambularet. Revolutus quidem fuit deſcendente Angelo monumenti lapis, non tamen ut Chriſtus reſurgeret, & è monumento exiret, jam enim ſurrexerat & exierat; ſed ut mulieres poſſent ingredi & videre ſepulchrum vacuum. Quo fit, ut hora, qua Chriſtus reſurrexit, ignota ſit, nec certò ſtatui poſſit. Ita S. Hieronymus Ep. aliàs 150. (modò inter Criticas) ad Hedibiam qu.6. dicens: *Angelum autem non putemus idcircò veniſſe, ut aperiret ſepulchrum Domino reſurgenti, & revolueret lapidem: ſed poſtquam Dominus reſurrexit, horâ, quâ ipſe voluit, & quæ nulli mortalium cognita eſt, indicaſſe quod factum eſt*. In Catholica hac ſententia conveniunt Patres, Epiphanius hæreſi 20., Chryſologus ſerm.75., Bernardinus ſerm.1. in die S. Paſchæ.

XXV. Nec dicant Sectarii, hoc fieri non potuiſſe, dicant potiùs, ſe capere non poſſe, quomodo factum ſit, cùm tamen factum ſit. Ita eos monet Auguſtinus de Agone Chriſtiano c.24. his verbis: *Nec nos moveat, quòd clauſis oſtiis ſubitò eum apparuiſſe Diſcipulis ſcriptum eſt, ut propterea negemus illud fuiſse corpus humanum, quia contra naturam hujus corporis videmus eſse per clauſa oſtia intrare. Omnia enim poſſibilia ſunt Deo. Nam & ambulare ſuper aquas contra naturam hujus corporis eſse manifeſtum eſt: & tamen non ſolùm ipſe Dominus ante paſſionem ambulavit, ſed etiam Petrum ambulare fecit: ita ergo & poſt Reſurrectionem de corpore ſuo fecit, quod voluit. Si enim potuit ante paſſionem clarificare illud, ſicut ſplendorem ſolis, quare non potuit & poſt paſſionem ad quantam vellet ſubtilitatem in temporis momento redigere, ut per clauſa oſtia poſset intrare?*

S. Hilarius etiam lib.3. de Trinit. num.20. *Quæro ergo*, inquit, *per quas clauſæ domus partes ſe ſe corporeus intulerit. Diligenter enim Evangeliſta expreſſit, dicens*, „Venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio„ *An conſtructa parietum penetrans, & ſolida lignorum, naturam eorum impenetrabilem tranſcurrit? ſtetit namque corporeus, non ſimulatus aut fallax. Sequantur ergo oculi mentis*

tis tuæ penetrantis ingreſſum, & cum eo clauſam domum intelligentiæ tuæ viſus introeat. Integra ſunt omnia & obſerata: ſed ecce aſſiſtit medius, cui per virtutem ſuam univerſa ſunt pervia. Inviſibilibus calumniaris: ego à te viſibilium expoſco rationem. Nihil cedit ex ſolido, neque per naturam ſuam aliquid tanquam lapſu inſenſibili ligna & lapides admittunt. Corpus Domini à ſeſe non deficit, ut ſeſe reſumat ex nihilo: & unde qui aſſiſtit, in medio eſt? Cedit ad hæc & ſenſus & ſermo, & extra rationem humanam eſt veritas facti. Hæc Hilarius, quæ egreſſui à monumento clauſo aptari poſſunt; eadem enim ratio eſt.

XXVI. Obſtare videtur ſecundò: Verum corpus non evaneſcit ab oculis intuentium, niſi fortè corrumpatur; nec mutat figuram ſibi determinatam. Sed Corpus Chriſti poſt Reſurrectionem evanuit ab oculis Diſcipulorum eum intuentium, Lucæ ult.; & inſuper apparuit in alia effigie, Marci ult. Non habuit ergo Chriſtus poſt Reſurrectionem verum corpus humanum.

XXVII. Reſpondeo ex S. Thoma ar. 1. citato ad 2., quòd Chriſtus evanuit ab oculis Diſcipulorum, non ſolùm virtute Divinitatis, ſed etiam ratione ſtatus gloriæ, quâ fit, ut corpus ſit ſpirituale, ideſt ſpiritui plenè ſubjectum, ac proinde ſpiritus habeat in ſua poteſtate omnem actionem & efficientiam ſui corporis. Unde ſequitur, quòd beatus habet facultatem pro ſua voluntate retinendi, ne corpus ſuum ſpecies ſenſibiles, quas ſecundùm ſe natum eſt fundere, emittat ad oculos intuentium. Et ſic Chriſtus evanuit, aut ſuâ voluntate faciens, ut non videretur; quod fecerat etiam adhuc mortalis Lucæ 4. v.30., ubi dicitur: *Jeſus autem tranſiens per medium illorum ibat*: aut per dotem agilitatis, ſubitò ſe in alium locum transferens.

Quòd verò interdum ſub diverſa forma aut effigie apparuerit, non fuit, ut ait S. Thomas ad 3., quòd lineamenta membrorum mutaverit, ſicut nec in Transfiguratione mutaverat: ſed *ſicut in poteſtate ejus erat, ut corpus ſuum videretur, vel non videretur: ita in poteſtate ejus erat, ut ex ejus aſpectu formaretur in oculis intuentium vel forma glorioſa vel non glorioſa, aut etiam commixta, vel qualitercumque ſe habens: modica tamen differentia ſufficit ad hoc, quòd aliquis videatur in aliena effigie apparere.*

* * *

§. IV.

§. IV.

An Corpus Chriſti reſurgentis fuerit integrum.

XXVIII. HOc eſt alterum, quod §. præced. propoſuimus examinandum, in quo nobis negotium erit contra modernos Hæreticos, præſertim Calviniſtas, qui, ut excludant realem Corporis Chriſti præſentiam in Euchariſtia, ſicut negant, duo corpora poſſe ſimul eſſe in eodem loco: ita ut excludant Tranſubſtantiationem vini in Sanguinem Chriſti, dicunt Chriſti Corpus poſt Reſurrectionem fuiſſe exangue, & ſine ſanguine. Concors tamen Catholicorum ſententia eſt, Corpus Chriſti poſt Reſurrectionem fuiſſe integrum, & conſtans carne, oſſibus, nervis, & ſanguine, ut erat ante.

XXIX. Igitur ſecundùm Fidem tenendum eſt, in Corpore Chriſti poſt Reſurrectionem fuiſſe omnes partes ipſum integrantes ut priùs, & etiam ſanguinem. Nam, ut docet S. Thomas dicta q. 54. a. 2., *Corpus Chriſti in Reſurrectione fuit ejuſdem naturæ, ſed alterius gloriæ. Unde quidquid ad naturam corporis humani pertinet, totum fuit in Corpore Chriſti reſurgentis. Manifeſtum eſt autem, quòd ad naturam corporis humani pertinent carnes & oſſa & ſanguis & alia hujuſmodi. Et ideò omnia iſta in Corpore Chriſti reſurgentis fuerunt; & etiam integraliter abſque omni diminutione: alioquin non fuiſſet perfecta Reſurrectio, ſi non fuiſſet redintegratum quidquid per mortem occiderat: unde & Dominus Fidelibus ſuis promittit, dicens Matth.* 10. „ Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt „ & *Lucæ* 21. *dicitur*, „ capillus de capite veſtro non peribit, „. Hæc S. Thomas, „ Super quæ ultima verba ſic diſcurro. Si Chriſtus promittit Fidelibus ſuis, qui pro ipſo animam ſuam daturi ſunt, nihil eorum nec capillum in generali Reſurrectione periturum; credibile erit, Deum & Chriſtum ipſum permiſiſſe, ut aliquid corporis, quod in Cruce tradidit, & totus ſanguis, quem fudit, perierit, nec in Reſurrectione reſumtus fuerit? Si caro, oſſa, ſanguis in generali Reſurrectione, imo & capilli reſurgent, cur in Chriſti Reſurrectione omnia hæc non ſurrexerunt, cum Reſurrectio Chriſti exemplar ſit noſtræ? Unde S. Auguſtinus ſerm. 31. (aliàs 45. de Sanctis) cap. 2. *Numquid*, inquit, *perierunt, quando ſecuritatem à Domini etiam de capillo acceperunt. Perit manus, ubi non perit pilus? perit caput, ubi non perit capillus? ubi non perit palpebra, perit oculus?* Addam ego, perit ſanguis?

XXX. *Di-*

XXX. *Dicere autem* (proſequitur S. Thomas) *quòd Corpus Chriſti carnem & oſſa non habuerit, & alias hujuſmodi partes humano corpori naturales, pertinet ad errorem Eutychii Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopi, qui dicebat* (ut ſuperius oſtendi ex S. Gregorio 14. Moral. cap. 29.) *quòd* ,, corpus noſtrum in illa Reſurrectionis gloria erit impalpabile, & ventis aereque ſubtilius, & quòd Dominus poſt confirmata corda Diſcipulorum palpantium, omne illud, quod in eo palpari poterit, in ſubtilitatem aliquam redegit : *Quòd ibidem improbat Gregorius* (& homil. 26. in Evang.) *quia Corpus Chriſti poſt Reſurrectionem immutatum non fuit, ſecundùm illud Roman. 6.* ,, Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur ,, . *Unde & ille, quæ dixerat, in morte retractavit : ſi enim inconveniens eſt, ut Chriſtus alterius naturæ corpus in ſua conceptione acciperet, puta cæleſte, ſicut Valentinus aſſeruit, multò magis inconveniens eſt, quòd in Reſurrectione alterius naturæ corpus reſumſerit : quia corpus in reſurrectione reſumſit ad vitam immortalem, quod in conceptione aſſumſerat ad vitam mortalem.*

XXXI. Chriſtum tamen non reſumſiſſe ſanguinem, probant primò : Sanguis eſt alimentum deſerviens nutritioni animalis : ſed Corpus Chriſti poſt Reſurrectionem, utpotè glorioſum, alimento non indiget, ſicut nec nutritione : ergo nec indiget ſanguine.

Secundò : Sanguis eſt unus de quatuor humoribus ; ſi ergo Chriſtus reſurgens habuit ſanguinem, habuit etiam alios humores, ex quibus cauſatur corruptio in corporibus animalium : & ſic habuit corpus corruptibile.

Tertiò : S. Auguſt. Epiſt. 205. aliàs 146. ad Conſentium, qui ab eo quæſierat : *Utrum nunc Corpus Chriſti Domini oſſa & ſanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta?* Reſpondet Sanctus Doctor, ſe nec inquirere nec definire velle, *an Chriſtus ſanguinem haberet nec ne*, hiſce verbis : *Fides adſit, & nulla quæſtio remanebit, niſi fortè de ſanguine requirendum eſt, quia cùm dixiſſet:* ,, Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet ,, *non addidit* Sanguinem. *Non ergo & nos addamus inquirere, quòd ille non addidit dicere : & de compendio, ſi placet, finita ſit quæſtio.* Saltem ergo dubitavit, nec ad Fidem pertinere cenſuit S. Auguſtinus, quòd Chriſtus poſt Reſurrectionem habuerit ſanguinem.

Quartò : Corpus Chriſti totum, quale reſurrexit, aſcendit in cœlum, nihil ſui in terris relinquens: ſed in terris multas ſui ſanguinis partes reliquit, quæ in variis orbis Eccleſiis aſſervantur : ergo ſanguinem reſurgens non reſumſit. Hæc ſunt Adverſariorum fundamenta, quibus tamen reſpondeo.

XXXII.

XXXXII. Ad primum dico, ſanguinem non solùm deſervire nutritioni, ſed etiam eſſe partem corporis humani, qua temperatur & conſervatur in debita diſpoſitione, ac proinde neceſſariam, ut corpus ſit ſuſceptivum animæ: unde ſicut in generatione corpus ſine ſanguine non eſt idoneum ad animam ſuſcipiendam, ſic nec in reſumtione ad animam ſibi reuniendam.

XXXIII. Ad ſecundum dico, quód hanc inſtantiam ſibi proponit S. Auguſtinus Epiſt. laudata ad Conſentium his verbis: *Fortaſſis enim, acceptâ occaſione ſanguinis, urgebit nos moleſtior perſcrutator, & dicet. Si ſanguis* (in corpore Chriſti reſurgentis) *fuit, cur non & pituita* (ideſt phlegma) *cur non & fel flavum* (ideſt cholera) *& fel nigrum?* (ideſt melancholia) *quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam medicinæ diſciplina teſtatur.* Reſpondet S. Auguſtinus: *Sed quodlibet quiſque addat, corruptionem addere caveat, ne ſuæ fidei ſanitatem, caſtitatemque corrumpat.* Deinde addito exemplo de igne Babylonico, qui ligna comburendo corrupit, tres autem pueros nec combuſſit nec corrupit: *Quid veremur*, inquit, *ne carnem facere nequiverit non poſſe corrumpi, qui fecit ignem non poſſe corrumpere?* & poſt multa concludit: *Valet igitur Divina potentia de iſta viſibili atque tractabili natura corporum, quibuſdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates, ac per hoc valet etiam membra mortalia, formæ lineamentis manentibus, corruptione verò mortalitatis emortuâ, ſtabili vigore firmare, ut abſit labes adſit effigies, adſit motio abſit fatigatio, adſit veſcendi poteſtas abſit eſuriendi neceſſitas.* Hæc ex Auguſtino etiam S. Thomas ar. 2. citato ad 2. Fuit igitur in corpore Chriſti poſt Reſurrectionem, ſicut & in generali erit, ſanguis puriſſimus, fuerunt humores defæcatiſſimi ad corporis humani temperiem & integritatem neceſsarii, non ad corruptionem diſponentes, ſed corpus in impaſſibili ſtatu conſervantes. Sic D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 1. ar. 2. qu. 3. *Quidquid*, inquit, *pertinet ad integritatem humanæ naturæ in reſurgente, hoc totum in eo reſurget...: unde oportet, quòd illa humiditas corporis reſurgat in homine, quæ ad integritatem ejus pertinebat* (& hujus generis dicit, quòd ſunt ſanguis, & alii tres humores) *Et ideò reſurgent cum aliis partibus.*

XXXIV. Ad tertium dico, S. Auguſtinum non dubitaſse, an Chriſti Corpus poſt Reſurrectionem habuerit verum ac vitalem ſanguinem, hoc enim priſca ſeculorum docuit Fides, qua vinum in Chriſti Sanguinem in altaris ſacrificio converti ſemper profeſsa eſt, de qua tantùm abeſt, ut dubitaverit Auguſtinus, quin potiùs modis omnibus aſtruit lib. 3. de Trinit. cap. 10., & li-

Digitized by Google

& libr. 17. de Civit. Dei cap. 20. Si quam verò dubitationem habuiſse viſus eſt S. Doctor, ſeu veriùs declinare voluit quæſtionem, non de ſanguine naturali ac vitali ad naturam veri corporis humani pertinente, ſed de nutrimentali & excrementitio, qui cum humoribus confunditur, & adhuc corruptioni ſubjicitur, de quo, ut ſuperiùs dictum eſt, quæſitum Conſentii loquebatur. Et hanc eſſe germanam S. Auguſtini mentem liquet ex præfata Epiſtola. Idcircò enim à propoſitæ ſolutione quæſtionis abſtinere ſe ait, quia perinde quæri ab aliquo poſſet, num glorioſum Chriſti Corpus aliis humoribus, pituita ſcilicet, atra flavaque bili coaleſcat. Quod ſanè argumento eſt, de ſolo humore ſanguineo, ac nondum ad ſanguinis vitalis ac naturalis naturam perducto, quæſtionem fuiſſe illi propoſitam, deque ſolo illo noluiſſe decernere, utpotè re ſupervacaneâ, ſolumque afferre voluit Chriſti dictum: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*, nulla ſanguinis factâ mentione. Qui autem palpat & videt carnem vegetam atque viventem, qualis tunc erat caro Chriſti, conſequenter quoque palpat & videt carnem non exanguem, ſed ſanguinem vitalem & naturalem in venis habentem. Hæc dixi, ut ſileam, S. Auguſtinum ad calcem præfatæ Epiſtolæ ſignificare, ſcribere ſe feſtinanti calamo, urgente perlatoris diſceſſu, ideòque ſatis non ſupereſſe otii ad propoſitam ſibi quæſtionem maturè expendendam & reſolvendam. Sic enim dictam Epiſtolam 205. claudit: *Cum iſta dictarem, perlator jam ventum expectans, me vehementer, ut navigaret, urgebat. Itaque ſi quid hìc inconditè atque incautè dictum legeris, vel ſi totum ita eſſe perſpexeris, doctrinæ da operam, linguæ veniam.*

XXXV. Ad quartum dicit S. Thomas ad tertium: *Quòd totus ſanguis, qui de Corpore Chriſti fluxit, cùm ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in corpore Chriſti reſurrexit: & eadem ratio eſt de omnibus particulis ad veritatem & integritatem humanæ naturæ pertinentibus: ſanguis autem ille, qui in quibuſdam Eccleſiis pro reliquiis conſervatur, non fluxit de latere Chriſti, ſed miraculosè dicitur effluxiſſe de quadam imagine Chriſti percuſſa.* Sed quia hìc S. Doctor loquitur ſecundùm opinionem ſuam, quòd totus ſanguis in Paſſione effuſus fuerit in Reſurrectione reſumtus, à qua in præſens abſtinere volo: ideò contra Sectarios, cum quibus res eſt, dico, Chriſtum reſurgendò reſumſiſſe totum Sanguinem vitalem & naturalem, qui ad integritatem ſui corporis neceſſarius erat. Quòd ſi aliquæ guttæ ejuſdem remanſerunt in terris, iſtæ vel non erant ſanguis naturalis & vitalis, ſed excrementitius,
qui

qui numquam fuit aſſumtus à Verbo; vel ſi aliqua pars veri Sanguinis reſumta non fuit, & manſit in terris, iſta deſiit eſſe unita Verbo, ſtatim ac fuit effuſa. Illud autem axioma: *Quod ſemel aſſumſit numquam dimiſit*, exponi poteſt de eo, quod per ſe pertinet ad integritatem Corporis Chriſti, quales non reputantur guttæ Sanguinis, quæ remanſerunt in terris. Ita probabiliter ad rem præſentem.

Quæri ſolet, an Chriſtus in Reſurrectione reſumſerit Præputium. Sed cùm de hoc jam actum ſit ſupra cap. 9. de Circumciſione Chriſti §. 4. Ideò ſtudioſum illuc remitto.

§. V.

An fuerit Glorioſum, & Cicatrices habuerit.

XXXVI. HÆc duo examinanda ſupra propoſuimus. Suppono circa primum cum Theologis, quatuor eſſe Dotes, quibus corpora glorioſa donantur, Claritatem, Impaſſibilitatem, Subtilitatem, Agilitatem.

Corpus igitur Chriſti hiſce Dotibus ornatum reſurrexiſſe, probat S. Thomas dicta q. 54. ar. 3. triplici ratione. Primò, quia, ut dicitur, Reſurrectio Chriſti fuit exemplar & cauſa noſtræ reſurrectionis, ut habetur 1. Cor. 15. v. 20. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* Sancti autem in reſurrectione habebunt corpora glorioſa: unde ibidem v. 43. dicitur: *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute, ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.* Cùm ergo cauſa ſit potior cauſato, & exemplar exemplato, multò magis Corpus Chriſti ſurrexit in gloria, in virtute, fuitque glorioſum.

XXXVII. Secundò, quia per humilitatem paſſionis meruit gloriam Reſurrectionis: unde & ipſe dicebat Joan. 12. v. 27. *Nunc anima mea turbata eſt*, quod pertinet ad paſſionem: & poſtea ſubdit: *Pater clarifica nomen tuum*, in quo petit gloriam Reſurrectionis: & in ſignum, quòd exaudita eſſet ejus petitio, ſubjungitur: *Venit ergo vox de cœlo: & clarificavi, & iterum clarificabo.* Super quæ S. Auguſtinus Tract. 52. in Joan. „ *Et clarificavi*,„ inquit, *cum de Virgine natus eſt, cum virtutes operatus eſt, cùm cœlo indice per ſtellam à Magis adoratus eſt, cùm à Sanctis Spiritu Sancto plenis agnitus eſt, cùm deſcendente Spiritu in ſpecie Columbæ declaratus, cùm voce de cœlo ſonante monſtratus, cùm in monte transfi-*

guratus, cùm miracula multa fecit, cùm multos ſanavit atque mundavit, cùm de pauciſſimis panibus tantam multitudinem pavit, cùm ventis & fluctibus imperavit, cùm mortuos ſuſcitavit:,, Et iterùm clarificabo ,, *cùm reſurget à mortuis, cùm mors ei ultra non dominabitur, cùm exaltabitur ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram Gloria ejus*.

XXXVIII. Tertiò, quia, ut omnes fatentur, licèt Anima Chriſti à principio ſuæ conceptionis fuerit glorioſa per fruitionem perfectam Divinitatis, diſpenſativè tamen factum eſt, ut ab anima gloria non redundaret in corpus, ad hoc ut myſterium noſtræ Redemtionis ſuâ paſſione impleret; ergo hoc myſterio paſſionis & mortis conſummato, ſtatim anima in corpus reſurrectione reſumtum gloriam ſuam derivavit, & illud glorioſum effecit.

Et ſanè Corporis glorioſi Dotes corpus ſuum poſt Reſurrectionem habere, Scripturæ docent, & experimentis Chriſtus comprobavit: Claritatis quidem teſtatur Paulus ad Philip. 3. v. 21. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori Claritatis ſuæ*: Impaſſibilitatis, ad Rom. 6. v. 9. *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*: Subtilitatis, Lucæ ultimo, & Joan. 20., cùm intravit ſæpiùs in Cœnaculum *januis clauſis, & evanuit ab oculis eorum*: Agilitatis demum, cùm in Judæa ſuſcitatus, momento in Galilæa viſus fuit, nulloque alieno ſubſidio in cœlum tandem aſcendit.

XXXIX. Non refert primò, quòd cum Claritas Corporis glorioſi ſit eſſe lucidum juxta illud Matth. 13. v. 43. *Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol*: Chriſtus autem poſt Reſurrectionem ſemper ſub ſpecie coloris humani, ut ante, apparuit, & numquam ſub ſpecie lucis.

Reſpondetur enim ex S. Thoma ar. 3. citato ad primum. Quòd (ut ait S. Auguſt. Epiſt. 56., modò 118. ad Dioſcorum) *Claritas Corporis glorioſi eſt ſecundùm colorem humano corpori naturalem: ſicut vitrum diverſimodè coloratum, recipit ſplendorem ex illuſtratione ſolis ſecundùm modum ſui coloris. Sicut autem in poteſtate hominis glorificati eſt, ut corpus ejus videatur, vel non videatur ... ita in poteſtate ejus eſt, quòd claritas ejus videatur, vel non videatur: unde poteſt in ſuo colore ſine aliqua Claritate videri. Et hoc modo Chriſtus ſuis Diſcipulis poſt Reſurrectionem ſuam apparuit*. Ideò autem noluit poſt Reſurrectionem Claritatem ſui corporis Diſcipulis exhibere, ſicut eam exhibuerat in Transfiguratione; quia voluit Chriſtus ante mortem oſtendere ſuæ majeſtatis Gloriam, quam maximè demonſtrat Claritas Corporis glorioſi,

rioſi, ne infirmitatem paſſionis ejus deſpicerent Apoſtoli. At poſt Reſurrectionem voluit potiſſimùm Chriſtus oſtendere veritatem carnis, quæ pro nobis paſſa erat: cui oſtenſioni obſtitiſſet corporis Claritas, quia eam infirmi Diſcipulorum oculi irretortâ acie ferre non potuiſſent, nec de veritate ſuæ carnis certiores fieri; ſed potiùs eum phantaſma eſſe judicaſſent.

XL. Nec refert ſecundò, quòd Corpus Chriſti fuerit palpabile, quaſi hoc indicet, illud fuiſſe corruptibile, juxta dictum Gregorii homil. 26. in Evang. *Corrumpi neceſſe eſt, quod palpatur, & palpari non poteſt, quod non corrumpitur.*

Nam reſpondeo ex eodem Thoma ad ſecundum, Corpus Chriſti, ex quo palpabile, fuiſſe ex qualitatibus elementaribus conſtans, quæ ſunt materia tactus, ideòque naturâ ſuâ fuiſſe corruptibile, ſi nihil aliud ſupra corporis humani naturam habuiſſet: ſed quia habuit aliquid, quod ipſum incorruptibile reddit, ſcilicet gloriam redundantem ex anima beata; quia, ut Auguſtinus dicit laudata Epiſt. 118. aliàs 56. ad Dioſcorum cap. 3. *Tam potenti naturâ fecit Deus animam, ut ex ejus pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod eſt corpus, non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis eſt propria, ſed plenitudo ſanitatis, ideſt incorruptionis vigor*: Et ideò S. Gregorius citato loco dicit: *Oſtenditur Corpus Chriſti poſt Reſurrectionem fuiſſe ejuſdem naturæ, ſed alterius gloriæ.*

XLI. Neque (tertiò) glorioſæ ejus Impaſſibilitati adverſatur, quòd alimenta ſumſerit, & verâ comeſtione ſe habere verum corpus oſtenderit; Nam reſpondet S. Thomas ad tertium, ex S. Auguſt. lib. 3. de Civit. Dei cap. 22. *Salvator noſter poſt Reſurrectionem, jam quidem in ſpirituali carne, ſed tamen vera, cibum & potum cum Diſcipulis ſumſit*; non alimentorum indigentiâ, ſed eâ, quâ hoc poterat poteſtate (*Non enim poteſtas, ſed egeſtas edendi ac bibendi talibus corporibus auferetur*) non quidem ut cibum & potum in ſui ſubſtantiam converteret, ſed in præjacentem materiam, & in vapores reſolveret, eo modo, quo ſolis radius aquam abſumit; non uniendo ſibi, ſed in vapores reſolvendo. Ut enim Beda dicit ſuper Lucam cap. 97. *Aliter abſorbet aquam terra ſitiens, aliter ſolis radius calens, illa indigentiâ, iſte potentiâ.* Unde concludit S. Thomas: *Manducavit ergo poſt Reſurrectionem, non quaſi cibo indigens, ſed ut eo modo naturam corporis reſurgentis adſtrueret; & propter hoc non ſequitur, quòd fuerit ejus corpus animale, quod eſt indigens cibo.*

Non tamen ob id deſiit eſſe vera comeſtio, cùm talis naturæ cor-

corpus illud eſſet, in quod cibus naturaliter converti debuiſſet. Hinc videas diſcrimen inter comeſtionem Chriſti poſt Reſurrectionem, & Angeli puta Raphaelis, dum Tobiam juniorem in itinere duceret. Chriſti enim comeſtio fuit vera comeſtio, quia facta in corpore habente organa requiſita ad comedendum, & ſuapte natura ad comedendum idoneo, licèt per accidens cibus in ejus ſubſtantiam non converteretur, nec ipſum nutriret. Sed comeſtio Raphaelis ficta fuit & prorsùs apparens, quia corpus ab ipſo aſſumtum, utpotè ex aere concretum, nec comedere naturâ ſuâ peteret, nec nutriri capax eſſet. Quod ille utrique Tobiæ patri & filio tandem denuntiavit, dicens: *Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere; ſed ego cibo inviſibili & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.* Tobiæ 12. v. 19.

XLII. Nunc de Vulnerum Cicatricibus, quas in corpore Chriſtus reſurgens ſervare voluit, agendum eſt. Has ergo in Corpore etiam glorioſo reſumere voluit, ait S. Thomas dictâ q. 54. ar. 4., primò ad majorem ſui gloriam: dicit enim Beda ſuper Lucam cap. 97. Quòd *non ex impotentia curandi Cicatrices ſervavit, ſed ut in perpetuum victoriæ ſuæ circumferat triumphum*: unde Auguſt. lib. 22. de Civit. Dei cap. 20. *Fortaſſis*, inquit, *in illo regno in corporibus Martyrum videbimus vulnerum cicatrices, quæ pro Chriſti nomine pertulerant: non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit; & quamvis in corpore, non corporis ſed virtutis pulchritudo fulgebit.* Secundò, ad confirmanda Diſcipulorum corda circa fidem ſuæ Reſurrectionis, ut videlicet viderent ipſum eundem eſſe, qui crucifixus mortuus fuerat. Tertiò, ut Patri pro nobis ſupplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, ſemper oſtendat. Quartò, ut propoſitis ſuæ mortis indiciis, quàm miſericorditer ſint adjuti, electis inſinuet. Et tandem ut reprobis, quàm juſtè damnentur, in judicio denuntiet, eoſque pudore ſuffundat: unde Auguſtinus ſerm. 2. de Symbolo cap. 8. Chriſtus, inquit, *ſicut demonſtravit Thomæ non credenti, niſi tangeret & videret; ita etiam inimicis ſuis vulnera demonſtraturus eſt ſua. Propter quod dictum eſt per Prophetam* (Zachar. 12. v. 10.) „videbunt, in quem pupugerunt„ *non ut eis dicat, ſicut Thomæ* „quia vidiſti & credidiſti„ *ſed ut convincens eos Veritas dicat: Ecce hominem, quem crucifixiſtis; ecce Deum & hominem, in quem credere noluiſtis. Videtis vulnera, quæ inflixiſtis, agnoſcitis latus, quod pupugiſtis: quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis* &c.

XLIII. Ex his apparet, quòd, ut docet S. Thomas ar. 4. citato loco ad 3., Chriſtus in ſuo corpore voluit Cicatrices remanere,

re, non ſolùm ad certificandam Diſcipulorum fidem, ſed etiam propter alias rationes. Unde Auguſt. Epiſt.146., modò 205. ad Conſentium cap.1. *Domini*, inquit, *Corpus ita in cælo eſſe credo, ut erat in terra, quando aſcendit in cælum.... Sicut eorum* (Diſcipulorum) *cùm eſſet in terra, contrectatus eſt manibus; ſic eorum eſt, cum iret in cælum, deductus aſpectibus. Ibi vox angelica ſonuit*: „Sic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum„ *Fides adſit, & nulla quæſtio remanebit*. Nec ſibi contrarius eſt, cum Epiſt.102. olim 49. ad Deo-gratias qu.1. dicit: *Chriſtus poſt Reſurrectionem Cicatrices, non Vulnera demonſtraſſe*: nam negat oſtendiſſe vulnera, qualia præceſſerant, & qualia communiter intelligimus, ſcilicet aperturas in corpore dolorem & corruptionem inferentes: unde Ambroſius lib.10. in Luc. cap. ult. dicit: *Vulnera ſuſcepta pro nobis cælo inferre maluit, ut Deo Patri noſtræ pretia libertatis oſtenderet*.

XLIV. Nec ſola ſuperficialia vulnerum ſigna ac veſtigia reſumſit Chriſtus in Reſurrectione, ſed etiam foramina & fixuras, quas infixerant clavi & lancea. Cùm enim Joan.20. v.25. dixiſſet Thomas incredulus: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manum meam in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*: Chriſtus poſt dies octo apparens, dixit Thomæ: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*. Vidit ergo Thomas fixuram clavorum, miſit manum in latus Chriſti: ergo Chriſtus retinebat non ſolùm ſigna, ſed foramina in manibus & latere à clavis & lanceâ inflicta. Nec hujuſmodi aperturæ derogabant integritati corporis, quia per eas corpus diſcontinuatur. Etenim ut dicit S. Thomas ad 2. *Quamvis illa apertura vulnerum ſit cum quadam ſolutione continuitatis, totum tamen hoc recompenſatur per majorem decorem gloriæ, ut corpus non ſit minùs integrum, ſed magis perfectum*; erat enim inſigne virtutis & trophæum reportati triumphi. Nec fixuras illas Thomâ in fide ſolidato clauſit, ut volebat Eutychius, ſed ſemper retinuit, & adhuc in cœlis retinet, quia ut dicit Gregorius 14. Moral. cap.29. In corpore Chriſti poſt Reſurrectionem nihil potuit immutari.

* * * *

§. VI.

§. VI.

An Chriſtus Primus reſurrexerit.

XLV. Difficultatem faciunt verba Matthæi cap. 27. v. 13. dicentis, quòd mortuo Chriſto *Monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt:* cùm ergo Chriſtus triduo poſt ſurrexerit, non videtur fuiſſe primus, qui à mortuis ſurrexerit. Accedit etiam, quòd multi ante adventum Chriſti, alii, ipſo adhuc vivente, ut ex Scriptura & Evangeliis apparet, fuerunt à mortuis excitati. Non ergo fuit primus reſurgentium.

XLVI. Attamen S. Thomas 3.p. q 53. ar.3. oſtendit, Chriſtum fuiſſe omnium reſurgentium primum, tum ex Apoſtolo 1. Cor. 15. v.20. *Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium*: ſuper quæ Gloſſa ait, *quia priùs tempore & dignitate ſurrexit;* atque idem S. Thomas in cap. 15. 1. ad Cor. Lect. 3. affert etiam illud Apoc. 1. v. 1., ubi Chriſtus dicitur *Primogenitus mortuorum*, ideſt *qui in ſpe reſurrectionis requieſcunt;* quia ſi Chriſtus, qui eſt primitiæ dormientium reſurrexit; ergo & alii dormientes reſurgent, & quia ſicut primitiæ fructuum præcedunt alios ſequentes fructus & tempore & dignitate, ita Chriſtus, qui primitiæ reſurgentium eſt, præceſſit ſuâ Reſurrectione reſurrectionem aliorum. Æquum autem fuiſſe, ut Chriſtus eſſet primitiæ dormientium, probat ibidem; tum in generali, quia ſicut mors in humanam naturam intraverat per hominem, ita decuit, ut per hominem redintegraretur ad vitam; tum in ſpeciali, quia ſicut mors intraverat per primum hominem Adam, ita decuit, ut per ſecundum Adam Chriſtum rediret ad vitam. Ita diſcurrit S. Thomas in cap.15. 1. ad Cor. Lect.3. citata.

XLVII. In corpore autem hujus ar. 3. dicit, quòd cùm Reſurrectio ſit reparatio à morte in vitam, dupliciter poteſt quis eripi à morte: *Uno modo ſolùm à morte in actu, ut ſcilicet aliquis vivere incipiat qualitercumque, poſtquam mortuus fuerat. Alio modo, ut aliquis liberetur non ſolùm à morte, ſed etiam à neceſſitate, & quod plus eſt, à poſſibilitate moriendi. Et hæc eſt vera & perfecta reſurrectio: quia quamdiu aliquis vivit ſubjectus neceſſitati moriendi, quodammodo mors ei dominatur ſecundùm illud Rom.*8. „Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum„ *Illud etium, quod poſſibile eſt eſſe, ſecundùm quid dicitur eſſe, ideſt potentialiter. Et ſic patet, quòd illa reſurrectio, qua quis eripitur ſolùm ab actuali morte,*

te, eſt reſurrectio imperfecta. Loquendo igitur de reſurrectione perfecta, Chriſtus eſt primus reſurgentium: quia ipſe reſurgendo primò pervenit ad vitam penitùs immortalem, ſecundùm illud Roman. 6. „Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur,„ *Sed reſurrectione imperfectâ quidam alii reſurrexerunt ante Chriſtum, ad præmonſtrandum quaſi in quodam ſigno reſurrectionem ipſius.*

XLVIII. Ex his evaneſcit, quod ſecundo loco ſupra opponebatur: *Quia* (ut ait S. Thomas ad primum) *& illi, qui ſuſcitati in Veteri Teſtamento ſunt, & illi qui ſuſcitati ſunt à Chriſto, ſic redierunt ad vitam, ut iterum morerentur.* Hoc S. Auguſtinus in Pſal. 129. his verbis expreſſerat: *Ante enim nemo reſurrexerat ſemper victurus. Intendat caritas veſtra. Reſuſcitati ſunt mortui ante adventum Domini: nam & Elias reſuſcitavit mortuum, & Eliſæus: ſed reſurrexerunt iterum morituri. Dominus ipſe, quos reſuſcitavit, morituri reſurrexerunt: ſive ille juvenis filius viduæ, ſive illa puella duodecim annorum filia Archiſynagogi, ſive Lazarus, aliter reſuſcitati ſunt, omnes morituri: ſemel nati ſunt, ſed bis mortui ſunt. Nemo reſurrexerat nunquam moriturus, niſi Dominus.* Idem dicit in Pſalam. 121.

XLIX. Evaneſcit etiam difficultas primo loco poſita ex Matthæo ipſo. Nam Evangeliſta dicit quidem, quòd mortuo Chriſto monumenta aperta ſunt, corpora tamen mortuorum in eis jacentia tunc ſurrexiſſe non dicit, niſi per anticipationem; de facto enim tunc ſolùm ſurrexerunt, quando Chriſtus reſurrexit. Poſtquam enim dixit: *Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt,* ſubjungit, *& exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Cùm autem veriſimile non ſit, quòd toto illo triduo corpora viventia manſerint in ſepulchris, & quidem apertis, dicendum eſt, Matthæum meminiſſe reſurrectionis illorum per anticipationem ſeu prolepſim occaſione ſermonis de aperitione monumentorum, quæ in Chriſti morte contigit, ponendo ut factum, quod præparabatur, ut fieret. Ita ſentit S. Thomas in 4. diſt. 43. qu. 1. ar. 3. qu. 1. ad 3. dicens: *Sciendum eſt, quòd etſi de reſurrectione eorum in Evangelio mentio fiat ante reſurrectionem Chriſti, tamen, ut per textum patet, intelligendum eſt per anticipationem eſſe dictum, quod frequenter hiſtoriographis accidit. Nullus enim verâ reſurrectione ante Chriſtum reſurrexit, eò quòd ipſe eſt,* „primitiæ dormientium,„ *ut dicitur 1. Cor. 15.,* *quamvis aliqui fuerint reſuſcitati ante Chriſti reſurrectionem, ut de Lazaro patet.*

§. VII.

§. VII.

An Chriſtus ſolus ſurrexerit non moriturus?

L. Occaſione eorum, quæ modó dicebamus, nimirùm quòd reſurgente Chriſto multa corpora Sanctorum reſurrexerint, occurrit quæſtio, an Sancti, qui reſurgente Chriſto ſurrexerunt, ſurrexerint, ut ipſe, non ampliùs morituri; an verò ipſe ſolus ad vitam immortalem reſurrexerit, ceteri autem iterum mortui generalem reſurrectionem expectent. In hac quæſtione diviſi ſunt Theologi non ſolùm, ſed & Patres ipſi.

LI. Eos enim, qui cum Chriſto ſurrexerunt, ad vitam immortalem ſubinde tranſiſſe, ac Chriſto in cœlum aſcendente ipſos quoque cum ſuis corporibus in cœlum aſcendiſſe, affirmant, Origenes in cap. 27. Matthæi, Euſebius lib. 4. Demonſtr. Evang. cap. 12., S. Epiphanius hæreſ. 57., S. Ignatius Martyr. in Epiſt. ad Magneſianos, quibus adhærere ſe indicat S. Thomas in 4. diſt. 43. q. 1. ar. 3. qu. 1. ad tertium. Negant tamen alii, juſtoſque illos Chriſto ſurgente ſuſcitatos ad ſua iterum ſepulchra rediiſſe contendunt, ut ad extremum diem unà cum aliis ſecundo reſurgant. Ita S. Auguſtinus Epiſt. 99., modò 164. ad Evodium, S. Joan. Chryſoſtomus homil. 28. in Epiſt. ad Hebræos, Theodoritus in cap. 11. ejuſdem Epiſt., S. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 7., S. Hieronymus in cap. 27. Matth., & S. Thomas 3. p. q. 53. ar. 3. ad 2., ubi à priori ſententia, quam in 4. ſent. docuerat, declinans, ad iſtam tranſit.

LII. Affirmantium momenta ſunt. Primò, quia Scriptura non narrat, eos convixiſse cum aliis hominibus ad inſtar mortalium, ſed apparuiſſe multis, quod eſt corporum glorioſorum proprium.

Secundò, quia ſurrexerunt tanquam teſtes Reſurrectionis Chriſti, quæ fuit ad vitam immortalem. Hâc ratione movetur S. Thomas in 4. loco citato dicens: *Quia ad hoc, quòd verum teſtimonium de vera Reſurrectione Chriſti proferrent, congruum fuit, quòd verè reſurgerent, ſicut Hieronymus alibi dicit* (in cap. 27. Matth.) *Nec eorum reſurrectio propter ipſos accelerata eſt, ſed propter Reſurrectionem Chriſti teſtificandam. Quod quidem teſtimonium erat ad fundandum Fidem Novi Teſtamenti: unde decentiùs factum eſt per Patres Veteris Teſtamenti, quàm per eos, qui Novo Teſtamento fundato deceſſerunt.* Ita S. Thomas.

Tertiò, quia connaturale eſt animæ beatæ uniri corpori immortali. Quar-

Quartò, quia nullum alioquin collatum eſset eis beneficium, ſed potiùs pœna.

LIII. Negantium verò fundamenta ſunt ſequentia. Primum, quia Reſurrectio Chriſti celebratur ſingularis ab Apoſtolo Roman. 6., quòd *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, & mors illi non dominabitur*: non eſset autem ſingularis, ſi alii cum ipſo ad vitam ſurrexiſsent immortalem.

Secundum, quia idem Paulus Hebr. 11. de juſtis Veteris Teſtamenti univerſim dicit, illos conſummatam felicitatem, quæ in corporis & animæ ſimul glorificatione ſita eſt, accepturos non eſſe, niſi cum totius Eccleſiæ corpore v. 39. *Hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur*. Fuiſſent autem ſine nobis conſummati, ſi ad vitam ſimpliciter immortalem reſurrexiſſent, & cum Chriſto in cœlum animâ ſimul & corpore aſcendiſſent. Huc pertinet illud Apoc. 6. v. 11. *Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum*: ubi S. Bernardus ſerm. 3. in feſto omnium Sanctorum: *Acceperunt*, inquit, *jam ſingulas ſtolas, ſed non veſtientur duplicibus, donec veſtiamur & nos, quomodo de Patriarchis & Prophetis ait Apoſtolus*,, ut non ſine nobis conſummarentur,, *Stola enim prima eſt felicitas & requies animarum, ſecunda verò immortalitas & gloria corporum*. Similiter S. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 4., modò 7.

Tertium, ex numero Juſtorum cum Chriſto ſuſcitatorum veriſimile eſt fuiſſe David Job & Joannem Baptiſtam. Nullum autem ex iſtis ad vitam immortalem ſuſcitatum cum Chriſto fuiſſe conſtat. Nam de David, eum poſt Chriſti Reſurrectionem & Aſcenſionem, imò & Pentecoſten, in corruptione & ſepulchro adhuc fuiſſe conſtat Act. 2. teſtimonio Petri, ubi probans verba hæc Pſalmi 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem Chriſtum ſpectare, non David*, ait v. 29. *Quoniam defunctus eſt & ſepultus, & ſepulchrum ejus eſt apud nos uſque in hodiernum diem*: quæ ratio falſa eſſet, ſi tunc corpus David in ſepulchro non jacuiſſet. De Job etiam, quia ipſe c. 19. v. 25. teſtatur: *Scio, quod Redemtor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum*: quod dicere non potuiſſet, niſi à Chriſto ſuſcitatus in ſepulchrum iterum rediiſſet. Unde S. Gregor. lib. 12. Moral. c. 8. aliàs 6. dicit, Job negare ante finem Mundi reſurrectionem corporum futuram. De S. Joan. Baptiſta item conſtat, quia ejus reliquiæ adhuc ſervantur in terris, Caput quidem Romæ, in Eccleſia S. Silveſtri in Campo Martio,

Digitized by Google

de quo Baronius in Notis ad diem 29. Auguſti; ubi etiam alibi aſſervatas corporis ejus particulas tradit. Non ergo iſte cum Chriſto ſecundùm corpus in cœlum aſcendit.

LIV. Sed audiendus eſt S. Auguſtinus Epiſt. 99., modò 164., ad Evodium cap. 3., ubi: *Scio*, inquit, *quibuſdam videri, morte Domini Chriſti jam talem Reſurrectionem præſtitam juſtis, qualis nobis in fine promittitur: quoniam ſcriptum eſt, illo terræmotu, quo in ejus paſſione petræ ſciſſæ & monumenta aperta ſunt, multa corpora reſurrexiſſe juſtorum, & viſa cum illo quando reſurrexit in Sancta Civitate. Qui utique, ſi non iterum repoſitis corporibus dormierunt, videndum eſt, quemadmodum intelligatur Chriſtus primogenitus à mortuis, ſi eum in illa reſurrectione tot præceſſerunt. Quòd ſi reſpondetur, hoc dictum eſſe per anticipationem, ut monumenta quidem illo terræmotu aperta intelligantur, cùm Chriſtus in Cruce penderet, reſurrexiſſe autem juſtorum corpora non tunc, ſed cùm illo prior reſurrexiſſet, quamvis tunc, ut dixi, anticipando fuiſſet adjunctum, ut & Chriſtus primogenitus à mortuis ſine ambiguitate credatur, & illis juſtis continuò conceſſum, ut ipſo præeunte in æternam incorruptionem atque immortalitatem reſurgerent: illud adhuc reſtat, quod moveat, quomodo à Petro dici potuerit, quod utique veriſſimè dictum eſt, quando per illam prophetiam non de David, ſed de Chriſto aſſerit fuiſſe prædictum, carnem ejus non vidiſſe corruptionem: & quod adjunxit de David, apud eos eſſe monumentum ejus: unde illos utique non convincebat, ſi corpus ejus ibi jam non erat; quia ſi & ante in recenti ſua morte reſurrexiſſet, nec caro ejus vidiſſet corruptionem, poſſet nihilominùs illud monumentum manere. Durum autem videtur, ut David non fuerit in illa Reſurrectione juſtorum, ſi eis jam æterna donata eſt, cujus Chriſtus ex ſemine tam crebrò & tantâ evidentiâ tantâque honorificentiâ commendatur. Periclitabitur etiam illud, quod ad Hebræos de juſtis antiquis dicitur* „Quia pro nobis meliora providerunt, ne ſine nobis perfecti perficerentur: *ſi jam in illa Reſurrectionis incorruptione conſtituti ſunt, quæ nobis perficiendis in fine promittitur.* His Auguſtini verbis tantùm ponderis accipit ſententia negans, ut S. Thomas hoc ar. 3. ad 2. ſepoſitâ ſententiâ contrariâ, cui priùs adhæſerat, ut dictum eſt, concludat; quod *quamvis hoc* Hieronymus *in Serm. de Aſſumtione* (qui Hieronymi fœtus non eſt) *ſub dubio relinquat, rationes tamen Auguſtini multò efficaciores videntur.*

LV. Quid igitur in harum duarum opinionum conflictu nobis agendum erit? Utramque probabilem admittere, neutram certò ſtatuere, tutius cenſeo, quamvis in Theologia tom. 16. de generali Reſurrectione q. 3. dub. 2. §. 1. num. 3. in affirmativam pro-

propenderim. Ita Magiſter noſter Angelicus ſuo exemplo ſuadet. Verùm quia ipſe in opinionem negantem viſus eſt cum Auguſtino magis propendiſſe, in hoc etiam ipſum imitabimur; maximè quia pro aſſerenda ante generalem in fine Mundi ſpeciali aliquorum ad vitam immortalem anticipatâ reſurrectione, nullum dat fundamentum Sacra Scriptura, quin potiùs, ut dictum eſt, neminem à communi lege præter ſolum Chriſtum excipere videtur, & Eccleſiæ Traditio ſolam B. Virginem ejus Matrem hoc privilegio donatam fuiſſe credit, ut in cœlum corpore & anima fuerit aſſumta, nec niſi multis annis poſt Chriſti aſcenſum hoc fuerit conſecuta. Quid ergo movere poteſt, ut credamus, voluiſſe Chriſtum plures alios ante Matrem ſuam ſui ingreſsus triumphalis in cœlum habere corpore & anima comites? Et quis etiam putet, Lucam in Actibus Apoſtolorum Chriſti in cœlos aſcenſum accuratè deſcribentem cap. 1. nihil de illo ſenſibili tot corporum glorioſorum comitatu fuiſse dicturum, ſi quid ejuſmodi contigiſset?

LVI. Nec deterrent rationes in contrarium adductæ. Non prima: nam quòd illi reſurgentes non convixerint cum aliis hominibus, ſed ſolùm tranſeunter apparuerint, potiùs probat, eos non revixiſse permanenter, ſed pro illo brevi ſtatu datam eis fuiſse agilitatem, non per modum habitus, ſed diſpoſitionis; donec ad ſepulchra ſua & mortem redirent. Sic corpori Moyſis redivivi in Monte Thabor contigiſse exiſtimatur.

Neque ſecunda: nam ſicut Moyſes, quamvis teſtis Transfigurationis, non fuit tamen ſuſcitatus ad vitam immortalem, ſic nec iſti, quamvis teſtes Reſurrectionis Chriſti; eò vel maximè, quòd ſuſcitati fuerunt, ut ait Chryſoſtomus homil. 89. vel 88. in Matth., in ſignum Reſurrectionis futuræ, quam ſignificare poterant Reſurrectione verâ, licèt non perpetuâ.

Neque tertia: nam eſto in generali Reſurrectione animæ beatæ corporibus glorioſis jungendæ ſint, in reſurrectione tamen ſpeciali & temporanea ſat eſt, ut uniantur corpori, licèt non glorioſo, tranſeunter tamen donato aliqua diſpoſitione Corporis glorioſi, ut corpori Moyſis datum fuiſse dixi.

Neque quarta: nam ſuſcitari ad teſtificandam Reſurrectionem Chriſti, pœna non fuit, ſed gloria; ſicut ſuſcitari in teſtem Transfigurationis Chriſti gloria fuit non pœna Moyſi, quamvis iterum morituro. Hæc dixi pro tuenda alterius ſententiæ probabilitate.

LVII. Ceterum ſi aliquis tueri velit opinionem oppoſitam, & illos in Reſurrectione Chriſti ſuſcitatos fuiſse non ampliùs mori-

rituros aſserere, adhuc verum erit, quòd Chriſtus inter reſurgentes à mortuis fuerit ſolus & primus. Solus, quia ſolus ſe ipſum à mortuis ſuſcitavit: Primus, quia fuit cauſa ſuſcitationis cæterorum, ut ſtatim oſtendam.

Si interim quæras. Quinam fuerint juſti cum Chriſto Domino ſuſcitati. Reſpondeo, nihil certi de hoc ſtatui poſse, cùm nec Scriptura eos nominet, ſed ſolùm dicat *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*; nec Patres curioſè hoc inquiſierint. Facile tamen eſt credere, fuiſse Veteris Teſtamenti Juſtos, qui peculiarem ad Chriſtum ordinem referebant, illinſque figuræ ac typi illuſtriores extiterant, ut Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſes, David, Job, Melchiſedech. Nonnullos etiam non ita pridem Defunctos, ut Zachariam, Simeonem, Joannem Baptiſtam, qui cum Judæis facie noti eſsent, majorem ſpeciem ingerere poterant eis, quibus apparebant. Sed quinam certò fuerint, Deus novit.

CAPUT XXXV.

An Chriſtus fuerit Cauſa tum ſuæ tum noſtræ Reſurrectionis.

§. I.

An Chriſtus propriâ virtute reſurrexerit.

I. IDEM hîc eſt ac inquirere, an Chriſtus ſe ipſum propriâ virtute à mortuis ſuſcitaverit, an verò fuerit ab alio, ideſt à Deo, ſuſcitatus. De hoc S.Thomas 3.p. q.53. ar.4.

Se ipſum poteſtatem habere tradendi animam ſuam per mortem, & iterum eam ſumendi per reſurrectionem à morte, apertè pronuntiavit Chriſtus ipſe Joan. 10. v.17. cum ait: *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam ipſam. Nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam à me ipſo: & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Quibus nihil clarius: cùm enim nihil aliud ſit reſurgere, quàm iteratò animam ſumere, ſi Chriſtus habuit à ſe ipſo poteſtatem iterum ſumendi animam ſuam, habuit à ſe ipſo poteſtatem propriâ virtute reſurgendi.

Pulchrè hîc S. Auguſt. tract. 47. in Joan. *Quid eſt*, inquit, *Ego pono? Ego illam pono: non glorientur Judæi; ſævire potuerunt, poteſtatem habere non potuerant. Sæviant quantùm poſſunt: Si ego noluero animam meam ponere, quid ſæviendo facturi ſunt?*

Una

Digitized by Google

Unâ reſponſione proſtrati ſunt; quando eis dictum eſt,, Quem quæritis ,, *dixerunt*, Jeſum: *& ait eis*, Ego ſum: *redierunt retrò, & ceciderunt. Qui ceciderunt ad unam vocem Chriſti morituri, quid facient ſub voce judicaturi?* ,, Ego, ego, *inquam*, pono animam meam, ut iterum ſumam eam,, *Non glorientur Judæi, quaſi prævaluerint: ipſe poſuit animam ſuam*,,. Ego dormivi, *dicit*. *Noſtis Pſalmum*,, Ego dormivi, & ſomnum cœpi, & exurrexi, quoniam Dominus ſuſcipiet me,,: *modò Pſalmus ipſe lectus eſt, modò audivimus*: .... *Quid eſt*, Ego dormivi? *Quia volui, dormivi. Quid eſt* Dormivi? *Mortuus ſum. Nonne dormivit, qui quando voluit de ſepulchro tanquam de lecto ſurrexit? Sed amat dare gloriam Patri, ut nos ædificet gloriam dare Creatori. Nam quod addidit*,, Exſurrexi, quoniam Dominus ſuſcipiet me ,, *putatis hic quaſi virtutem ejus defeciſſe, ut per poteſtatem ſuam mori potuerit, per poteſtatem ſuam reſurgere non potuerit?* ..... *Audi alio loco in Evangelio, quia non ſolum Pater ſuſcitavit Filium, ſed etiam Filius ſe ipſum*: ,,Solvite, *inquit* Jo. 19.,,templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud, *Et Evangeliſta*,, Hoc autem, *inquit*, dicebat de templo corporis ſui,,; *hoc enim ſuſcitabatur, quod moriebatur*.

II. S. Thomas autem, ut id probet, ſupponit, quòd per mortem non fuit ſeparata Divinitas, nec ab anima Chriſti, nec ab ejus carne. Quod præter ſuperiùs dicta oſtendit etiam S. Auguſtinus citato loco his verbis: *Si dixerimus, quia Verbum Dei poſuit animam ſuam, & iterum ſumſit eam; metuendum eſt, ne ſubintret prava cogitatio, & dicatur nobis: Ergo aliquando anima illa ſeparata eſt à Verbo, & aliquando Verbum illud, ex quo ſuſcepit animam illam, fuit ſine anima. Video enim fuiſſe ſine anima Verbum, ſed cùm in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ex quo enim Verbum caro factum eſt, ut habitaret in nobis, & ſuſceptus eſt à Deo homo, ideſt totus homo, anima & caro; quid fecit paſſio, quid fecit mors, niſi Corpus ab anima ſeparavit? Animam verò à Verbo non ſeparavit*.

III. Hoc ergo ſuppoſito dicit S. Thomas, quòd tam anima Chriſti quàm ejus caro poteſt conſiderari dupliciter. Uno modo ratione Divinitatis, alio modo ratione ipſius naturæ creatæ: & addit: *Secundùm igitur unitæ divinitatis virtutem & corpus reſumſit animam, quam depoſuerat, & anima corpus reſumſit, quod dimiſerat, & ſic Chriſtus propriâ virtute reſurrexit. Et hoc eſt quod de Chriſto dicitur* 2. *ad Cor. ult.*,, quòd etſi crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed vivit ex virtute Dei,,. *Si autem conſideremus corpus & animam Chriſti mortui ſecundùm virtutem naturæ creatæ, ſic non potuerunt ſibi invicem reuniri; ſed oportuit, Chriſtum reſuſci-*

ſcitari à Deo. Quia tamen hoc nomen *Chriſtus* abſolutè ſupponit pro Perſona Divina, ideo ſicut abſolutè dicitur *Chriſtus eſt Deus*: ita abſolutè dicendum eſt: Chriſtus propriâ virtute reſurrexit.

Nec obeſt, quòd dicatur ſuſcitatus ab alio, nempe à Deo Act. 2. v. 24. *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni*: & Roman. 8. v. 11. *Qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora noſtra*. Reſpondet enim S. Thomas dicto ar. 4. ad 1. *Quòd eadem eſt divina virtus & operatio Patris & Filii. Unde hæc duo ſeſe conſequuntur, quòd Chriſtus ſit ſuſcitatus divinâ virtute Patris, & ſui ipſius*, quam ſcilicet habet à Patre, ut ſcilicet eadem virtus Patris ſit virtus Filii. Unde Joan. 5. v. 19. Chriſtus dicit: *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, & Filius ſimiliter facit: .... Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat*. Si ergo Pater ſuſcitavit Chriſtum, Chriſtus etiam ſuſcitavit ſeipſum.

IV. Quia tamen Chriſtus erat quidem Deus, ſed ſimul etiam homo, ideo quæ ut Deus propriâ virtute faciebat, poterat à Deo petere ac mereri ut homo; ſic pſal. 40. in perſona ejus dicit David *Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me* & S. Auguſt. tract. 140. in Joan. *Humilitas*, inquit, *Paſſionis meritum eſt gloriæ reſurrectionis*. Et ideo S. Thomas laudato loco ad 2. ait: *Chriſtus orando petiit, & meruit ſuam reſurrectionem in quantum homo, non in quantum Deus*.

§. II.

An Chriſtus ſit cauſa noſtræ Reſurrectionis.

V. Sequor S. Thomam 3. p. q. 56. ubi de hoc agit. Quia verò duplex eſt reſurrectio: Una corporum ad vitam naturalem per reunionem animæ: Alia animarum ad vitam ſupernaturalem per gratiam, quæ eſt vita animæ: ideo hæc quæſtio utramque complectetur, nimirùm an Reſurrectio Chriſti ſit cauſa, cur reſurgant corpora ad vitam animæ, & animæ ad vitam gratiæ.

VI. Quoad primum futuram in fine Mundi omnium hominum ſive juſtorum ſive impiorum reſurrectionem, articulus Fidei eſt contra Sadducæos (de quibus Matth. 22. & Act. 23.) generaliter negantes: unde Act. 23. v. 8. habetur *Sadducæi enim dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque Angelum neque Spiritum*. Hos primis Eccleſiæ ſeculis ſecuti ſunt hæretici Simoniani, Satur-

turniani, Baſilidiani, Valentiniani, & Marcionitæ, contra quos omnes egi tomo 16. Theologiæ, ubi Reſurrectionis articulum ſtabilivi. Noviſſimis tamen temporibus reſurrectionem impiorum negare auſus eſt Socinus hæreticus nefandiſſimus, qui in c.3. Epiſt. 1. S. Joannis dixit, homines impios penitùs annihilari, nullamque eorum futuram reſurrectionem: quem ſecutus eſt Orellius Socini gregalis in c. 15. 1. ad Cor. impiè tamen; quia contra aperta Chriſti Domini verba Joan. 5. v.28. dicentis, *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt audient vocem filii Dei: & procedent, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt in reſurrectionem judicii.* Et Matth. 25. ubi de hora univerſalis judicii loquens dicit v.32. quód *congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ad invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis; & ſtatuet oves quidem à dexteris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.* Et v.46. Judicio expleto dicit: *Et ibunt hi* (impii) *in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Non ergo annihilabuntur impii poſt mortem, ſed reſervabuntur ad æterna ſupplicia, ſicut juſti ad æternam gloriam: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum, ſive malum* (inquit Paulus 2. Cor. 5. v.10.) Et aliter ſentire eſt ſibimet illudere, ac ut liberiùs peccetur, Religionem contemnere. *Sunt* (ait S. Gregorius lib.34. moral. c. 16.) *qui idcirco peccatis ſuis finem ponere negligunt, quia habere quandoque finem futura ſuper ſe judicia ſuſpicantur. Quibus breviter reſpondemus; ſi quandoque finienda ſunt ſupplicia reproborum, quandoque finienda ſunt ergo & gaudia beatorum. Per ſemetipſum namque Veritas dicit: Ibunt hi in ſupplicium æternum, Juſti autem in vitam æternam. Si igitur hoc verum non eſt, quod minatus eſt, neque illud, quod promiſit.* His ergo ad Epicureos & Atheos amandatis;

VII. Nunc pro re præſenti certum eſt, Reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam reſurrectionis futuræ omnium hominum tam bonorum, quàm malorum: bonorum quidem efficientem, & exemplarem ſimul; malorum verò efficientem tantùm. Ita S. Thomas dictâ q. 56. ar. 1. Et probat 1. ex illo metaphyſico principio (lib.2. metaph. teſt.4.) *Illud, quod eſt primum in quolibet genere, eſt cauſa omnium, quæ ſunt poſt.* Primum autem in genere veræ reſurrectionis, ad vitam ſcilicet immortalem, fuit Reſurrectio Chriſti, ut Cap. præcedente dictum eſt: Unde Apoſtolus 1. Cor. 15. v. 20. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* Quaſi dicat: ſicut Adam, quia pri-

primus mortuorum morte ſua induxit in homines mortem ; ita Chriſtus quia primus reſurgentium reſurrectione ſua induxit, & cauſavit in homines reſurrectionem à morte. Et hoc rationabiliter ; nam principium humanæ vivificationis eſt Verbum Dei, de quo dicitur in pſalmo 55. *Apud te eſt fons vitæ*: unde & ipſum dicit Joan. 5. *ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat*. Ita S. Thomas. Qui tamen notat, quòd cum naturalis ordo divinitùs inſtitutus hoc habeat, *ut qualibet cauſa primò operetur in id, quod eſt ſibi propinquius, & per illud operetur in alia magis remota: ſicut ignis primò calefacit aerem ſibi propinquum, per quem calefacit corpora diſtantia: & ipſe Deus primò illuminat ſubſtantias ſibi magis propinquas, per quas illuminat magis remotas. Ideo Verbum Dei primò tribuit vitam immortalem corpori ſibi naturaliter unito, & per ipſum operatur reſurrectionem in omnibus aliis*. Ex qua doctrina apparet, quòd licèt actus Reſurrectionis Chriſti jam tranſierit, quia tamen manet corpus Chriſti vivificatum, ſeu Humanitas ipſa in unitate ſuppoſiti Verbo conjuncta, per iſtam primò ſuſcitatam, tanquam per inſtrumentum ſibi conjunctum, Verbum Divinum omnes alios homines ſuſcitat.

VIII. Quòd verò ſit cauſa efficiens reſurrectionis omnium tam bonorum quàm malorum, cauſa vero exemplaris ſit ſolùm reſurrectionis bonorum, oſtendit S. Thomas ibidem ad 3. Primum quidem: Quia cùm ex dictis cauſa efficiens ſit Humanitas Chriſti ſecundùm quam reſurrexit, quatenus inſtrumentum Divinitatis ipſius, & operans in virtute ejus: ideo ſicut alia, quæ Chriſtus in ſua humanitate fecit vel paſſus eſt, ex virtute divinitatis ejus ſunt nobis ſalutaria: ita & Reſurrectio Chriſti virtute divinâ, quæ præſentialiter attingit omnia loca & tempora, eſt cauſa efficiens reſurrectionis noſtræ ; & inſuper quià cauſa primordialis reſurrectionis humanæ eſt juſtitia divina, ex qua Chriſtus habet poteſtatem judicium facere, in quantum filius hominis eſt, virtus effectiva reſurrectionis ejus ſe extendit non ſolum ad bonos, ſed etiam ad malos, qui ſunt ejus judicio ſubjecti.

Secundum, quòd ſit cauſa etiam exemplaris reſpectu reſurrectionis noſtræ, oſtendit idem S. Thomas, quia Reſurrectio corporis Chriſti ex eo quòd corpus illud eſt perſonaliter Verbo unitum, non ſolùm eſt prima tempore, ſed eſt prima dignitate & perfectione. Semper autem id, quod eſt perfectiſſimum in aliquo genere, eſt exemplar ejus, quod in illo genere eſt minùs perfectum, in quantum ei conformari debet: unde oportet, ut re-

ſur-

Digitized by Google

ſurrectio noſtra conformetur Reſurrectioni Chriſti, ſecundùm illud ad Philipp. 3. v.21. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*. Et quia corpora juſtorum reſurgent configurata Corpori claritatis Chriſti per Spiritum ejus habitantem in ipſis, ut dicitur Rom.8. v.11., ideò Reſurrectio Chriſti reſpectu horum, qui, ut ipſe, reſurgent non ſolùm ad vitam ſed ad gloriam immortalem, eſt cauſa non ſolùm efficiens ſed etiam exemplaris. At reſpectu reproborum, qui reſurgent ad vitam naturalem quidem, non tamen ad gloriam ſed ad pœnam æternam, erit quidem cauſa effectiva Reſurrectionis eorum, ſed non exemplaris.

IX. Sed dices: Cauſa Reſurrectionis mortuorum eſt Divina Juſtitia, ut ſcilicet corpora ſimul præmientur vel puniantur cum animabus, ſicut communicaverunt in merito vel peccato: ſed Juſtitiam Dei neceſſe eſſet impleri, etiamſi Chriſtus non reſurrexiſſet; ergo etiam Chriſto non reſurgente, mortui reſurgerent. Non ergo Reſurrectio Chriſti eſt cauſa reſurrectionis mortuorum.

Reſpondeo ex S. Thoma citato loco ad 2. Quòd *Juſtitia Dei eſt cauſa prima reſurrectionis noſtræ: Reſurrectio autem Chriſti eſt cauſa ſecundaria, & quaſi inſtrumentaria. Licèt autem virtus principalis agentis non determinetur ad hoc inſtrumentum determinatè; tamen ex quo per hoc inſtrumentum operatur, inſtrumentum illud eſt cauſa efficiens. Sic ergo Divina Juſtitia, quantùm eſt de ſe, non eſt obligata ad reſurrectionem noſtram cauſandam per Reſurrectionem Chriſti, potuit enim alio modo nos Deus liberare, quàm per Chriſti Paſſionem & Reſurrectionem; ex quo tamen decrevit hoc modo nos liberare, manifeſtum eſt, quòd Reſurrectio Chriſti eſt cauſa noſtræ reſurrectionis.*

X. Quòd ſi quæras: Si Reſurrectio Chriſti de facto eſt cauſa reſurrectionis hominum, cur reſurgente Chriſto non omnes mortui ſurrexerunt, cum poſitâ causâ ſufficiente ſtatim effectus ponatur?

Ratio eſt (inquit S. Thomas ad 1.) Quia *Reſurrectio Chriſti eſt cauſa reſurrectionis noſtræ per virtutem Verbi uniti, quod operatur ſecundùm voluntatem. Et ideò non oportet, quòd ſtatim ſequatur effectus, ſed ſecundùm diſpoſitionem Verbi Dei, ut ſcilicet primò conformemur Chriſto patienti & morienti in hac vita paſſibili & mortali, deinde perveniamus ad participandam ſimilitudinem Reſurrectionis ipſius*. Ita S. Thomas: eo tamen ordine & tempore, quo ipſe præſcripſit, nempè in fine mundi. Unde Apoſtolus 1. ad Cor. 15. v.22. *Unuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus*:

Digitized by Google

deinde ii, qui ſunt Chriſti, qui in adventu ejus crediderunt. Deinde finis. Deo ita diſponente, ut uno judicio ac unâ ſententiâ omnium hominum corpora ſimul & animas pro meritis in æternum ſive præmiet ſive puniat: vel ut ait in cap. 15. 1. ad Cor. Lect. 3. ad illa verba: *Noviſſimè autem inimica deſtruetur mors*: ubi quærens, *quare non ſtatim reſuſcitavit?* Reſpondet, *oportet quod primò ſubjiciat inimicos ſub pedibus, & noviſſimè cùm deſtruetur ipſa mors, tunc reſurgent omnes ad vitam. Non ergo differt, quia non poteſt, ſed ut ſervet ordinem, quia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt.* Ita S. Thomas.

§. III.

An Reſurrectio Chriſti ſit cauſa noſtræ Juſtificationis.

XI. Idem hoc eſt ac inquirere, an Reſurrectio Chriſti ſicut eſt cauſa reſurrectionis corporum ad vitam naturalem ratione Divinitatis ſibi unitæ, ita etiam ſit cauſa reſurrectionis animarum ad vitam gratiæ. Cui quæſito S. Thomas hac q. 56. ar. 2. reſpondet affirmativè: cùm enim Reſurrectio Chriſti agat in virtute Divinitatis ſibi unitæ, quæ quidem ſe extendit non ſolùm ad reſurrectionem corporum, ſed etiam ad reſurrectionem animarum; quia à Deo eſt, & quòd anima vivat per gratiam, & quòd corpus vivat per animam: ideò Reſurrectio Chriſti habet inſtrumentaliter virtutem effectivam, non ſolùm reſpectu reſurrectionis corporum, ſed etiam animarum: imò eſt etiam cauſa exemplaris, quia Chriſto reſurgenti debemus etiam ſecundùm animam conformari, ut ſicut ſecundùm Apoſtolum Rom. 6. „ Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in „ novitate vitæ ambulemus: & ſicut ipſe reſurgens ex mortuis „ jam non moritur; ita & nos exiſtimemus nos mortuos eſſe „ peccato, ut iterum vivamus in illo.

XII. Notat tamen S. Thomas ibidem ad 1. quòd licèt participando gloriam Corporis Chriſti fiant corpora noſtra glorioſa, animæ tamen fiunt bonæ & ſanctæ participando bonitatem Divinam, non participatione cujuſcumque creaturæ, ſecundùm dictum Auguſtini Tract. 23. in Joan., ubi cum dixiſſet: *Animæ reſurgunt per ſubſtantiam Dei*: ſubdit: *Participatione enim Dei fit Anima beata, non participatione Animæ ſanctæ.* Et hoc, quia animæ reſurgunt per Gratiam, quæ eſt participatio formalis Divinæ naturæ; corpora autem reſurgunt per diſpenſationem, quatenùs fiunt conſortia gloriæ Corporis Chriſti, quam & ipſe di-

diſpenſatoriè accepit. Unde infert S. Thomas ad ſecundum, quòd efficientia Reſurrectionis Chriſti pertingit ad animas, non per virtutem propriam ipſius corporis reſurgentis, quaſi corpus agat in animas, ſed immediatè per virtutem Divinitatis, cui perſonaliter unitur. Dici etiam poteſt, quòd cùm Gratia animæ Chriſti ſit gratia Capitis, & proinde habens plenitudinem, ut poſſit etiam interiori influxu gratiam in membra derivare, ideò aliquem influxum habeat in reſurrectionem animarum ratione unionis cum Divinitate. Vide S.Thomam 3.p. q.8. ar.5. & 6.

XIII. Sed dices. Quia Reſurrectio Chriſti eſt cauſa reſurrectionis corporum, omnium corpora reſurgent, ſecundùm illud 1. ad Cor.15. *Omnes quidem reſurgemus.* Sed non omnium animæ reſurgent, quia quidam *ibunt in ſupplicium æternum*, ut dicitur Matth.25. Ergo Reſurrectio Chriſti non eſt cauſa reſurrectionis animarum.

Reſpondeo cum S. Thoma citato ad tertium, quòd reſurrectio animarum correſpondet merito, quod eſt effectus juſtificationis; ſed reſurrectio corporum ordinatur ad pœnam vel præmium, quæ ſunt effectus judicantis; *Ad Chriſtum autem non pertinet juſtificare omnes, ſed judicare. Et ideò omnes reſuſcitat ſecundùm corpus, ſed non omnes ſecundùm animam.*

XIV. Advertit tamen S. Thomas ad quartum: quòd *in juſtificatione animarum duo concurrunt, ſcilicet remiſſio culpæ & novitas vitæ per gratiam. Quantùm ergo ad efficientiam, quæ eſt per virtutem Divinam, tam Paſſio Chriſti, quàm Reſurrectio eſt cauſa juſtificationis quoad utrumque. Sed quantùm ad exemplaritatem propriè Paſſio & mors Chriſti eſt cauſa remiſſionis culpæ, per quam morimur peccato: Reſurrectio autem Chriſti eſt cauſa novitatis vitæ, quæ eſt per gratiam ſive juſtitiam. Et ideò Apoſtolus dicit Rom.4., quòd* traditus eſt, *ſcilicet in mortem* ,, propter delicta noſtra ,, *ſcilicet tollenda* ,, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram ,,.

Digitized by Google

CAPUT XXXVI.

De Modo, quo Chriſtus Reſurrectionem ſuam manifeſtavit.

§. I.

Quibus eam manifeſtarit.

I. ETsi aliqua ſuperiùs de hoc indicata ſint, quia tamen S. Thomas 3. p. q. 55. rem hanc diſtinctè examinat, æquum duxi ea, quæ S. Doctor proponit & ſtatuit, non præterire. Igitur art. 1., dicit non fuiſſe conveniens, ut Chriſtus per ſe manifeſtaret omni Populo ſuam Reſurrectionem, palam & promiſcuè ſe ſe omnibus exhibendo. Quia cùm ejus Reſurrectio non ſit de numero eorum, quæ communi lumine naturæ cognoſcuntur, ſed ſpeciali munere gratiæ divinitùs revelantur, non erat conveniens, ut omnibus immediatè nota fieret, ſed quibuſdam; quorum teſtimonio ad aliorum notitiam deveniret: hic enim Divinæ ſapientiæ ordo eſt, ut de Divinis immediatè illuminentur qui ſuperiores ſunt, & per iſtos deferantur ad inferiores.

Ex quibus infert, ibidem ad primum, diſcrimen inter Paſſionem Chriſti, & ejus Reſurrectionem: quòd *Paſſio Chriſti peracta eſt in corpore adhuc habente naturam paſſibilem, quæ communi Lege nota eſt omnibus; & ideò Paſſio Chriſti omni Populo immediatè manifeſtari potuit. Reſurrectio autem Chriſti facta eſt*,, per gloriam Patris ,, *ut Apoſtolus dicit Rom. 6. Et ideò immediatè manifeſtata eſt non omnibus ſed quibuſdam. Quòd autem publicè peccantibus pœna publica imponitur, intelligendum eſt de pœna præſentis vitæ. Et ſimiliter publica merita publicè præmiari oportet, ut alii provocentur. Sed pœnæ & præmia futuræ vitæ non publicè omnibus manifeſtantur, ſed ſpecialiter illis, qui ad hoc prædeſtinati ſunt à Deo.* Igitur, ut ait S. Doctor ad ſecundum, Reſurrectio Chriſti ad notitiam omnium pervenit, ſicut ad ſalutem omnium neceſſaria erat: *Non tamen ſic, ut immediatè omnibus manifeſtaretur, ſed quibuſdam; per quorum teſtimonium deferretur ad omnes.*

II. Sed inſurgit quæſtio. Si Chriſti Reſurrectio manifeſtanda erat aliquibus, quorum teſtimonio notitia perveniret ad omnes, cur priùs eam manifeſtavit mulieribus, quarum non eſt myſteria pandere, cùm dicat Paulus 1. Cor. 14. v. 34. *Mulieres in Eccleſiis ta-*

taceant ... Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia: & 1. ad Timoth. 2. v. 12: *Docere autem mulieri non permitto ... ſed eſſe in ſilentio?* Cur non priùs Apoſtolis, qui toti Orbi Reſurrectionis ejus teſtes eſſe debebant, ejuſque Fidem Judæis ac Gentilibus annuntiare?

III. Facilis eſt reſponſio, quam dat S. Thomas ad tertium, nimirùm quòd mulieri non permittitur quidem publicè docere in Eccleſia: permittitur tamen ei aliquos domeſticâ admonitione inſtruere. Et ideò dicit Ambroſius in cap. 24. Lucæ: *Ad eos femina mittitur, qui domeſtici ſunt*: nempè ad Apoſtolos, quibus familiares erant, ut eos privatim moneant, Chriſtum reſurrexiſſe, non autem ut Reſurrectionis teſtimonium publicè ferant ad Populum: unde S. Thomas in cap. 14. 1. Cor. Lect. 7. poſtquam dixit, mulieres à prophetando non excludi: unde Samaritana Joan. 4., Anna uxor Phanuel, Lucæ 2., Debbora Judic. 4., Olda uxor Sellum 4. Regum 22., & filiæ Philippi Actor. 12. prophetaverunt, ſubjungit, *quòd in Prophetia ſunt duo, ſcilicet Revelatio & Manifeſtatio Revelationis: ſed à Revelatione non excluduntur mulieres, ſed multa revelantur eis, ſicut & viris. Sed annuntiatio eſt duplex. Una publica, & ab hac excluduntur. Alia eſt privata, & hæc permittitur eis, quia non eſt prædicatio, ſed annuntiatio*. Sic ergo mulieres nuntiaverunt Apoſtolis, non prædicaverunt Chriſti Reſurrectionem. Hinc in cap. 15. ejuſdem Epiſt., ubi Paulus notum faciens Corinthiis Evangelium, quod eis prædicaverat de Chriſti Reſurrectione, nihil dicit de Apparitione facta mulieribus, ſed ſolùm quód *viſus eſt Cephæ, & poſt Undecim. Deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul ... Deinde viſus eſt Jacobo, deinde Apoſtolis omnibus*. Idem S. Thomas Lect. 1. ait: *Notandum autem eſt, quòd Apparitiones Chriſti non ponuntur hîc omnes, nec illæ, quæ factæ ſunt mulieribus. Ponuntur autem hîc quædam, quæ non leguntur in Evangeliis. Et horum ratio fuit: quia Apoſtolus vult ex ratione confutare Infideles, & ideò noluit ponere teſtimonia niſi authentica, & ideò tacuit apparitiones Mulieribus factas, & poſuit quaſdam, quæ non inveniuntur, ut oſtendat, quòd etiam aliis pluribus apparuit. Sed facit mentionem ſpecialem de Petro & Jacobo, quia erant quaſi columnæ*.

IV. Privatas tamen ſuæ Reſurrectionis nuntias, & quidem primas, voluit Chriſtus eſſe mulieres, *ut mulier, quæ primò nuntium mortis ad hominem detulit, primò etiam vitam reſurgentis Chriſti in gloria nuntiaret: unde Cyrillus dicit* (lib. 12. in Joan. ſuper illud c. 20. „ Vade ad Fratres &c. „) *Femina, quæ quondam mortis fuit miniſtra, venerandum Reſurrectionis myſterium prima per-*

percipit & nuntiat. Adeptum eſt igitur fœmineum genus & ignominiæ abſolutionem, & maledictionis repudium. Ita S. Thomas dicto ar. 1. ad 3., ubi ſubjungit: *Similiter etiam per hoc oſtenditur, quod quantùm ad ſtatum gloriæ pertinet, nullum detrimentum patietur fœmineus ſexus: ſed ſi majori caritate fervebunt, majori etiam gloria ex viſione Divina potientur: eò quòd mulieres, quæ Dominum arctiùs amaverunt, in tantum, ut ab ejus ſepulchro Diſcipulis etiam recedentibus non recederent, primò viderunt Dominum in Gloria reſurgentem.*

V. Ex his conſequens fit, ut, cùm B. Virgo Chriſti Mater eum plus omnibus amaverit, ſicut maiori gloria ſuper omnes ex viſione Divina potitur, ita prima ante omnes viderit Filium in Gloria reſurgentem. Sed quia de hoc nec Evangelia nec Apoſtolica Scripta ullum verbum faciunt, neque traditum ex Patribus accepimus, idcircò ancipites hærent Doctores.

Qui negant, moventur primò, quia Marcus cap. 16. v. 9. dicit: *Surgens autem mane prima Sabbati apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem Dæmonia.* Quibus videtur indicare, nemini ante ipſam Chriſtum apparuiſſe; hoc enim ſignificat ly *Primò*, cui expoſitioni conſentiunt Patres, Auguſtinus in Pſalm. 68. & lib. 3. de Conſ. Evang. cap. 14. & 25., Cyrillus lib. 12. in Joann., Beda lib. 4. in Marc., qui dicunt, Chriſtum primò viſum Mariæ Magdalenæ; ſive quia plus cæteris ardebat; ſive ut ait Chryſoſtomus apud S. Thom. in cap. 14. 1. ad Cor. Lect. 7. Sicut *fœmina ſemel loquuta eſt, & totum ſubvertit mundum*, ita fœmina reparationem mundo nuntiaret; ſive ut Chriſtus oſtenderet, ſe totum peregiſſe, ut peccatores ſalvos faceret: ideóque addit Marcus: *De qua ejecerat ſeptem Dæmonia.* His addunt antiqua Eccleſiæ Officia quamplura, quibus dicitur, quòd Maria Magdalena meruit Chriſtum videre reſurgentem omnium mortalium prima, ut videre eſt apud Sylvium in 3. p. q. 55. ar. 1. In hanc ſententiam ſcribunt Eſtius, Heſſelius & Cornelius Janſenius, quòd Chriſtus non apparuerit ſubitò Matri, quòd illam in fide Reſurrectionis ſciret non vacillare, & ante illos Petrus Bleſenſis Epiſt. 50. *Chriſtus*, inquit, *exurgens à mortuis, non ſuæ Matri Virgini benedictæ, ſed Mariæ peccatrici, de qua ſeptem ejecerat Dæmonia, priùs dignatus eſt apparere, ut puto.*

VI. Qui tamen affirmant ſunt Rupertus, S. Bonaventura, B. Albertus Magnus, & plerique Recentiores. His libentiùs ſubſcribo. Nec obſtat, quòd Scriptura de hoc nihil dicat, ſed apertè aſſerat apparuiſſe Mariæ Magdalenæ. *Primò* nam cùm nec

nec dicat Scriptura Chriſtum unquam apparuiſſe Matri, deberet etiam inferri, Chriſtum poſt Reſurrectionem nunquam apparuiſſe Matri ſuæ, quod quis dicet? Intentum ergo Evangeliſtarum fuit eas Chriſti redivivi apparitiones recenſere, quæ factæ fuerunt ſive illis, quos elegerat, ut ſuam Reſurrectionem cæteris nuntiarent, & hoc modo primò facta eſt Mariæ Magdalenæ ac ceteris mulieribus; ſive illis, qui priùs dubitabant, ad eos in fide ſolidandos, & ut in fide firmati Reſurrectionis ejus toti mundo teſtes fierent, & ad hunc finem pluries apparuit Apoſtolis & Diſcipulis, ut ait Paulus 1. Cor. 15. Cum autem Virgini Matri nullâ ex præfatis cauſis apparuerit, nec ut ſuam Reſurrectionem Apoſtolis teſtaretur, aut mundo prædicaret, nec ut eam in fide firmaret, cùm firmiſſima eſſet, ſed unicè ei apparuerit, ut Filius Matri, & ut, cujus cor in Cruce pendens dolore transfixum reliquerat, viſu ſuæ glorioſæ Reſurrectionis exhilararet, propterea Evangeliſtæ de hujuſmodi Apparitionibus non fuerunt ſolliciti. Vel ergo dicendum eſſet, totis quadraginta diebus, quibus poſt Reſurrectionem in terris manſit, nunquam Virgini Matri Chriſtum apparuiſſe, quia non legitur ſcriptum, quod puto nemo dicet: vel pluries, & quidem priùs, quàm ulli alteri ei apparuiſſe, etſi ſcriptum non ſit.

VII. Quamvis autem poſt Reſurrectionem Chriſtus pluribus & pluries apparuerit, nemo tamen eum reſurgere vidit, ait Sanctus Thomas q. 55. citata ar. 2. Ut enim dicebamus ex Marci ultimo, prima, cui apparuit, fuit Maria Magdalena: iſta autem non vidit eum reſurgere; ſed cùm quæreret eum in Sepulchro, audivit ab Angelo, *Surrexit, non eſt hìc*: nemo ergo illum vidit reſurgere. Sed nec ipſi Cuſtodes Sepulchri eum reſurgentem viderunt. Nam cùm primò apparuerit Magdalenæ; cùmque Cuſtodes exterriti demum ſint, Angelo deſcendente, terram concutiente, & lapidem revolvente ad oſtendendum mulieribus ſepulchrum vacuum; non videtur dubitandum: quia ſicut ſepulchro clauſo reſurgens exivit, ita & exierit inviſibilis eâ poteſtate, quâ Corpus glorioſum pollet. Conſentit S. Auguſtinus Tract. 78. in Joann.

Hujus rationem ſumit Angelicus Doctor ex communi Divinæ Providentiæ ordine, quo ea, quæ ſupra homines ſunt, conſuevit per Angelos revelare; ſic per Angelum manifeſtavit Mariæ Conceptionem Chriſti. Cùm autem Chriſtus reſurgens non redierit ad vitam communiter hominibus notam, ſicut Lazarus, ſed ad vitam quandam glorioſam & immortalem aſſurgeret, congruum fuit, ut ipſa Chriſti Reſurrectio oculis mortalibus imme-

mediatè non videretur, ſed per Angelos hominibus nuntiaretur: unde Hilarius ſuper Matth. cap. ultimo dicit, quòd *Ideò Angelus prior Reſurrectionis eſt index, ut quodam famulatu Paternæ Voluntatis Reſurrectio nuntiaretur.*

VIII. Etiamſi autem Chriſtum actu reſurgentem Apoſtoli non viderint, adhuc tamen (inquit S. Thomas ad 1.) *potuerunt teſtificari Chriſti Reſurrectionem etiam de viſu: quia Chriſtum poſt Reſurrectionem viventem oculatâ fide viderunt, quem mortuum ſciverant.* Sicut qui ſciviſſent aut vidiſſent Lazarum mortuum, & poſtea eum vidiſſent viventem, quamvis eum actu è monumento reſurgentem non vidiſſent, potuiſſent de viſu teſtificari eum reſurrexiſſe: *Sicut ergo ad viſionem beatam pervenitur per auditum Fidei; ita ad viſionem Chriſti reſurgentis pervenerunt homines per ea, quæ priùs ab Angelis audierunt.*

IX. Cur autem congruum fuerit, ut viderint Apoſtoli Chriſtum in cœlum aſcendentem, non autem eum à mortuis reſurgentem; Rationem dat S. Thomas ad 2. *Quia Aſcenſio Chriſti quantùm ad terminum* à quo, *non tranſcendebant hominum communem notitiam, ſed ſolùm quantùm ad terminum*, ad quem: *Et ideò Diſcipuli potuerunt videre Aſcenſionem Chriſti quantùm ad terminum* à quo, *ideſt ſecundùm quod elevabatur à terra: non autem viderunt ipſum quantùm ad terminum* ad quem, *quia non viderunt, quomodo reciperetur in cœlo. Sed Reſurrectio Chriſti tranſcendebat communem notitiam, & quantùm ad terminum* à quo, *ſecundùm quod anima rediit ab inferis, & corpus de ſepulchro clauſo exivit: & quantùm ad terminum* ad quem, *ſecundùm quod eſt adeptus vitam glorioſam; & ideò non debuit Reſurrectio fieri ſic, quòd ab homine videretur.*

Addi poteſt, contrario modo ſe habuiſſe Reſurrectionem, & Aſcenſionem. Nam per Reſurrectionem Chriſtus reddebatur viſibilis, & videndus erat ab Apoſtolis: quod ſatis erat, ut poſſent eſſe teſtes Reſurrectionis, ut dictum eſt. At per Aſcenſionem ſubtrahebatur ab oculis Apoſtolorum, unde niſi eum aſcendentem vidiſſent, non potuiſſent de ejus aſcenſu in cœlum teſtificari.

§. II.

§. II.

Modus, quo Chriſtus poſt Reſurrectionem converſatus eſt.

X. Non fuiſſe conveniens, ut Chriſtus, ſicut ante, promiſcuè & continuè cum hominibus etiam ſuis Diſcipulis converſaretur, oſtendit S. Thomas q.55. citatâ ar.3., quia circa Reſurrectionem Chriſti duo erant maximè Diſcipulis declaranda, nempè Veritas Reſurrectionis, & Gloria reſurgentis. Ut manifeſtaret veritatem Reſurrectionis, pluries eis apparuit, ſe palpandum obtulit, cum eis per quadraginta dies familiariter eſt locutus, comedit etiam & bibit. Ut manifeſtaret autem gloriam ſuæ Reſurrectionis, noluit continuè converſari cum eis, & minùs cum aliis, ſicut priùs fecerat, ne videretur ad talem vitam reſurrexiſſe, qualem priùs habuerat: unde Lucæ ult. v.44. dicit eis: *Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum*: nam tunc erat quidem cum eis præſentia corporali, ſed ante cum eis fuerat etiam præſentia mortalitatis. Quare Beda prædicta verba exponens (cap.97. in Luc.) ait: *Cùm adhuc eſſem vobiſcum, ideſt cùm adhuc eſſem in carne mortali, in qua eſtis & vos. Tunc quidem in eadem carne reſuſcitatus erat, ſed cum illis in eadem mortalitate non erat*. Eſto autem magis gaviſi fuiſſent Diſcipuli, ſi eis continuè ſuam præſentiam exhibuiſſet: periculum tamen fuiſſet, ne per errorem ad ſimilem vitam eum reſurrexiſſe putarent, quam priùs habuerat: *Conſolationem autem de continua ſui præſentia in alia vita repromiſit, ſecundùm illud Jo:16. v.22.* „ Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis „. Ita S.Thomas ad 1.

XI. Quibus autem in locis, dum cum Diſcipulis non converſaretur, Chriſtus corporaliter eſſet, *incognitum eſt*, ait Sanctus Thomas ad 2. *cùm hoc Scriptura non tradat, & in omni loco ſit dominatio ejus*. Non eſt tamen improbabile, interdum fuiſſe cum B. Virgine Matre, ut tradit Ludolphus Carthuſ. p.2. c.81. Interdum etiam apud SS. Patres, quos in die mortis ſuæ viſitaverat, & beatitudine donaverat, ut ſentit S. Bonaventura in lib. de Vita Chriſti cap.79. & 81. Aliquando etiam apparuiſſe Petro, quem ſuarum ovium paſtorem deſignaverat, eum inſtruendo: aliquando Jacobo, aliquando quingentis Fratribus ſimul, ut 1. Corinth. 15. Aliquando tandem cum aliis Apoſtolis: uno verbo, nihil aliud dicere certò poſſumus, niſi quod ait Lucas

cas Act.1. v.3. *Quibus* (Apoſtolis) *& præbuit ſe ipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei*. Quibus autem & quoties præter ea, quæ ſcripta ſunt, apparuerit, & de quibus locutus ſit, nonniſi divinando aſſerere poſſumus, & ſolùm concludere cum Joanne cap.20. v.30. *Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc*; quod repetit c.21. v.25.

XII. Stando ergo in iis, quæ ſcripta ſunt ſive ab Evangeliſtis ſive à Paulo 1.Cor. 15. Decem Chriſti apparitiones narrantur, ut obſervant S. Auguſt. lib.3. de Conſ.Evangel. cap. ultim., & ex eo S. Thomas hìc ad tertium. Nempè quinque in die Reſurrectionis, & quinque poſtea: *Ideò autem* (ait S. Thomas) *prima die frequentiùs apparuit, quia per plura indicia erant admonendi, ut à principio fidem Reſurrectionis reciperent: poſtquam autem jam eam receperant, non oportebat eos jam certificatos tam frequentibus apparitionibus inſtrui: unde in Evangelio non legitur, quòd poſt primam diem eis apparuerit niſi quinquies*.

Primâ ergo die prima Apparitio facta eſt Mariæ Magdalenæ, ut habetur Marci ultimo v.9., & Joan.20. v.14. Secunda mulieribus à Sepulchro regredientibus Matth. 28. v. 9. Tertia Petro; hanc enim priorem ponimus illâ, quæ Diſcipulis in Emmaus euntibus, & fuit Quarta; quia illi redeuntes è Caſtello invenerunt Diſcipulos congregatos dicentes Lucæ 24. v.34. *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*, quaſi dicerent: non eſt incredibile, quòd narratis, Dominum à vobis viſum, jam enim ante Simoni apparuit. Accedit, quòd Paulus 1.Cor. 15. loquens de Chriſti Apparitionibus factis viris, primò ponit Petro factam v.5. *Quia viſus eſt Cephæ*, unde S. Thomas ibi Lect. 1. *Creditur*, inquit, *quòd inter viros primò apparuit Petro, quia erat in magna triſtitia: unde & Angelus dixit Marci ultimo* „ Ite, dicite Diſcipulis ejus, & Petro &c.„ Quinta cùm Dominus januis clauſis intravit ad Diſcipulos abſente Thomâ, Lucæ 24. v.36., & Jo:20. v.19. Hæ ſunt quinque Apparitiones factæ prima die.

Poſt has quinque Apparitiones, ſexta fuit octavo die, cùm Chriſtus præſente Thomâ iterùm januis clauſis intravit ad Diſcipulos Joan.20. v.26. Septima, quâ manifeſtavit ſe ad Mare Tiberiadis Diſcipulis piſcantibus, & cum illis comedit. Nec obeſt, quòd Joannes cap.21. v.14. vocet eam tertiam dicens: *Hoc jam tertiò manifeſtatus eſt Jeſus Diſcipulis ſuis*. Nam vocat eam tertiam ex iis, quas ipſe narrat, nempè factas Diſcipulorum cœtui, & ideò dicit *Diſcipulis ſuis*, non computans eas, quæ

fa-

Digitized by Google

factæ fuerant Magdalenæ, Mulieribus, Petro ac duobus Diſcipulis. Octava in Monte Galilææ Matth.28. v.16., ubi dicitur facta undecim Diſcipulis, quorum quidam eum *adoraverunt, quidam verò dubitaverunt*. Nona undecim recumbentibus, in qua eis exprobravit incredulitatem, ut Marci ultimo v.14., ubi dicitur: *Noviſſimè recumbentibus*: *Quia*, ut ait S. Thomas ad 3. *jam non erant in terra cum illo conviviaturi*. Decima tandem *in ipſo die Aſcenſionis in Monte Oliveti, non jam in terra, ſed elevatus in nube, cùm in cœlum aſcenderet*. Ita S. Thomas, qui addit: *Sed non omnia ſcripta ſunt, ſicut Joannes fatetur. Crebra enim erat ejus cum eis converſatio, priuſquam aſcendiſſet in cœlum, & hoc ad conſolationem ipſorum: unde & 1. ad Cor.15. dicitur*,, quòd viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul, deinde viſus eſt Jacobo,, *de quibus Apparitionibus in Evangelio non habetur mentio.*

XIII. Circa primam Apparitionem factam Mariæ Magdalenæ, aliqui volunt, factam ipſi fuiſſe, cùm primò venit ad ſepulchrum; putant enim, eam ſemel tantùm veniſſe: Probabiliùs tamen eſt, eam ac cæteras Mulieres ſemel atque iterùm ad ſepulchrum veniſſe. In primo adventu nihil viderunt, niſi revolutum lapidem, monumentum vacuum, & Angelum dicentem eis Jeſum ſurrexiſſe, & monentem ut irent & dicerent hoc Diſcipulis & Petro, Marci ultimo v.7. Ivit ergo Maria cum aliis, & nuntiaverunt Diſcipulis. Sic enim de Magdalena dicitur Joan.20. v.2. *Cucurrit ergo & venit ad Simonem Petrum & ad alium Diſcipulum, quem amabat Jeſus, & dicit illis: tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus, ubi poſuerunt eum*: idem cum Maria Magdalena feciſſe alias Mulieres, nimirùm regreſſas à monumento nuntiaſſe Diſcipulis, quæ ab Angelis de Jeſu audierant, refert Lucas cap.24. v.9. & 10. Igitur poſt primum adventum regreſſæ ſunt à ſepulchro tam ceteræ Mulieres, quàm Maria, non viſo Domino. Porrò Mariam iterùm ad ſepulchrum acceſſiſſe, & tunc Dominum vidiſſe, clarè oſtendit Joannes c.20., ubi poſtquam narravit, eam cucurriſſe è ſepulchro ad Petrum & Diſcipulos, dicendo: *Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus, ubi poſuerunt eum*; iterùm eam ſtatuit ad monumentum, dicens v.11. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans*; Quomodo autem ſtaret ad monumentum, à quo abierat; niſi illuc eſſet regreſſa? Cùmque perſeveraret in fletu, ſubdit Joannes v.14. *Converſa eſt retrorſum, & vidit Jeſum ſtantem, & non ſciebat, quia Jeſus eſt*. Tandem cognito, quòd Jeſus eſſet, iterum venit ad Diſcipulos *annuntians eis, quia vidi Dominum*. Vidit ergo Dominum non in primo, ſed in ſecundo acceſſu ad ſepulchrum.

chrum. Cumque Maria feſtinanter ad Diſcipulos currens cæteras Mulieres vel eſſet aſſecuta, vel obvias habuiſſet: *Ecce* (ut ſcribit Matthæus cap.28. v.9.) *Jeſus occurrit illis dicens, Avete. Illæ autem acceſſerunt & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.*

XIV. Sed cur hîc Jeſus permiſit ſibi à Mulieribus pedes tangi, qui pauló ante ab hoc pietatis & amoris ac venerationis actu Mariam prohibuerat, dicens Joan.20. v.17. *Noli me tangere?*

Non una eſt huic quæſito Patrum reſponſio. Planior tamen videtur ea, quæ dicit, quòd cùm ſciret Jeſus, ſi Magdalenæ permiſiſſet, ut ſibi oſcularetur pedes, amore, quo erga ipſum ardebat, in hoc pietatis officio præ gaudio moram traxiſſet, ac proinde lætum hoc nuntium Apoſtolis ferre diſtuliſſet, dixit ei: *Noli me tangere*, ideſt noli hic diutiùs immorari, vel tactu pedum meorum explorando, utrum ipſe ſim, aut certè mihi exhibendo tui amoris ſigna: *Nondum enim aſcendi ad Patrem*, ideſt, adhuc per quadraginta dies morabor in terris, ideòque ſat tibi ſupererit temporis, ut pedes meos complectaris: *Vade autem ad fratres meos, & dic eis, aſcendo ad Patrem meum* &c. Rumpe moras, & noli differre hoc læto nuntio eos de me anxios conſolari. Permiſit tamen ab aliis Mulieribus, inter quas erat etiam Maria Magdalena, ſibi teneri pedes; ſive quia occurrit eis, dum jam eſſent in via ad Apoſtolos, ſive quia ſciebat, eas in hoc officio non diu immoraturas, ut de Maria Magdalena compertum habuerat Lucæ 7.

XV. Aliud quæſitum proponit S. Thomas dicta q.55. ar.4. an Chriſtus convenienter apparuerit poſt Reſurrectionem in aliena effigie, ut primò apparuit Magdalenæ ſub effigie Hortulani, ac ſub effigie Peregrini poſtea duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus, & cùm Joan.21. v.4., ſtantem in littore Diſcipuli non cognoverunt. Circa quod ſuppono, Chriſtum apparuiſſe in alia effigie, non quam in ſe formaret: corporis enim glorioſi effigies ac figura in ſe mutari non poteſt, ſed quam in oculis intuentium imprimeret, ut Auguſtinus docet lib.3. de Conſ.Evang. cap.25., tacitè retractans, quòd Epiſt. 56. modò 118. dixerat. Cùm enim corpus glorioſum poſſit pro voluntate ſpecies effundere, ex diverſo modo eas imprimendi in oculis intuentium, fecerit ne agnoſceretur. Hoc modo oculi duorum Diſcipulorum Lucæ 24. v.16. *Tenebantur, ne illum agnoſcerent*, quia non erant eis impreſſæ ſpecies, quibus agnoſceretur, ſed aliæ, quibus in oculis eorum alia effigies formabatur. Dicuntur autem ibid. v.31. poſtea *oculi eorum aperti*, quia diffuſis à corpore Chriſti propriis ſpeciebus, & ex illis formatâ veræ effigiei Chriſti imagine, ſine im-

impedimento illum cognoverunt. Quamvis etiam poſſet dici cum S. Auguſtino lib.3. de Conſ. Evang. cap.25. apud S. Thomam ad ſecundum, non incongruenter accipi *hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuiſſe, ne agnoſceretur Jeſus.*

XVI. Hoc præmiſſo, dicit S.Thomas, conveniens fuiſſe, ut Chriſtus aliquibus in propria, aliquibus in alia effigie appareret: quia Reſurrectio Chriſti manifeſtanda fuit hominibus per modum, quo Divina revelantur; Divina autem hominibus diverſimodè innoteſcunt, ſecundùm quod diverſimodè ſunt affecti. Qui enim habent mentem benè diſpoſitam, ſecundùm veritatem Divina percipiunt. Illi autem, qui non habent mentem benè diſpoſitam, Divina percipiunt cum quadam confuſione dubietatis vel erroris: & ideò 1. ad Cor.2. v.14. dicitur: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei.* Quia autem aliqui erant benè diſpoſiti ad credendam ſuam Reſurrectionem, ideò iſtis apparuit in ſua effigie; quia verò aliqui in fide hæſitabant, ideò his in aliena effigie ſe præſentavit. Tales erant duo Diſcipuli euntes in Emmaus: dicebant enim Lucæ ultimo v. 21. *Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redemturus Iſrael*: unde meritò S.Gregorius homil.23. in Evang. *Talem*, inquit, *ſe exhibuit eis, qualis apud ipſos erat in mente: quia enim adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ire ſe longiùs finxit*, ac ſi eſſet peregrinus.

Nec tamen fictio iſta mendacium fuit, quia ad aliquod verum ſignificandum facta fuit; nam ut ait S. Thomas hìc ad primum, ex S. Auguſt. lib. 2. de Quæſt. Evangelicis qu. ultima: *Non omne quod fingimus, mendacium eſt: ſed quando illud fingimus, quod nihil ſignificat; tunc mendacium eſt: cùm autem fictio noſtra refertur in aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis: alioquin omnia, quæ à ſapientibus & ſanctis Viris, vel etiam ab ipſo Domino figuratè dicta ſunt, mendacia deputabuntur; quia ſecundùm uſitatum intellectum non conſiſtit veritas in talibus dictis. Sicut autem dicta, ita etiam finguntur facta ſine mendacio ad aliquam rem ſignificandam.* Ita S. Auguſt.; & ita factum fuit in caſu præſenti à Chriſto ad ſignificandam dubiam fidem Diſcipulorum.

XVII. Neque ſequitur, quòd ſi in una Apparitione Chriſtus apparuit Diſcipulis aliter ac eſſet, infirmetur omne aliud, quod Apoſtoli poſt Reſurrectionem viderunt in Chriſto, eo modo, quo, *ſi vel unum mendacium in Sacra Scriptura recipiatur, infirmabitur tota Sacræ Scripturæ auctoritas*, ut ex S. Auguſt. Epiſt. 8. & 9. ad Hieronymum colligitur.

Nam, ut dicit S. Thomas hìc ad 3. *Ratio illa ſequeretur, ſi ab*

ab alienæ effigiei aſpectu non fuiſſent reducti ad verè videndum Chriſti effigiem: *ſicut enim Auguſtinus dicit ibidem* à Chriſto facta eſt permiſſio, *ut ſcilicet prædicto modo oculi eorum tenerentur*, uſque ad Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participatâ removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Chriſtus poſſit agnoſci: *Unde ibidem ſubditur*, *quòd* aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum; non quòd ante clauſis oculis ambularent; ſed inerat aliquid, quo non ſinerentur agnoſcere, quod videbant, *quod ſcilicet caligo*, *& humor aliquis efficere ſolet*.

§. III.

Argumenta, *quibus Chriſtus ſuam Reſurrectionem demonſtravit*.

XVIII. OCcaſionem huic quæſito dat S. Lucas Act. 1. v. 3., ubi ait, quód Chriſtus Apoſtolis *præbuit ſe ipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis & loquens de Regno Dei*: ubi notat S. Thomas hac qu. 55. ar. 5., S. Lucam non loqui de argumentis deductis ex principiis, quæ probationem demonſtrativam efficerent, quia hæc vel Apoſtolis non eſſent nota, & ſic nihil per ea manifeſtaretur, quia ex ignotis non poteſt aliquid fieri notum: vel eſſent eis nota, quia non tranſcenderent rationem humanam: & ſic non eſſent efficacia ad fidem Reſurrectionis adſtruendam, quæ omnem rationem humanam excedit. Loquitur autem de argumento, quo vel ex teſtimonio infallibili, vel ex ſenſibilibus ſignis ratiocinando ad aliquid cognoſcendum perducimur. Unde primò uſus eſt teſtimonio Sacræ Scripturæ, quæ eſt Fidei fundamentum, ut ex iis, quæ in ipſo viderant peracta, oſtenderet eis, in ipſo impleta eſſe, quæ illæ prædixerant. Hoc argumento uſus eſt, ut perſuaderet duos Diſcipulos, cùm interpretando Scripturas à Moyſe Pſalmis & Prophetis, dixit Lucæ 24. v. 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum*, *& ita intrare in Gloriam ſuam?* Secundò etiam uſus eſt ſenſibilibus ſignis, ut ex iis, quæ in ipſo viderant, faciliùs moverentur ad Reſurrectionem ejus credendam. Hæc autem ſigna eis oſtendit propter duo. Primò, quia eorum corda non erant diſpoſita, ut de facili eam crederent; unde dixit eis Lucæ 24. v. 25. *O ſtulti & tardi corde ad credendum*. Secundò, ut per ejuſmodi ſigna eis oſtenſa efficacius eorum teſtimonium redderetur, & dicere poſſent: *Quod vidimus & audivimus & manus noſtræ contrectaverunt*, *hoc teſtamur* (1. Joan. 1. v. 1. &c.)

XIX. Nec

XIX. Nec talia ſigna oſtendendo abſtulit ab eis meritum fidei: hoc enim non totaliter excluditur, niſi homo nollet credere, niſi ea, quæ videt; ſed quòd aliquis ea, quæ non videt, credat per aliqua ſigna viſa, non totaliter fidem evacuat, nec meritum ejus: ſicut & Thomas, cui dictum eſt Joan.20. *Quia vidiſti me Thoma crediſti*, aliud vidit, & aliud credidit: vidit vulnera, & credidit Deum. Perfectioris tamen fidei eſt, qui non requirit hujuſmodi ſignorum auxilia ad credendum; & ideò ad arguendum defectum fidei in quibuſdam, Dominus dicit Joan. 4. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*. Et ſecundùm hoc poteſt intelligi illud: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*, quia illi, qui ſunt tam promti animo, ut credant Deo, etiam ſignis non viſis, ſunt Beati per comparationem ad illos, qui non credunt, niſi talia videant. Hæc ex S. Thoma ibid. ad 3.

XX. Supereſt oſtendere, quòd talia argumenta, quibus uſus eſt Chriſtus fuerint efficacia ad indicendam fidem de veritate Reſurrectionis ejus. Hoc præſtat S. Thomas hac q.55. ar.6., ubi dicit, quòd Chriſtus veritatem Reſurrectionis ſuæ dupliciter manifeſtavit, ſcilicet teſtimonio, & ſigno ſeu argumento, & utraque Manifeſtatio fuit in ſuo genere ſufficiens. Nam ad manifeſtandam ſuam Reſurrectionem uſus fuit teſtimonio Angelorum eam Mulieribus nuntiantium. Uſus eſt etiam teſtimonio Scripturarum, ad eam duobus Diſcipulis perſuadendam. Ex quibus teſtimoniis neutrum poteſt refelli.

Argumenta etiam ſeu ſigna, quæ adhibuit, fuerunt ſufficientia ad oſtendendum, ejus Reſurrectionem fuiſſe & veram & glorioſam. Veram tum ex parte corporis, oſtendendo primò eſſe corpus verum & ſolidum, non phantaſticum vel rarum, ſicut eſt aer, & hoc exhibens illud palpandum Lucæ ultimo: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*: ſecundò eſſe corpus humanum, oſtendendo eis veram effigiem, quam oculis intuerentur: tertiò eſſe idem numero corpus, oſtendendo eis vulnerum cicatrices: unde Lucæ ultimo dixit eis: *Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum*.

Tum ex parte Animæ: eam enim eſſe iteratò verè corpori unitam oſtendit per opera triplicis vitæ. Primò per opera vitæ nutritivæ, quando Lucæ ultim. cum Diſcipulis manducavit & bibit. Secundò per opera vitæ ſenſitivæ, quando Diſcipulis ad interrogata reſpondebat, & præſentes ſalutabat, in quo ſe & audire & videre manifeſtabat. Tertiò per opera vitæ intellectivæ, per hoc, quód cum eis de Scripturis diſſerebat, & eas interpretabatur. Et ne quid deeſſet ad perfectionem Manifeſtationis, oſten-

Digitized by Google

oſtendit etiam, ſe habere Divinam naturam, & per miraculum, quod fecit in piſcibus, & ulteriùs per hoc, quòd ipſis videntibus aſcendit in cœlum, ut enim dixerat Joan. 3. v. 13. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius Hominis, qui eſt in cœlo.*

Oſtendit demum, ſuam Reſurrectionem eſſe glorioſam per hoc, quòd ad eos januis clauſis intravit, & quòd ſubitò ab oculis eorum evanuit; quæ ſunt conditiones corporis glorioſi.

XXI. Singula præfata argumenta eo modo, quo à Chriſto ſunt exhibita, ſufficiebant ad veritatem ſuæ Reſurrectionis manifeſtandam, ſingula enim ad hanc probandam exhibebat. Sed (ait S. Thomas ad primum) licèt ſingula non ſufficerent, tamen omnia ſimul accepta manifeſtè veram ejus Reſurrectionem oſtendebant, maximè propter Scripturæ teſtimonium, Angelorum dicta, & ipſius Chriſti aſſertionem miraculis confirmatam. Nam etſi Angeli aliquando ſimilia fecerint in coporibus aſſumtis; non fecerunt tamen per hoc aſſerentes ſe homines eſſe, ſicut aſſerebat Chriſtus; ſed potiùs opinionem, quòd eſſent homines, delere conabantur. Neque etiam exiſtimare quis potuiſſet, operâ Dæmonum hæc eſſe facta, quia non ſerviiſſent eorum inſtituto & intentioni, qui potiùs à fide Reſurrectionis avertere conabantur; & omni ſtudio egerunt, ut Chriſti Corpus crederetur furto à Diſcipulis ſublatum.

CAPUT XXXVII.

De Chriſti in Cœlum Aſcenſu.

§. I.

Cur Chriſtus ſuum Aſcenſum diſtulerit.

I. POTERAT quidem Chriſtus peracto per paſſionem & mortem humanæ Redemtionis ac ſuæ Miſſionis myſterio, eoque per Reſurrectionem confirmato, ſtatim ad Cœlum unde deſcenderat reverti; Verùm cùm hoc diſtulerit, & ad quadraginta dies protraxerit, quæ cauſa fuerit, præter ſuam voluntatem, aſſequi non ita facile eſt. Id tamen voluiſſe, conjicere poſſumus, ut ſuæ Reſurrectionis veritatem in cordibus dubitantium imprimeret: ad hoc enim aliquot dies neceſſarii videbantur. Ad hunc finem omnes ejus apparitiones dirigebantur, ejuſque argumenta tendebant, ut Cap. præcedenti oſtendi.

At

Digitized by Google

At quorſum ad quadraginta dies diſtulerit, ænigma eſt. Illud tamen ſolvere conatur S. Auguſtinus, ſeu alius Auctor, qu. 26. inter ſexaginta quinque ad Oroſium, dicendo, factum hoc fuiſſe, ut quadraginta circiter horarum abſentiam, qua moriendo Diſcipulos ſuos vehementer afflixerat, quadraginta dierum præſentiâ, antequam ad Patrem rediret, compenſaret; ab hora ſi quidem nona Paraſceves, qua in Cruce emiſit ſpiritum, ad Auroram Dominicæ diei, qua reſurgens apparere cœpit, quadraginta circiter horas numeramus. Solvere hoc item conatur Angelicus Doctor eodem modo 3. p. q. 57. ar. 1. ad 4., ubi reſpondens objectioni, quæ nitebatur probare, quòd cùm Corpus Chriſti poſt Reſurrectionem non fuerit mutatum; ſi non immediatè poſt Reſurrectionem aſcendit in cœlum, nec videtur, quòd poſt quadraginta dies aſcendere debuerit, ait: *Licèt Chriſto reſurgenti in vitam immortalem congrueret locus cæleſtis; tamen aſcenſionem diſtulit, ut veritas Reſurrectionis comprobaretur: unde dicitur Act. 1., quod*,, poſt paſſionem ſuam præbuit ſe ipſum vivum (*Diſcipulis*) in multis argumentis per dies quadraginta.,, *Ubi dicit quædam Gloſſa*: quòd *quia per quadraginta horas mortuus fuerat, quadraginta diebus ſe vivere confirmat.*

Addens poſtea obſervationem allegoricam, inquit: *Vel per quadraginta dies typus præſentis ſeculi, quo Chriſtus in Eccleſia converſatur, poteſt intelligi. Vel quia homo conſtans quatuor elementis eruditur contra tranſgreſſionem Decalogi.*

Adeſt etiam alia obſervatio. Sicut enim poſt tranſitum maris rubri Deus Moyſi Legis ſuæ nuntio ſeſe per dies quadraginta viſendum exhibuit, quo eum pleniùs ac uberiùs de Legis arcanis & gubernio Populi, quem ejus curæ tradebat, erudiret: ita Chriſtus, tranſacto paſſionis ſuæ mari ſuo ſanguine rubro, Apoſtolis, quos Legis Evangelicæ promulgatores, & Eccleſiæ ſuæ regendæ Miniſtros elegerat, totidem diebus ſeſe viſendum præbuit, ſecretiora Legis arcana eis communicans: unde communis Patrum ſententia eſt, eo quadraginta dierum ſpatio à Chriſto Domino Apoſtolos accepiſſe quæcumque ad nos de Dogmatibus, de Sacramentis, de Sacris Ritibus tranſmiſere, quorum in Evangelio altum ſilentium eſt. Et hoc indicavit Lucas Act. 1. v. 3. dicens, quod eis *præbuit ſe ipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei.* Dici etiam poſſet, quadragenarium numerum Divinis in litteris conſecratum eſſe jejuniis Moyſi, Eliæ, ac ipſius Chriſti.

§. II.

Quinam Chriſti in Cœlum Aſcenſum negarint.

II. Sicut non defuerunt Hæretici, qui errarent circa Chriſti Reſurrectionem, de quibus ſupra cap. 34. §. 1., ita nec defuerunt, qui circa ejus Aſcenſum in Cœlum in varios errores abirent. Carpocrates, ævi Apoſtolici hæreſiarcha, Chriſtum in anima tantùm ad cœlos aſcendiſſe effutiit, corpus verò reliquiſſe in terra, teſtibus Philaſtrio & Theodorito lib. de Hæreſibus. Apelles verò, ſicut ex dictis ſupra, Chriſtum ſine corpore ſurrexiſſe ſomniavit, ita & ſine corpore in Cœlum aſcendiſſe dixit. Hujus inſaniæ meminerunt Tertullianus de Præſcript. Hæreticor. cap. 6. 30. & 34., S. Auguſtinus lib. de Hæreſ. cap. 23., Epiphanius hæreſi 24. & alii. His ſe adjunxere Seleuciani & Hermiani, dicentes, Chriſtum ad Patris dexteram in carne non ſedere, ſed eam exuiſſe, quando in Cœlos aſcendit. Narrat hoc Auguſt. lib. de Hæreſ. cap. 59. Hunc errorem excitarunt Moderni hæretici, ut dicemus.

Alii, quos ſine nomine refert Origenes, dicebant, quòd Salvator noſter è terris aſcendens ad Cœlum, & corpus aſſumens, pervenit uſque ad illum locum, qui Solis Zona dicitur, ibique tabernaculum corporis ſui poſuit, non enim erat poſſibile illud ultra progredi. His adhæſerunt antiqui Manichæi, qui referente S. Auguſtino lib. 6. contra Fauſtum c. 20., & Nazianzeno, dixerunt, Chriſtum in ſuo aſcenſu ad Cœlum corpus, ſeu veriùs umbram Corporis, in orbe ſolari reliquiſſe, abutentes illo dicto pſalmi 18. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum;* & cum ſola Divinitate ad Cœlos aſcendiſſe. Manichæi autem Recentiores teſte Eymerico p. 2. q. 13. negabant, Chriſtum in corpore & anima aſcendiſſe ad Cœlum, ſed omnia in ſimilitudinem & apparentiam fuiſſe facta, aſſerebant. Refert etiam Damaſcenus hæreſi 93., Chriſtolytas aſſeruiſſe, Chriſtum quando excitatus eſt ab inferis, ibi corpus cum anima reliquiſſe, & ſola Divinitate ad Cœlum aſcendiſſe: Imo narrat Guido Carmelita de hæreſibus, quoſdam dictos Corerios, ſeu Coterellos, negaſſe Chriſti Corpus eſſe glorificatum, ſed in die Judicii Cadaver putridum fore.

III. Noſtrorum temporum hæretici, ſicut in aliis Chriſti myſteriis, ita in hoc de ejus Aſcenſione antiquas hæreſes extumulare, eaſque novis erroribus ſuperveſtire ſtuduerunt. Svvenkfeldius lib. de duplici ſtatu Chriſti art. 17. dixit, poſtquam Chri-

Chriſtus in Cœlum aſcendit, Humanam naturam converſam fuiſſe in Divinam. Brentius in recognitione doctrinæ ſuæ fol. 167. dicit, Chriſtum poſtquam illud externum ſpectaculum aſcenſus ſui uſque ad nubes abſolvit, & ab oculis intuentium ſubtraxit, non eſſe pueriliter cogitandum, quòd ſub illa viſibili forma ad Cœlum illud fictitium, quod Empyreum vocant, perrexerit, in eoque ſtet, ſedeat, aut per illud ambulet; ſed Cœlum ipſi eſſe Patrem ſuum cœleſtem; in cujus gloria & majeſtate, retentâ formâ eſſentiali, regnat, non in Cœlo materiali tantum, ſed ſupra totum Univerſum. Et addit „ Domus Patris non eſt Cœ-
„ lum Empyreum, ſed eſt Cœlum incorporeum & ſpirituale,
„ quod & Cœleſte Regnum dicitur, & quod, ut dicebamus,
„ nec locis, nec locorum ſpatiis ſeu intervallis, ſed majeſtate
„ Dei definitur &c.

Matthias Flaccus Illyricus lib. de Aſcenſ. Domini, negat, Chriſtum hominem eſſe in Cœlo, ut in loco, ſed contendit Cœlum potiùs eſſe in Chriſto, cùm ipſe ſit ubique: ac inſuper vult, Chriſtum in humana forma uſque ad nubes quidem perrexiſſe, ulteriùs tamen non: ſed formam illam adſpectabilem & viſibilem ab eo evanuiſſe, ut jam in illa circumſcripta ampliùs non ſit, ſed ubique in inviſibili Majeſtate. Unde Joachimus Weſtphalus iniquum putat, dictionem hanc *ſursùm* quaſi locum accipere: ſed Chriſtum aſcendiſſe ad Cœlos idem eſſe ac evanuiſſe. Cui conſentit Nicolaus Selneccerus in Declarat. de Chriſti Perſona & Majeſtate art. 3., volens, quòd aſcendere in Chriſto non ſignificet motum furſùm, uti per ſcalas, aut gradus fit, ſed deſignet conſequi aliquem ſummum honoris gradum; & hoc modo Chriſtus aſcendit in Cœlum, quia ad ſummam Cœleſtis gloriæ poteſtatem & dignitatem elevatus fuit, eamque majorem, quàm Angelus aut ulla alia Creatura. Ita præfati Heterodoxi, omnia pro libito confundentes, Aſcenſionem Chriſti ad Cœlum veritate ſpoliant, eamque ad ſenſum allegoricum trahunt, ut aliud non fuerit Chriſto aſcendere in Cœlum, quàm ab oculis hominum evaneſcere, ac depoſitâ viſibili formâ hominis ſolâ inviſibili divinitatis Majeſtate, ut ante Incarnationem, unâ cum Cœleſti Patre regnare. Sed hi, ut ait Apoſtolus Rom. 1. v. 2., *evanuerunt in cogitationibus ſuis; & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Super quæ S. Thomas Lect. 7. *Dicentes*, inquit, *ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Dicentes, *id eſt ſapientiam ſibi à ſe ipſis adſcribentes* Iſaiæ 5. v. 21. „ Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, „ *ſtulti facti ſunt, quaſi contra divinam ſapientiam agentes, Jerem.* 10. v. 14.

 Stul-

„ Stultus factus eſt omnis homo a ſcientia „ *ſua*, *de qua ſcilicet præſumebat*.

§. III.

Aſcenſionis Chriſti Veritas.

IV. Chriſtum poſt quadrageſimum à Reſurrectione diem verè & in carne aſcendiſſe in Cœlum, ipſimet ejus Diſcipuli, qui fuerunt oculares teſtes, enarrant. Marcus c. 16. v. 19. *Dominus quidem Jeſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumtus eſt in Cœlum, & ſedet à dexteris Dei*. Lucas c. 24. v. 51. *Et factum eſt dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in Cœlum: & ipſi adorantes regreſſi ſunt in Jeruſalem cum gaudio magno*. Et Actorum 1. v. 9. *Videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cùmque intuerentur in Cœlum euntem illum; Ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt:* Viri *Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in Cœlum? Hic Jeſus, qui aſſumtus eſt à vobis in Cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum*. Quibus, cùm de viſione corporali ſermo ſit, clarum eſt, eos vidiſſe Jeſum aſcendentem corporaliter in Cœlum: & cùm ſub ea forma, qua aſcendit, venturus ſit ad Judicium, & ad Judicium venturus ſit ut Filius hominis in corpore humano & viſibili, ſequitur, quòd non ſolâ divinitate Cœlum aſcenderit & carnem dimiſerit, ſed quòd in Cœlum eam adduxerit, in Cœlo etiam ut homo ſit, ſicut ad judicium ut homo venturus eſt. Et ideo Act. 3. v. 21. dicit Petrus: *Quem oportet quidem Cœlum ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis omnium*. Et Actorum 7. v. 55. Stephanus: *Ecce*, inquit, *video Cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei*. Ubi *Filium hominis* dixit, ut oſtenderet, ſe Jeſum in Cœlis vidiſſe ſtantem ut hominem, ideſt habentem corpus humanum.

Hinc Gelaſius in lib. de duabus naturis contra Eutychetem. *Si*, inquit, *& ſubſtantia & forma hominis Jeſu Chriſti ... conſumta eſt, quis eſt, quem vidit ad dexteram virtutis ſtantem S. Stephanus? Quis hominis filius venturus eſt ad judicandos vivos & mortuos? Quis erit, quem videbunt, in quem compunxerunt? Abolitum eſt omne myſterium, vacuatum eſt, reſolutumque .. quod abſit, omne Sacramentum, falſumque erit, quod ait ipſe Salvator: Palpate, & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habentem. Et certè hoc poſt reſurrectionem dixit, talis jam dixit, qualis cum diſcipulis per quadraginta dies converſatus eſt,* con-

convefcens, & cobabitans cum eis. Talis dixit, qualis aſcendit in Cœlum: Talis dixit, qualis promiſſus eſt, inde eſſe venturus. Aut legant ipſi, ubi poſtea quam de ſe illa proſeſſus eſt, fuerit immutatus, & aliter quàm ſe diſcipulis patefecit, aſcenderit levatus in Cœlum.

Eodem ferè diſcurſu perſtriuxerat Appellitas S. Epiphanius hæreſ. 44. *Si Dominus reſurrexit, dic mihi, ad quid faciendum poſt reſurrectionem? ſi ipſum corpus rursùm reliquit in quatuor elementa partium, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum, ſiccum ad ſiccum, humidum ad humidum? Si enim excitavit ipſum, ut rursùm diſſolveret, ergo fabuloſitatis hoc opus fuit, & non veritatis. Excitavit autem ipſum Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & ſimul ſuum aſſumſit corpus, quod in ſe ipſum efformavit unâ cum anima, & totâ incarnatione perfectiſſime. Conſidet enim juxta apoſtolicum ſermonem: Deus excitavit, & collocavit eum in Cœleſtibus, velut teſtantur duo illi in veſtitu ſplendido Apoſtolis conſpecti, qui dixerunt, Viri Galilæi, quid ſtatis intuentes in Cœlum? Hic Jeſus, qui aſſumtus eſt à vobis in Cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum aſſumi. Et ut ne detur tibi rursùs occaſio malitiei contra veritatem, poſt multum tempus Aſſumtionis Salvatoris noſtri, Stephanus Sanctus Dei Martyr & teſtis, cùm lapidibus obrueretur à Judæis, reſpondit dicens: Ecce video Cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Patris: ut oſtendat ipſum corpus in veritate in ſpirituale reſurrexiſſe, unâ cum Deitate Unigeniti totum in ſpirituale unitum, & in Deitatem counitum. Supernè eſt enim ipſum Sanctum Corpus unâ cum Deitate, Totus Deus, unus Filius Sanctus Dei, ſedens in dextera Patris.* Ita Epiphanius.

V. Igitur dicant modò ad hæc Novatores. Jeſus in Reſurrectione ſua reſumſit Corpus verum? Planè, puto, dicent, ni velint totum chriſtianæ fidei fundamentum evertere. Si ergo reſurgens corpus reſumſit, reſumſit ne, ut illud ſemper retineret, an ut illud iterum aſcendens in Cœlum in elementa diſſolveret, & evaneſcere faceret? Si primum, ergo Corpus ſecum in Cœlum tulit, & cum eo adhuc manet. Si ſecundum, quod verè dicunt, cur reſurgens reſumſit corpus, quod poſt 40. dies erat diſſoluturus, aut dimiſſurus? Si cum eo non aſcendit in Cœlum; cur cum corpore aſcendentem ſe oſtendit Diſcipulis, & cum eo in Cœlo ſtantem ſe oſtendit Stephano? Si in Cœlo cum corpore non eſt, quomodo cum corpore veniet ad judicium; cum talis veniet, qualis aſcendit teſtantibus Angelis? An hæc omnia illuſiones ac meræ apparentiæ fuerunt? Nonne vident, hac imaginatione, ſe ad Manichæorum hæreſim accedere, totumque Incarnationis myſterium in puram apparentiam redigere?

Digitized by Google

re? Cum enim teſte Paulo ad Epheſ. 4. v. 9. *Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ? Qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes Cælos, ut impleret omnia.* Si aſcendens ſuum verum corpus non tulit, & implevit omnia, quæ de ipſo prophetæ dixerunt, dicere poterunt Manichæi, quòd deſcendens verum corpus non ſumſit, ſed apparens tantùm, & adhuc impleverit omnia. Uno verbo. Benè dixit Gelaſius ſupra laudatus, negatâ Aſcenſionis Chriſti veritate, *Abolitum eſt omne myſterium, vacuatum reſolutumque eſt omne Sacramentum.*

VI. Propterea Concilia, & Patres omnes tum Græci tum Latini Aſcenſum Chriſti in Cœlum cum Corpore & Anima tanquam articulum fidei propoſuerunt credendum. Damaſus in Confeſſione fidei apud Theodoritum lib. 5. Hiſt. c. 11. *Si quis*, inquit, *negaverit, Chriſtum in carne, quam ſumſit, ſedere ad dexteram Patris, in qua etiam venturus eſt ad Judicium de vivis & mortuis exercendum, anathema eſto.* S. Auguſtinus lib. de fide, & ſymbolo c. 6. ait, *Chriſtum in Cælos aſcendiſſe, quem beatitudinis locum nobis etiam promiſit..... Solet autem quoſdam offendere, vel impios Gentiles, vel hæreticos, quòd credamus aſſumtum terrenum corpus in Cælum. Sed Gentiles plerumque Philoſophorum argumentis nobiſcum agere ſolent, ut dicant, terrenum aliquid in Cælo eſſe non poſſe, noſtras enim Scripturas non noverunt* &c. Tertullianus lib. de reſurrect. carnis c. 51. dicit, quòd Chriſtus aſcendens in Cœlum: *Quemadmodum nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in Cælum pignus totius ſummæ illuc quandoque redigendæ; ſecuræ eſtote, caro & ſanguis, uſurpaſtis & Cælum, & Regnum Dei in Chriſto. Aut ſi negent vos in Chriſto, negant & in Cælo Chriſtum, qui vobis Cælum negaverunt.* Quibus Tertullianus oſtendit, Chriſtum carnem ſuam ſecum vexiſſe in Cœlum, ut eſſet arrha & pignus, carnem noſtram eſſe aliquando illuc deducendam: ita ut, qui negant carnem ibi eſſe in Chriſto, & carnem noſtram ibi aliquando futuram, negent quoque in Cœlo eſſe Chriſtum. Si ergo Caro noſtra poſt reſurrectionem aſſumenda erit in Cœlum, Caro Chriſti, quæ eſt arrha, poſt reſurrectionem deducta fuit in Cœlum.

Abſtineo à cæteris Patribus referendis, qui omnes in hac fide conveniunt. Solùm addam veterum Rabbinorum teſtimonium. Rabbi Havados lib. qui inſcribitur: *Revelator ſecretorum* ait: *Verſabitur Meſſias poſt reſurrectionem ſuam cum juſtis, qui audient præcepta ejus quadraginta diebus in figuram illorum quadraginta dierum, quibus erit in deſerto ad affligendam animam ſuam,* an-

anteqnam eum occiderint. Et his peractis, aſcendet in Cœlum, ſedebit ad dexteram Dei, ſicut dictum eſt pſalm. 110. *dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Idem dicunt R. Moyſes Hadarſan, R. Barachias, Auctor Midras Theillin in pſ.17., R. Jodden &c. Porrò cum Judæi putent Meſſiam futurum, non Deum, ſed purum hominem, dum dicunt, eum aſcenſurum in Cœlum, neceſſe eſt, ut fateantur, in carne eum aſcenſurum.

VII. Conveniens autem fuiſſe, ut Chriſtus poſt reſurrectionem in Cœlum aſcenderet, probat S. Thomas 3. p. q. 57. ar. 1. Quia *locus debet eſſe proportionatus locato. Chriſtus autem per reſurrectionem vitam immortalem & incorruptibilem inchoavit. Locus autem, in quo nos habitamus, eſt locus generationis & corruptionis: ſed locus Cœleſtis eſt locus incorruptionis. Et ideò non fuit conveniens, quòd Chriſtus poſt reſurrectionem remaneret in terris, ſed conveniens fuit, quòd aſcenderet in Cœlum.*

Nec dicatur, quòd cùm Chriſtus aſſumſerit carnem propter noſtram ſalutem, nobis magis ſalutare fuiſſet, ſi ſemper converſaretur nobiſcum in terris: Unde ipſe dixit diſcipulis ſuis Lucæ 17. v. 22. *Venient dies, quando deſideretis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis.*

VIII. Reſpondet enim S. Thomas ibidem ad tertium: *Quòd licèt præſentia corporalis Chriſti fuerit ſubtracta Fidelibus per Aſcenſionem, præſentia tamen Divinitatis ipſius ſemper adeſt Fidelibus, ſecundùm quod ipſe dicit Matth.ultimo* „ Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi. „ *Sed ipſa Aſcenſio Chriſti in Cœlum, quâ corporalem ſui præſentiam nobis ſubtraxit, magis fuit utilis nobis, quàm præſentia corporalis fuiſſet.* Et hoc oſtendit primò propter Fidei augmentum, quæ eſt de non viſis. Beati enim qui non vident, & credunt. Secundò, ad ſpei ſublevationem: unde ipſe dixit Joan.14. v.3. *Si abiero & præparavero vobis locum, iterùm venio & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis.* Per hoc enim, quòd humanam naturam aſſumtam in cœlis collocavit, dedit nobis ſpem illuc perveniendi. Tertiò, ad erigendum caritatis affectum in cœleſtia: unde Joan.16. v.7. dicebat: *Expedit vobis, ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos*: ac ſi diceret, inquit Auguſtinus Tract.94. in Joan., *Non poteſtis capere ſpiritum, quamdiù ſecundùm carnem noſſe perſiſtitis Chriſtum: Chriſto autem diſcedente corporaliter, non ſolùm Spiritus Sanctus, ſed & Pater & Filius illis affuit ſpiritualiter.*

IX. Congruum etiam fuit, ut aſcendens in Cœlum ſuum humanum corpus illuc aſportaret, ut illud, quod tot pœnis & op-

opprobriis, dum hîc pateretur, ſubjecerat & humiliaverat, particeps faceret gloriæ & triumphi ſui in Cœlo: quo exemplo excitaremur & nos ad affligendam carnem in terris, fidentes eam nos habituros gloriæ conſortem in cœlis. Ideò S. Auguſtinus ſerm.262.ad illa verba Pſalm.56. „ *Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua* „ ita ait: *Exaltare Tu, qui fuiſti in ventre Matris incluſus; Tu, qui in Præſepi jacuiſti; Tu, qui eſuriſti propter nos; Tu, quem vendidit Judas, quem emerunt Judæi, & non poſſederunt: Tu apprehenſe, ligate, flagellate, ſpinis coronate, in ligno ſuſpenſe, lancea percuſſe, Tu mortue, Tu ſepulte, exaltare ſuper cœlos, Deus.*

§. IV.

Aſcenſionis Modus, & Circumſtantiæ.

X. EX his, quæ dicturi erimus, multæ evaneſcent difficultates, ob quas præcipuè præcitati Novatores renuunt fateri, Chriſtum ſecundùm corpus humanum aſcendiſſe in Cœlum, volentes, eum aſcendiſse tantùm ſecundùm Divinitatem, quatenùs in omni cœleſti gloria, quam ſemper habuit, depoſitâ hac ſpectabili humanâ formâ regnare cœpit. Sic enim dicunt: in Cœlum debebat aſcendere, quòd de Cœlo deſcenderat: quia Joan.3. dicit Chriſtus: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit*, & Paulus ad Epheſ. 4. v.10. *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit*: ſola autem Chriſti Divinitas de Cœlo deſcenderat: ſola ergo fuit, quæ aſcendit.

XI. Sed hîc diſtinguere debuiſsent inter Perſonam, quæ deſcendit & aſcendit, & rationem ſecundùm quam deſcendit & aſcendit: ſicut enim ſi eadem perſona hominis ſimul ſit muſicus & medicus, verè quidem dicitur, quòd qui canit, ipſe eſt qui curat; non tamen ratio, ſecundùm quam canit, eſt ratio ſecundùm quam curat; nam canit ut muſicus, & ratio canendi eſt muſica; curat autem ut medicus, & ratio qua curat eſt ars medica; Ita cùm in Chriſto ſit quidem una Perſona, ſed ſit duplex natura, Divina & humana, licèt omnia, quæ Chriſtus fecit eidem perſonæ tribuantur, non tamen ſecundùm eandem rationem ei tribuuntur, unde dum Chriſtus patiebatur, dici quidem poterat, quòd ille ipſe patitur, qui eſt Deus, non tamen patiebatur ut Deus, ſed ut homo. Sic ergo cum dicitur: *Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo.* Et *qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit*: in hoc (inquit S. Thomas in cap.4. ad Epheſ. Lect.4.) De-

Digitized by Google

Deſignatur unitas perſonæ Dei & hominis; deſcendit enim Filius Dei aſſumendo humanam naturam, aſcendit autem Filius Hominis ſecundùm humanam naturam ad vitæ immortalis ſublimitatem.

Dici etiam poteſt cum S. Auguſt. lib.4. de Symbolo cap.7. *Quis eſt, qui deſcendit? Deus homo. Quis eſt, qui aſcendit? idem ipſe Deus homo.* Notat tamen S. Thomas 3.p. q.57. ar.2. ad 2. quòd *duplex deſcenſus attribuitur Chriſto. Unus quidem, quo dicitur deſcendiſſe de cœlo: qui quidem attribuitur Deo homini ſecundùm quod eſt Deus. Non enim eſt iſte deſcenſus intelligendus ſecundùm motum localem, ſed ſecundùm exaninitionem, quia cùm in forma Dei eſſet ſervi formam ſuſcepit..; non quòd cœlum deſeruerit, ſed quia naturam terrenam aſſumſit in unitatem perſonæ. Alius autem eſt deſcenſus, quo,,* deſcendit in inferiores partes terræ,, *ut dicitur Epheſ.* 4., *qui quidem eſt deſcenſus localis: unde competit Chriſto ſecundùm conditionem humanæ naturæ.*

XII. Similiter ad dubium, an Chriſtus aſcenderit ſecundùm humanam naturam, obſervat S. Thomas dicto art.2. in Corp., *Quod ly* ſecundùm *duo poteſt notare, ſcilicet conditionem aſcendentis, & cauſam aſcenſionis. Et ſi quidem deſignet conditionem aſcendentis, tunc aſcendere non poteſt convenire Chriſto ſecundùm conditionem Divinæ naturæ; tum quia nihil eſt Divinitate altius, quò poſſit aſcendere; tum etiam, quia aſcenſio eſt motus localis, qui Divinæ naturæ non competit, quæ eſt immobilis & inlocalis: ſed per hunc modum aſcenſio competit Chriſto ſecundùm humanam naturam, quæ continetur loco, & motui ſubjici poteſt: unde ſub hoc ſenſu poterimus dicere, quòd Chriſtus aſcendit in Cœlum ſecundùm quod homo, non ſecundùm quod Deus.*

Si verò ly ſecundùm *deſignet cauſam aſcenſionis, cùm Chriſtus ex virtute Divinitatis in Cœlum aſcenderit, non autem ex virtute humanæ naturæ, dicendum eſt, quòd Chriſtus aſcendit in Cœlum, non ſecundùm quod homo, ſed ſecundùm quod Deus: unde Auguſtinus dicit ſerm. de Aſcenſ.* (176. de Tempore) *De noſtro fuit, quod Filius Dei pependit in Cruce, ſed de ſuo, quòd aſcendit.*

XIII. Verùm quia, ut in eodem ar.3. in Corp. & ad ſecundum obſervat, in humana natura duplex virtus accipi poteſt: una, quæ procedit ex principiis naturæ, alia, quæ in humana natura eſt ex ſtatu gloriæ; ideò dicit, quòd prima quidem origo Aſcenſionis in Cœlum eſt virtus Divina, ſecunda tamen eſt virtus animæ glorificatæ, moventis corpus prout vult. Nam corpus quidem Chriſti, quia terrenum & grave ſicut noſtrum, virtute ac principiis ſuæ naturæ, ſe ſursùm ferre & aſcendere in Cœlum non poterat; potuit tamen Chriſtus, & de facto aſcendit propriâ

Digitized by Google

virtute, quæ eſt virtus Divina & propriâ virtute, quæ eſt animæ beatæ: *Et licèt aſcendere ſurſum ſit contra naturam humani corporis ſecundùm ſtatum præſentem, in quo corpus non eſt omnino ſubjectum ſpiritui; tamen non erit contra naturam, neque violentum corpori glorioſo, cujus tota natura eſt omnino ſubjecta ſpiritui*.

XIV. Ex his ſequitur, quòd cauſa hujus aſcenſus non alia fuit, niſi Chriſtus ipſe, qui non alienis præſidiis, ſed virtute Divinitatis ſuæ, & animæ propriæ (quæ utpotè beata) unitum ſibi corpus pro agilitatis dote ad arbitrium moventis, elatus eſt. Ideòque Gregorius Magnus homil.29. in Evang. *Notandum eſt*, inquit, *quòd Elias in curru legitur aſcendiſſe, ut videlicet apertè demonſtretur, quòd homo purus adjutorio indigebat alieno. Redemtor autem noſter non curru non Angelis ſublevatus legitur, quia qui fecerat omnia, ſuper omnia virtute ſuâ ferebatur*. Neque huic veritati obeſt, quòd Marci ultimo dicatur, quòd *aſſumtus eſt in Cœlum*: & Act. 1. *Videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*: quòd autem aſſumitur, elevatur, ſuſcipitur, ab alio videtur moveri; nam ut ſapienter obſervat S.Thomas ar 3. citato ad 1. *Sicut Chriſtus dicitur propriâ virtute ſurrexiſſe, & tamen eſt ſuſcitatus à Patre, eò quòd eſt eadem virtus Patris & Filii: ita etiam Chriſtus propriâ virtute aſcendit in Cœlum; & tamen à Patre eſt elevatus & aſſumtus. Nubes* autem *illa* (inquit ar. 4. ad 4.) quæ ſuſcepit eum ab oculis eorum: *non præbuit adminiculum Chriſto aſcendenti per modum vehiculi; ſed apparuit in ſignum Divinitatis, ſecundùm quod gloria Dei Iſrael apparebat ſuper tabernaculum in nube*.

XV. Nec minùs admirabilis fuit motus, quo ſeſe Chriſtus in Cœlum extulit. Quouſque enim intuentium Diſcipulorum oculi eum aſſequi potuerunt, ſenſim ac pedetentim elevabatur; at ubi ſubduxit eum nubes ab oculis eorum, illicò fulguris inſtar vibravit ſe in Cœlum Empyreum, non quidem motu inſtantaneo (hoc enim eſſe impoſſibile ex parte corporis, quòd moveatur localiter & moveatur in inſtanti, docet S. Thomas ar.3. ad 3. *Quia oportet, quod commetiatur ſe ſpatio, ſecundùm cujus diviſionem dividitur tempus*) motu tamen adeò veloci, quantò virtus infinita poteſt, ut eodem penè momento innumera ſpatia emenſus Empyrei culmen attigerit. „ Quæ res (ait Serry
„ Exercit.61. num.3.) prodigium vincit omne, ac penè fidem
„ ſuperat Aſtronomorum, quorum concors ſententia eſt; ter-
„ ram à concavo dumtaxat firmamenti, in quo ſunt ſtellæ fixæ,
„ diſtare octoginta millionibus milliarium: adeò ut lapis mo-
„ laris pondere ſuo è firmamento decidens per annos nonaginta

ca-

Digitized by Google

„ caſurus eſſet, antequam terram attingeret. Cui acceſſit aliud novum portentum, quòd ad Empyrei pervenit verticem Chriſtus non diſruptâ ſoliditate cœlorum, ſed infinita illâ quantitate penetratâ ſuper omnes aſcendit, dicente Apoſtolo ad Hebr.4. v.13. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jeſum Filium Dei, teneamus confeſſionem.*

XVI. Hanc tamen confeſſionem tenere, recuſant Novatores hodierni, qui, ut ſupra vidimus, & negant corporum penetrationem eſſe poſſibilem; & Chriſtum corpore ſupra omnes cœlos eſſe vanum commentum aſſerunt, ac Cœlum quod vocamus Empyreum eſſe Chimæram.

Sed penetrationem corporum eſſe Deo ſupernaturaliter operanti poſſibilem, demonſtratum eſt ſupra cap.34. §.3. n.24. Quibus hìc addo S. Thomam hac q.57. ar.4. ad 3. dicentem: *Quamvis de natura corporis non ſit, quòd poſſit eſſe in eodem loco cum alio corpore: tamen poteſt hoc Deus facere per miraculum, quòd in eodem loco poſſit eſſe ſimul cum alio corpore; ſicut & fecit, ut Corpus Chriſti de clauſo utero B. Virginis exiret, & quòd intravit januis clauſis ad Diſcipulos, ſicut dicit Gregorius* (homil.26. in Evang.) *Corpus ergo Chriſti ſimul poteſt eſſe cum alio corpore in eodem loco, non ex proprietate corporis, ſed per virtutem Divinam aſſiſtentem, & hoc operantem.*

XVII. Alterum verò, quòd Chriſtus corporaliter aſcenderit ſuper omnes cœlos, apertè dicit Paulus Epheſ.4. v.10. *Aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia.* Et probat S. Thomas dicta q.57. ar.4. & 5. hoc diſcurſu. Tantò alicui debetur altior locus, quantò eſt nobilius, ſive debeatur ei locus per modum contactus ſpiritualis, ſicut ſubſtantiis ſpiritualibus; ſive per modum contactus corporalis, ſicut corporibus: ergo ſicut ſubſtantiis ſpiritualibus debetur ſecundùm quandam congruentiam locus cœleſtis, qui eſt ſupremus locorum, quia illæ ſubſtantiæ ſunt ſupremæ in ordine ſubſtantiarum: ita Corpori Chriſti, quod, licèt conſiderando conditiones naturæ corporeæ, non ſit aliis corporibus ſuperius, ſed ſubſtantiis ſpiritualibus inferius; conſiderando tamen dignitatem Unionis, qua eſt perſonaliter Deo conjunctum, excellit dignitatem omnium, nedum corporum, ſed etiam ſubſtantiarum ſpiritualium; debetur locus altior ſupra omnem creaturam tum corporalem tum etiam ſpiritualem; & ſic ſupra omnem locum corporum, & ſupra omnem locum Angelorum, ac proinde ſupra omnes cœlos.

XVIII. An autem per hoc intelligendum ſit, quòd Corpus Chriſti ſit ita ſuper omnes cœlos, ut Chriſtus plantâ pedis tan-

gat ſuperficiem convexam ſupremi Cœli, & conſequenter totus ſit ſupra & extra cœlos, affirmant multi, quia Chriſtum eſſe excelſiorem cœlis, videtur erui ex Scripturis ad Epheſ. 4. ad Hebr. 4 & 7. Negant tamen alii: eò quòd nulla videatur ratio ponendi Chriſtum, aut Chriſti humanitatem ita ſupra Cœlos, ut extra omnes Cœlos ſit, cùm hoc ſit non eſſe in loco, ſed ſupra & extra omnem locum, cui opinioni adhæſiſſe videtur Sanctus Thomas in 3. diſt. 22. q. 3. ar. 3. his verbis: *Non dicitur Chriſtus aſcendiſſe ſuper Cœlos, quia extra Cœlum Empyreum ſit, ſed quia in altiſſimam partem Cœli Empyrei aſcendit.*

Controverſiam tamen hanc feliciter expedit S. Thomas hac q. 57. ar. 4. ad 2. dicens: *Locus habet rationem continentis: unde primum continens habet rationem primi locantis, quod eſt primum cœlum. In tantum igitur corpora indigent eſſe in loco per ſe, in quantum indigent contineri à corpore cœleſti. Corpora autem glorioſa, & maximè Corpus Chriſti non indiget tali continentiâ, quia nihil recipit à corporibus cœleſtibus, ſed à Deo mediante animâ: unde nihil prohibet, Corpus Chriſti eſſe extra totam continentiam cœleſtium corporum, & non eſſe in loco continente. Nec tamen oportet, quòd extra cœlum ſit vacuum, quia non eſt ibi locus. Nec eſt ibi aliqua potentia ſuſceptiva alicujus corporis, ſed potentia illuc perveniendi eſt in Chriſto. Quod autem Ariſtoteles probat 1. de cœlo, quòd extra cœlum non eſt corpus, intelligendum eſt de corporibus in ſolis naturalibus conſtitutis, ut per probationes apparet.* Hæc S. Thomas opinionem affirmantem explicans.

XIX. Si cui tamen nullus ex præfatis explicandi modis arrideat, non proinde cum Novatoribus temerè & audacter pronuntiet, Chriſtum ſecundùm corpus non verè aſcendiſſe in Cœlum, nec verè in Cœlo cum corpore eſſe; ſed dicat potiùs cum Auguſtino lib. de Fide & Symbolo cap. 6.: Sufficit mihi, ut credam, Corpus Chriſti, omni fragilitate ac labe terrenâ in cœleſtem puritatem ac ſtabilitatem mutatâ atque converſâ, ad Cœlos aſcendiſſe, ibique eſſe: *Sed ubi, & quomodo in cœlo ſit Corpus Dominicum, curioſiſſimum & ſupervacaneum eſt quærere: tantummodo in cœlo eſſe credendum eſt. Non eſt enim fragilitatis noſtræ cœlorum ſecreta diſcutere: ſed eſt noſtræ fidei de Dominici Corporis dignitate ſublimia & honeſta ſentire.* Et S. Doctorem imitando concludat cum eo Epiſt. 78., modò 197. ad Heſychium: *Magis eligo doctam ignorantiam, quàm falſam ſcientiam profiteri.*

Supereſt de Chriſti Aſcenſione in Cœlum quærere circumſtantias Temporis, quo aſcendit, & Loci, ex quo aſcendit.

XX. Circa Menſem & Diem, quo Chriſtus aſcendit in Cœlum,

lum, communiter creditur fuiſſe Maii Diem Quintam, diem Jovis. Cùm enim Eccleſiæ probata ſententia ſit, Chriſtum mortuum fuiſſe die 25. Martii, ac die 27. ejuſdem menſis quæ Dominica fuit ſurrexiſſe, & à Reſurrectione ad Aſcenſionem quadraginta dies notet Lucas Act. 1. v. 3., ex computo clarum & evidens ſit, Aſcenſum Chriſti in Cœlum incidiſſe in diem Jovis, & quintam Maii. Quare ſingularis eſt, & ideò non amplectenda, opinio S. Joan. Chryſoſtomi, volentis Chriſtum aſcendiſſe in Cœlum die Sabbati Homil. 3. in Act. Apoſt. Quâcumque enim die menſis Chriſtus ſurrexiſſe ponatur; cùm hæc Dominica certò fuerit, diem quadrageſimum inde ſuccedentem diem Jovis non Sabbati fuiſſe, ex computo demonſtratur. Neque obeſt, quòd Lucas dicat Act. 1. v. 12., quòd poſt Aſcenſionem Diſcipuli *tunc reverſi ſunt Hieroſolymam à monte, qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Jeruſalem Sabbati habens iter*, quibus ultimis verbis *Sabbati habens iter* motus Chryſoſtomus: *Videtur mihi*, inquit, *hæc in Sabbato geſta fuiſſe, alioquin ſpatium itineris non ſic indicaſſet*. Nam illis verbis ſolùm voluit indicare Lucas, Montem Oliveti adeò propè Jeruſalem eſſe, ut ſpatium illud etiam in die Sabbati poſſit pertranſiri.

XXI. De Hora diei, quâ aſcendit, non adeò certum eſt. Vulgò putatur, hanc fuiſſe horam meridianam, vel certè paulò poſt meridianam, nempè poſt prandium. Cui conſentire videtur Eccleſiæ Ritus, quo Cereus Paſchalis, qui à die Reſurrectionis ad diem Aſcenſionis accenditur ſingulis quadraginta diebus, horâ ſextâ diei quadrageſimæ Aſcenſionis prorsùs extinguitur. Et hoc videtur colligi ex illo Act. 1. v. 4. ubi dicitur, quòd *conveſcens* cum Apoſtolis, ultima eis monita dedit: *Et præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent*: ac poſtea *Videntibus illis elevatus eſt*.

Verùm conjecturæ ſunt hæ, non tamen certæ; tum quia ex quacumque comeſtione non arguitur prandium, quod in meridie fit: tum hoc etiam dato, prandium illud ſumtum creditur Hieroſolymis; deinde antequam aſcenderet, Chriſtus ad Montem Oliveti ſe contulit, qui ſex ſtadiis ab Hieroſolymis diſtat: hoc autem in itinere, in quo omnes Diſcipuli eum comitati ſunt, quantùm temporis conſumſerit, ignoratur. Tum etiam, nam ubi Vulgata habet *Conveſcens*, alii Codices tum Græci tum etiam Latini habent *Converſans* ſeu *congregans* eos in eodem loco. Et Verſio Arabica ſic exponit: *Cùmque ſe collegiſſet cum eis, præcepit eis, ne diſcederent ab Jeruſalem*. Cui expoſitioni favet quoque S. Auguſtinus lib. 1. de Actis cum Felice Manichæo, locum

Digitized by Google

cum ex Actibus Apoſt. ita referens: *Quibus præbuit ſe ipſum vivum poſt Paſſionem in multis argumentis dierum, viſus eſt dies quadraginta, & docens de Regno Dei, & quomodo converſatus ſit cum illis: & præcepit eis* &c., ubi nihil de prandio ſeu comeſtione.

Favere tamen videtur Marcus cap. 16. v. 14., qui dicit: *Noviſſimè recumbentibus illis undecim* (ad menſam) *apparuit & exprobravit incredulitatem eorum* &c. Deinde injuncto eis munere prædicandi omni Creaturæ Evangelium, ac promittens dona gratiarum iis, qui crediderint, ſubdit: *Et Dominus quidem Jeſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumtus eſt in Cœlum*. Sed cum non dicat Marcus, quanto tempore duraverit hæc Chriſti ad Apoſtolos locutio, nec quod eâ completâ ſtatim aſſumtus ſit in Cœlum; ſemper relinquitur incerta hora, quâ Chriſtus in Cœlum aſcenderit. Veriſimiliùs tamen cenſerem, horâ circa meridiem Chriſtum aſcendiſſe, cum S. Proſpero lib. ex Sententiis S. Auguſtini conflato ſic loquente: *Vigor Fidei Chriſtianæ tribus temporibus initiatur: Veſpere Mane & Meridie. Veſpere enim Dominus in Cruce, Mane in Reſurrectione, Meridie in Aſcenſione. Unum ad patientiam occiſi, aliud ad vitam reſuſcitati, tertium ad gloriam pertinet Majeſtatis in Patris dextera conſidentis.*

XXII. Non ita tamen incertus eſt locus, ex quo Chriſtus in Cœlum elevatus eſt. Quamvis enim S. Lucas ſecum pugnare videatur, cùm in Evangelio cap. ult. v. 50., Chriſtum ex Bethania aſcendiſſe, ſignificet, dicens: *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus ſuis benedixit eis, & factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum*: in Actibus verò Apoſt., quorum ipſe auctor eſt, ex Monte Oliveti Chriſtum elatum in Cœlum apertiſſimè tradit, dum Apoſtolos Aſcenſus illius ſpectatores ac teſtes peracto myſterio reverſos ait Hieroſolymam *à Monte, qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Jeruſalem Sabbati habens iter*. Attamen hæc ſecum minimè pugnare facilè intelliget, qui animadverterit, Bethaniam ſub ipſo Monte Oliveti ejuſque declivio fuiſſe ſitam. Bethaniam priùs ſe contulit Chriſtus, vel quia in itinere erat, vel fortè ut Lazarum, ejuſque ſorores, ſuæ Aſcenſionis teſtes duceret; ac tum comitantibus omnibus poſtea aſcendiſſe Montis cacumen, unde in Cœlum elatus eſt. Diſtaſſe autem à Jeruſalem *Sabbati iter* Montem Oliveti ſignificat, tanto diſtaſſe ſpatio, quantum Judæis licebat conficere die Sabbati. Spatium autem illud eſt ſex circiter ſtadiorum Græcorum, quæ ad unum milliare Italicum non perveniunt. Quare cùm Joan. 11. legimus, Bethaniam diſtaſſe à Jeroſolymis ſtadiis quindecim, de ſtadiis Hebraicis accipi debet, quæ

Græ-

Græcis duplo minora erant. Ita ex Serry citato.

XXIII. Quinam verò fuerint Chriſti aſcendentis in Cœlum ſpectatores ac teſtes, non adeò certum eſt. Putant quidam, ſolos undecim Apoſtolos adfuiſſe, quod colligunt ex Marco cap. 16., & Luca cap. 24., & Act. cap. 1. Alii putant, præter undecim adfuiſſe alios, etiam ex Mulieribus, & præcipuè Mariam Matrem Jeſu; moti ex eo, quod dicit Lucas Act. 1. v. 14., ubi loquens de illis, qui Chriſto in Montem elato, reverſi ſunt à à Monte Oliveti Hieroſolymam, & ingreſſi ſunt in Cœnaculum, præter undecim Apoſtolos alios recenſet dicens: *Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum Mulieribus, & Maria Matre Jeſu, & fratribus ejus*. Scio, reſponderi, S. Lucam ibi loqui non de illis, qui Chriſti Aſcenſus fuere ſpectatores, ſed illis, qui à reverſis è Monte Oliveti inventi ſunt in Cœnaculo, & qui cum Apoſtolis perſeverantes in Oratione, interfuerunt electioni Matthiæ in locum Judæ, qui erant ferè centum viginti. Verùm, quin huic reſponſo ſtatim acquieſcam, me movet primò; quia Lucas de illis, qui reverſi ſunt è Monte Oliveti dicit v. 3. *Et cum introiſſent in Cœnaculum, ubi manebant Petrus & Joannes* &c. Deinde enumeratis reliquis undecim, ſubdit: *Hi omnes erant perſeverantes in Oratione* &c. Si ergo qui manebant in Cœnaculo non fuerant ſpectatores Aſcenſus Chriſti, nec Apoſtoli, ſeu undecim ſpectatores fuerunt, quod cùm ſit contra veritatem, credi probabiliter debet, præter Undecim etiam alios ibi recenſitos Chriſto aſcendenti adfuiſſe. Si enim piè credunt, Mariam Matrem Dei interfuiſſe, cur non & alias Mulieres & Fratres Domini, qui ibidem à Luca recenſentur? Accedit, quòd, ut ſupra diximus, Chriſtus aſcenſurus tranſivit per Bethaniam, fortè ut Lazarum & Mariam ac Martham ſorores ſuæ Aſcenſionis teſtes ſecum adduceret. Nec nos deterret, quod dicunt, Lucam ibi recenſere eos, qui numero ferè centum viginti interfuerunt electioni Matthiæ. Nam electio Matthiæ non ſtatim, ſed aliquot poſt Aſcenſionem dies ſecuta fuit: & ideò dicit Lucas: *In diebus illis* &c.: unde non ſequitur, quòd qui interfuerunt electioni, interfuerint etiam Aſcenſioni Chriſti, ſed ſoli cum Diſcipulis priùs à Luca memorati. Ita probabiliter.

XXIV. Porrò quod dicit Lucas cap. 24. v. 50. & 51.: nempè Jeſus aſcenſurus in Cœlum *Benedixit eis: & factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum*: non eſt intelligendum, quòd hoc fecerit, quaſi elatâ manu dexterâ eos Crucis ſigno ſignaverit, ad eum modum, quo Papa vel Epiſcopus præſenti Populo benedicit; talis enim Ritus benedictionis

nis in forma Crucis impertiendæ, qui poſtea ex antiquæ ac modernæ Eccleſiæ conſuetudine invaluit, tunc temporis inſolitus erat; ſed benedictionis nomine intelligenda eſt fauſta precatio adjunctis precibus, quibus proſpera cæteris precabantur: quæ dum ſolemni Ritu à Sacerdotibus fierent, extenſis ad Populum manibus fundebantur. Sic Levit. 9. v.22. Aaron *extendens manus ad Populum benedixit ei*. Hoc ergo modo Chriſtus aſcendens benedixit adſtantibus: unde Lucas dicit: *Elevatis manibus benedixit eis*: non ait: *Elevatâ manu* vel *dexterâ*, utique dicturus, ſi dexterâ manu elevatâ, digitis crucem ſignantibus, eis benedixiſſet.

XXV. Pro hactenus dictorum coronide prætereundum non eſt, Chriſtum aſceudentem in Cœlum ſuæ Aſcenſionis perenne monumentum reliquiſſe, ſuarum nempè plantarum veſtigia, in culmine Montis Oliveti impreſſa, quæ nec tempore rerum omnium edaci, nec ullo caſu, nec toties loco percalcato obliterari aut deleri unquam potuere. Quo impletum fuit Zachariæ Oraculum cap.14. v.4. *Et ſtabunt pedes ejus in die illa ſuper Montem Olivarum, qui eſt contra Jeruſalem ad Orientem*. Hujus teſtes ſunt S. Hieronymus lib. de Locis Hebraicis, S. Paulinus Nolanus Epiſt.11. ad Severum, S.Auguſtinus Tract.47. in Joan. dicens: *Ibi ſunt veſtigia ejus, modò adorantur, ubi noviſſimè ſtetit, unde aſcendit in cœlum*. Optatus Milevitanus lib.6., & Severus Sulpitius lib.2. Hiſt. Sac. cap.49. his verbis: *Helena mater Principis Conſtantini, quæ Auguſta cum filio conregnabat, cùm Hieroſolymam agnoſcere concupiſceret, reperta ibi Idola ac Templa protrivit. Mox uſa Regni viribus, Baſilicam in loco Dominicæ Paſſionis & Reſurrectionis & Aſcenſionis conſtituit. Illud mirum, quòd locus ille, in quo poſtremùm inſtiterant Divina veſtigia, cùm in cœlum Dominus nube ſublatus eſt, continuari pavimento cum reliqua ſtratorum parte non potuit. Siquidem quæcumque applicabantur, inſolens humana ſuſcipere terra reſpueret, excuſſis in hora apponentium ſæpè marmoribus. Quin etiam calcati Deo pulveris adeò perenne documentum eſt, ut veſtigia impreſſa cernantur. Et cum quotidie confluentium Fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non ſentiat, & eadem adhuc ſui ſpeciem, velut impreſſis ſignata veſtigiis, terra cuſtodit*. Hoc negare non audet Caſaubonus, imò Exercit.16. in Baronium dicit. *Miraculum de ſanctis Domini veſtigiis priſtinum ſtatum continuò recipientibus, quidquid homines molirentur, propter conſenſum tot Scriptorum, & in his magni Hieronymi, qui fuit oculatus teſtis, fide mihi quidem videtur digniſſimum*. His addit Beda de Locis Sanctis cap.7., per an-

nos

nos ſingulos ipſo die feſto Aſcenſionis Domini, Miſsâ peractâ, validi flaminis procellam deſurſum venire conſueviſſe, totâque ibi nocte lucernas ardere, ut non tantùm illuſtrari, ſed conflagrare Mons Oliveti videatur. Cùm tamen hoc nec in præſenti obſervetur, nec ex Scriptoribus Bedæ ævo poſterioribus memoriæ traditum ſit; ſi in hoc fides Bedæ habenda eſt, dicendum, hoc fortè uſque ad ſua tempora contigiſſe, ſed poſtea prodigium ceſſaſſe.

CAPUT XXXVIII.

De Seſſione Chriſti ad dexteram Patris.

§. I.

Modus Seſſionis.

I. TERMINUS, ad quem aſcendens in Cœlum Chriſtus pervenit, fuit Seſſio ad dexteram Dei Patris. Ita ſcribit S. Marcus cap. 16. v. 19. *Aſſumtus eſt in Cælum, & ſedet à dextris Dei*: & eſt Articulus Fidei, quem in ſuis Symbolis expreſsè profitetur Eccleſia. Ne tamen quis putet, quòd cùm dicimus, Chriſtum ſedere ad dexteram Dei Patris, nomine *dextræ* intelligamus ſitum & figuram corporis, quâ circumſcriptus ſit Deus Pater; ita ut dum in eo ponitur dextrum & ſiniſtrum, ſentiatur in eo ſicut in homine eſſe latus, & proinde affingatur illi corpus humanum, ut craſsè ac ſtultè delirabant *Audiani* ſeu *Antropomorphitæ*, qui humanum corpus Deo affingebant; examinandum hîc erit, quid per Seſſionem Chriſti ad dexteram Dei Patris Catholica Fides intelligat.

II. De hoc agit S. Thomas 3.p. q.58., ubi ar.1. dicit, quòd Seſſionis nomine poſſumus duo conſiderare, videlicèt quietem, ſecundùm illud Lucæ ultim. v.49. *Vos autem ſedete in Civitate*, ideſt manete vel quieſcite: vel judicariam poteſtatem, ſecundùm illud Proverb.20. v.20. *Rex, qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo*. Utroque autem modo Chriſto competit ſedere ad dexteram Patris. Et quatenùs Seſſio dicit quietem ſeu manſionem; quia manet incorruptibilis in beatitudine Patris, quæ ejus dextera dicitur, Pſal.15. v.11. *Delectationes in dextera tua uſque in finem*. Hinc S. Auguſt. lib.1. de Symbolo cap.4. *Sedet*, inquit, *ad dexteram Patris. Sedere, habitare intelligite, quomodo dicimus de quocumque homine, in illa patria ſedit per tres*

annos. Sic ergo credite, Chriſtum habitare in dextera Dei Patris, beatus enim eſt, & ipſius beatitudinis nomen eſt dextera Patris. Et etiam ſedere dicitur Chriſtus in dextera Dei Patris, quatenùs Patri conregnat, & ab eo accipit judiciariam poteſtatem, ſicut ille, qui conſidet Regi ad dexteram, aſſidet ei in regnando & judicando. Et ideò Auguſt. lib.2. de Symb. cap.7. dicit: *Ipſam dexteram intelligite poteſtatem, quam accepit ille homo ſuſceptus à Deo, ut veniat judicaturus, qui priùs venerat judicandus.*

Non ergo dextera vel ſiniſtra accipienda eſt localiter, ait Damaſcenus lib. 4. Orthod. Fidei cap. 2. *Non localem dexteram Patris dicimus, qualiter enim qui incircumſcriptibilis eſt localem adipiſcitur dexteram? Dextera enim & ſiniſtra eorum, quæ circumſcribuntur, ſunt. Dexteram autem Patris dicimus gloriam & honorem Divinitatis.* Nec proinde ſequitur, quòd ſi Chriſtus ſedet ad dexteram Patris, Pater ſedeat ad ſiniſtram. Nam, ut ait Sanctus Thomas ad ſecundum, hoc eſſet verum, ſi ſedere ad dexteram ſumeretur corporaliter. Ceterùm in beatitudine, quæ eſt dextera Patris totum eſt dexterum, nihil ſiniſtrum. Sic Auguſt. lib.1. de Symb. cap.4. *Si carnaliter acceperimus, quòd Chriſtus ſedet ad dexteram Patris, ille erit ad ſiniſtram. Ibi autem,* ſcilicet in æterna beatitudine, *omnis dextera eſt, quia nulla eſt ibi miſeria.*

Quæres tamen. Si Chriſtus à dextris Patris ſedet, cur Stephanus Act.7. v.55. dicit: *Ecce video Cælos apertos, & Filium Hominis ſtantem à dextris Dei?* Reſpondet S. Thomas ibid. ad 3. ex S. Gregorio Homil.29. in Evang. dicente: *Sedere judicantis eſt, ſtare verò pugnantis vel adjuvantis. Stephanus ergo in labore certaminis poſitus, ſtantem vidit, quem adjutorem habuit. Sed hunc poſt Aſcenſionem Marcus ſedere deſcribit, quia poſt Aſcenſionis ſuæ gloriam judex in fine videbitur.*

III. Sedet igitur Chriſtus ad dexteram Patris, & ut eſt Deus, & ut eſt homo, aliter tamen ut Deus, aliter ut homo. Nam, ut oſtendit S. Thomas ar.2. quæſt.58. citato, in quantùm Deus ſedet ad dexteram Patris, quia *ſimul cum Patre habet gloriam Divinitatis, & beatitudinem & judiciariam poteſtatem, & hoc immutabiliter & regaliter*: & (ut ait ibi ad 2.) *non per aliquam aſſumtionem, ſed per æternam originem.* Et ideò cùm dicitur, quód ſedet ad dexteram Patris, ut Deus, *hæc præpoſitio* Ad, *quæ tranſitiva eſt, ſolam diſtinctionem perſonalem importat, & originis ordinem, non autem gradum naturæ vel dignitatis, qui nullus eſt in Divinis Perſonis.* (Ita S. Doctor in corpore ejuſdem art.) Hinc ad 3. notat, quòd *nullo modo poteſt dici, quòd Pater ſedeat ad dexte-*

Digitized by Google

dexteram Filii vel Spiritus Sancti, quia Filius & Spiritus Sanctus trahunt originem à Patre, & non è converſo. Sed Spiritus Sanctus propriè poteſt dici ſedere ad dexteram Patris vel Filii, ſecundùm ſenſum prædictum (quia ab utroque trahit originem) *licèt ſecundùm quandam appropriationem attribuatur Filio, cui appropriatur æqualitas; ſicut dicit Auguſt.* lib.1. de Doctr. Chriſt. cap.5., *quòd in Patre eſt unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto unitatis æqualitatiſque connexio.*

IV. In quantùm verò homo (dicit S. Thomas ar.3.) quòd cùm ſedere ad dexteram importet convenientiam cum quadam diſtinctione, nimirùm acceſſum ad gloriam & poteſtatem Patris, hoc poteſt tripliciter cogitari. Uno modo ut ſit convenientia in natura, & diſtinctio in perſona. Et ſic Chriſtus, ſecundùm quod Filius Dei, ſedet ad dexteram Patris ut æqualis illi, quia habet eandem naturam cum illo, ut dictum eſt, licèt diſtinguatur in perſona. Alio modo ſecundùm Gratiam Unionis, quæ importat è converſo diſtinctionem naturæ, & unitatem perſonæ, & ſecundùm hoc Chriſtus, ſecundùm quod homo, ſi ly *ſecundùm* deſignet unitatem ſuppoſiti non conditionem naturæ, eſt Filius Dei, & ſedet ad dexteram Patris, ut æqualis illi. Tertio modo, ut ly ſecundùm quod homo deſignet conditionem naturæ ornatæ gratia habituali abundantiori modo ſupra cæteras creaturas, & ſecundùm hoc non competit ei ſedere ad dexteram Patris ſecundùm rationem æqualitatis quatenùs homo, ſed ſolùm ſecundùm excellentiam beatitudinis, & judiciariam poteſtatem ſupra omnem creaturam. Et in hoc ſenſu, ut notat Sylvius ad hunc art. communius intelligitur, Chriſtum ſedere ad dexteram Patris, partim quia Chriſtus non dicitur ſedere ad dexteram Patris ab æterno, ſed ex quo ſurrexit à mortuis, & aſcendit in Cœlum: unde in Symbolo hæc omnia tribuuntur Chriſto ſecundùm humanam naturam, quam Filius Dei ſibi unitam in gloriæ Patris dextera collocavit, ut in Feſto Aſcenſionis profitetur Eccleſia.

V. Cùm ergo ſedere ad dexteram Patris conveniat Chriſto, in quantùm ſecundùm naturam Divinam eſt in æqualitate Patris, ſecundùm autem naturam humanam in excellenti poſſeſſione Divinorum bonorum ſupra cæteras Creaturas, optimè infert Sanctus Thomas ar.4. nulli alii, nec Angelo, nec homini convenire ſedere ad dexteram Patris, niſi ſoli Chriſto: unde Paulus ad Hebr. 1. v.13. ait: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando* (Deus) *ſede à dextris meis*? quaſi dicat, ad nullum.

Quia tamen Chriſtus eſt Caput noſtrum, illud quod collatum

Nn 2

tum eſt Chriſto, eſt etiam nobis in ipſo collatum. Ideò, ex quo ipſe jam reſuſcitatus eſt, dicit Apoſtolus Epheſ. 2. v.6., quòd Deus nos quodammodo ei *conreſuſcitavit*, qui tamen in nobis ipſis non ſumus reſuſcitati, ſed reſuſcitandi, & ſecundùm eundem modum ſubdit, quòd *conſedere nos fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu*, ſcilicet in hoc ipſo, quòd Caput noſtrum, qui eſt Chriſtus, ibi ſedet. Ita S. Thomas ibid. ad primum.

VI. Hinc non obſtat, quòd Chriſtus Matth. 19. Apoſtolis dicat: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſrael*. Nam, ut ait S. Thomas ad 3. *Per thronum ſignificatur judiciaria poteſtas, quam Chriſtus habet à Patre, & ſecundùm hoc dicitur ſedere in Throno Patris. Alii autem Sancti habent eam à Chriſto: & ſecundùm hoc dicuntur in Throno Chriſti ſedere*. Ubi nota, quód de ſolo Chriſto dicit, quòd ſedeat in Throno Patris, de aliis autem Sanctis, quòd ſedeant in Throno Chriſti, nimirùm participando de judiciaria poteſtate ejus. Et ideò S. Thomas ad 4. de Filiis Zebedæi dicit: *Quòd petebant Filii Zebedæi excellentiam habere præ aliis in participando judiciariam poteſtatem ejus: unde non petebant, quòd ſederent ad dexteram vel ſiniſtram Patris, ſed ad dexteram vel ſiniſtram Chriſti*. Unde ſequitur, ſoli Chriſto competere ſedere ad dexteram Patris, quaſi per ſe & naturaliter ut Filio: Aliis autem ſedere ad dexteram Chriſti, quaſi de ejus beatitudine & judiciaria poteſtate ab ipſo ut capite participantibus, tanquam ejus membris ac miniſtris. Ideòque ſolus Chriſtus cum Patre Æterno gloriæ & æqualis poteſtatis conſors eſt, & eodem honore veneramur ipſum in natura aſſumta, quo proſequimur Patrem.

§. II.

Quid Chriſtus ſedens ad dexteram Patris pro nobis agat.

VII. CHriſtum ad Patris dexteram ſedentem fungi etiamnum Sacerdotis officio, ac ſe ipſum continuò pro nobis offerre, dicit Paulus in Epiſt. ad Hebræos, ubi cap.4. v.14. de Chriſto ait: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos Jeſum Filium Dei ..... Adeamus cum fiducia ad Thronum Gratiæ*, cap.7. v.24. *Hic autem eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium. Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*, cap.8. v.1. *Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cælis, Sanctorum Miniſter, & Taber-*

bernaculi veri, quod fixit Deus & non homo, & cap.10. v.11. *Et omnis quidem Sacerdos præſtò eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſepè offerens hoſtias, quæ numquam poſſunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum ſedet in dextra Dei... Unâ enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*. Hiſce omnibus S. Paulus exhibet nobis Chriſtum in Cœlis tanquam Sacerdotem & Pontificem æternâ ſui oblatione ſacrificium Crucis etiam nunc offerentem.

VIII. Hoc autem oſtendit primò. Quia Sacerdotium Chriſti non eſt temporaneum, ſicut fuit Sacerdotium Aaronicum, ſed æternum: & ideo comparatur Sacerdotio Melchiſedech, quia (cap.7. v.3.) *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatum autem Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum*, quòd cap.5. v.6. probaverat ex illo Pſal. 109. v.4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*: ſi ergo Chriſtus manet Sacerdos in perpetuum, Sacerdotium exercuit nedum in terris, ſed & maximè illud exercet, dum eſt in cœlis. Et ideò dicit Paulus: *Habentes Pontificem, qui penetravit cælos, adeamus cum fiducia Thronum gratiæ*.

Secundò, quòd in cœlis Sacerdotis officio fungatur, indicant illa verba: *Accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*. Super quæ S. Thomas in cap.7. ad Hebr. Lect.4. *Accedit*, inquit, *in quantùm homo, ſed per ſemetipſum in quantùm Deus. Excellentiam verò naturæ oſtendit, in quantùm dicit*: ſemper vivens.... *Excellentiam pietatis oſtendit, quia dicit*, ad interpellandum pro nobis: *Quia licèt ſit ita potens, ita altus: tamen cum hoc eſt pius, quia interpellat pro nobis* 1. *Cor*.2. Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum &c. *Interpellat autem pro nobis, primò humanitatem ſuam, quam pro nobis aſſumſit, repræſentando. Item ſanctiſſimæ animæ ſuæ deſiderium, quod de ſalute noſtra habuit, exprimendo, cum quo interpellat pro nobis*. En clarè expreſſus modus, quo Chriſtus in Cœlis Sacerdotio pro nobis fungitur, non novam hoſtiam offerendo, ſed humanitatem, quam ſemel obtulit, & deſiderium de noſtra ſalute, quod ſemel habuit, Patri repræſentando. Hæc eſt conſtans & perpetua Sanctorum Patrum tam Græcorum quàm Latinorum ſententia, quos congerit Thomaſſinus lib.10. de Incarnat. Verbi cap.12. 13. &c.

IX. Et quidem ſaluti noſtræ non fuiſſet ſatis conſultum, niſi haberemus immortalem Sacerdotem in Cœlis, qui ſalvare in perpetuum poſſet accedentes per ipſum ad Deum, qui ſemper viveret ad interpellandum pro nobis. Propterea ut oſtende-

Digitized by Google

deret, ſe in Cœlis à Sacerdotali officio pro nobis non vacaturum, aſcendens in Cœlum Chriſtus cicatrices vulnerum ſecum afferre voluit, quibus tanquam ſemel mactatæ victimæ recentibus adhuc notis inſignitum corpus ſuum inſtar hoſtiæ ſempiternæ Deo Patri continuò offerret.

Ex his infertur, quòd tamdiu ſtabit Sacerdotium Chriſti in Cœlis, quamdiù perdurabit Unio Hypoſtatica Verbi Divini cum natura humana: ex illa enim unione manet Chriſti Sacerdotium: cùm ergo Unio Hypoſtatica in æternum ſit duratura, idcircò Chriſti Sacerdotium in æternum durabit, tum ratione perſonæ, quæ ſemper vivit, ut ſicut nullus eum in ſuo Sacerdotio præceſſit, ita nullus ei ſucceſſurus ſit: unde differt à Leviticis Sacerdotibus, quorum Sacerdotium morte finiebatur, quique propterea habebant ſucceſſores. Tum ratione officii, non ſolùm quia ſemper interpellat pro nobis, verùm etiam quia jugiter ſacrificat, vel per ſe ipſum continuò ſemetipſum offerendo, vel per alios miniſtros ſuos in terris: *Idem enim eſt nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum in Cruce obtulit*, ait Concil. Trident. ſeſſ.22. cap.2. Fungitur autem Chriſtus hoc officio *in æternum*, hoc eſt uſque ad conſummationem ſeculi, donec omnes ſuos electos conſummaverit. De quo Anſelmus in cap. 5. ad Hebræos. Tum denique ratione effectus, qui eſt ſalus noſtra, non temporalis, ſed æterna: unde S. Thomas 3.p. q.22. art.5. ait: *In officio Sacerdotis duo poſſunt conſiderari. Primò quidem ipſa oblatio ſacrificii. Secundò ipſa ſacrificii conſummatio; quæ quidem conſiſtit in hoc, quòd illi, pro quibus ſacrificium offertur, finem ſacrificii conſequuntur. Finis autem ſacrificii, quod Chriſtus obtulit, non fuerunt bona temporalia, ſed æterna, quæ per ejus mortem adipiſcimur: unde dicitur Hebr.9.* „ Chriſtus eſt aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum „ *ratione cujus Chriſti Sacerdotium dicitur eſſe æternum.*

X. Sed contra dicta blaterant Proteſtantes. Primò Chriſtus ſedens ad dexteram Patris non orat pro nobis: non ergo fungitur Sacerdotis officio. Ant. probant; tum quia Oratio arguit defectum poteſtatis. Nam ut arguit Auguſtinus lib.4. ad Bonifacium cap.9. *Prorſùs non oramus, ſed orare nos fugimus, ſi petimus, quod credimus eſſe in noſtra poteſtate*: Chriſtus autem à dextris Patris ſedens pari cum Patre, ac proinde infinitâ pollet poteſtate.

Deinde. Cùm Oratio Chriſti ſit infiniti valoris & pretii, ſi Chriſtus pro nobis in Cœlis oraret, nobis omnia, quibus indigemus, impetraret, ac ſubinde Orationes noſtræ, & Sanctorum

pro

pro nobis eſſent nedum ſuperfluæ, ſed Chriſti Orationi injurioſæ.

XI. Reſpondetur negando antecedens. Nam ſi quid obſtaret, ne Chriſtus oret pro nobis in Cœlis, obſtaſſet etiam ne oraret, dum erat in terris; vel enim obſtaret Unio Hypoſtatica: & hanc habuit humanitas Chriſti à momento ſuæ conceptionis; vel obſtaret viſio beatifica, & hanc etiam habuit, dum nobiſcum in terris verſaretur, nam ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit viator ſimul & comprehenſor. Si ergo non obſtantibus unione hypoſtaticâ & viſione beatificâ, quibus fruebatur, dum ageret in terris, oravit, & ut habetur Lucæ 6. v.12., priuſquam ad electionem Apoſtolorum deveniret, exiit in montem orare, & erat pernoctans in Oratione Dei, quod aliis vicibus fecit: cur non poterit orare etiam exiſtens in Cœlis? Nam Sancti etiam in Cœlis cum Chriſto regnantes & Beati orant pro nobis, ut invictè contra Heterodoxos probant Catholici.

Ad primam igitur probationem. Reſpondeo cum S. Thoma 3.p. q.21. ar.1. Quòd *ſi in Chriſto eſſet una tantùm voluntas, ſcilicet Divina, nullo modo competeret ſibi orare: quia voluntas Divina per ſe ipſam eſt effectiva eorum, quæ vult, ſecundùm illud Pſal.* 134. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit: *Sed quia in Chriſto eſt alia voluntas Divina & alia humana, & voluntas humana non eſt per ſe ipſam efficax ad implendum quæ vult, niſi per virtutem Divinam, inde eſt, quòd Chriſto, ſecundùm quod eſt homo, & humanam voluntatem habens, competit orare*. Quare egregiè S. Auguſtinus in Pſal.85. *Chriſtus*, inquit, *orat in nobis, orat pro nobis, & oratur à nobis. Orat in nobis, ut caput noſtrum; orat pro nobis, ut Sacerdos noſter; oratur à nobis, ut Deus noſter*.

Quia tamen, ut dicit S. Thomas nuper laudatus, *Oratio eſt quædam explicatio propriæ voluntatis apud Deum, ut eam impleat*: hæc autem explicatio fieri poteſt, ſive exteriùs per vocem, ſive interiùs per deſiderium cordis: dum dicimus cum Paulo, Chriſtum in Cœlis ſemper vivere ad interpellandum pro nobis, non intendimus, eum voce continuò orare, ſed cum D. Thoma Lect.4. in cap.7. ad Hebr. dicimus, quòd Chriſtus interpellat pro nobis: *Primò humanitatem ſuam, quam pro nobis aſſumſit, repræſentando: item ſanctiſſimæ animæ ſuæ deſiderium, quod de ſalute noſtra habuit, exprimendo*.

XII. Ad ſecundam verò probationem, reſponſio contra Heterodoxos eſt, nec noſtras in terris, nec Sanctorum in cœlis preces eſſe ſuperfluas aut injurioſas Orationi Chriſti, quia preces noſtræ & Sanctorum nihil petunt, niſi per merita & Orationem

nem

nem Chriſti obtinendum, quemadmodum ipſe nos docuit Jo:14. v.13., & cap.16. v.23. *Amen amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in Nomine meo dabit vobis*. Hinc in Nomine & per merita Chriſti ſuas claudit Orationes Eccleſia ſemper dicens: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum* &c., quibus exprimit, totum noſtrarum precum valorem ac ſpem obtinendi à Deo, quæ petimus, in meritis Chriſti ſitam eſſe. Neque aliter orant pro nobis Sancti in Cœlis, niſi per merita, & propter merita Chriſti. Unde Tridentina Synodus ſeſſ. 25. Sanctos, inquit, invocamus, ut beneficia nobis impetrent *à Deo per Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemtor & Salvator eſt*. Quare orationes noſtræ & Sanctorum nihil detrahunt Orationi Chriſti, quia potiùs in ea totam fiduciam & ſpem obtinendi veluti ſacram anchoram figunt, nec niſi in ipſo & per ipſum quod petunt obtinere confidunt. Et quamvis merita, ſatisfactiones, & orationes Sanctorum admittamus ac imploremus, conſtanter tamen credimus, omne pretium omnemque valorem, merita, orationes, & ſatisfactiones Sanctorum, haurire à meritis, ſatisfactionibus, & oratione Chriſti, quem ſcimus eſſe mediatorem noſtrum, Pontificem, & advocatum apud Patrem. Alioquin ſi orationes noſtræ detraherent orationi Chriſti, cur Paulus, qui, ut diximus, aſſerit Chriſtum in Cœlis interpellare pro nobis, hortatur Fideles in ſuis Epiſtolis paſſim, & præſertim ad Epheſ.6., ad Coloſſ.4., ut orent pro ſe ipſis, pro Sanctis, & pro ſe ipſo, ut Deus aperiat ſibi oſtium ſermonis ad prædicandum Myſterium Crucis: ſi enim pro Paulo & tota Eccleſia orat Chriſtus in Cœlis, injurioſæ, aut ſaltem ſuperfluæ orationes Fidelium fuiſſent. Sed de hoc pro dignitate egi in vera Eccleſia tom. 2. art. 14., & in Theologicis tom.16. q.5. de SS. Invocatione.

XIII. Opponunt ſecundò: ſi Chriſtus in Cœlo Sacerdotis fungeretur officio, & oraret pro nobis etiam nunc, poſſent Fideles eum ſub hac formula deprecari: *Jeſu Chriſte ora pro nobis*: hæc autem formula, nedum eſt inaudita in Eccleſia, ſed tanquam erronea in Fide rejicienda. Non ergo Chriſtus in Cœlis orat pro nobis.

XIV. Reſpondeo negando abſolutè illatum. Nam licèt ex Scriptura habeatur, Chriſtum in Cœlis interpellare, fungi mediatoris & advocati officio apud Deum: quia tamen hæc præſtat Chriſtus, non ut Perſona Divina eſt (cui nec orare, nec mediatoris nec advocati officium convenire poteſt, cum ſit ejuſdem poteſtatis cum Patre) ſed ratione humanæ naturæ, in qua ſubſiſtit:

ſtit; & orationes noſtræ terminentur ad Chriſtum, ut ſupponit pro perſona; ſi diceremus *Jeſu Chriſte ora pro nobis*, idem eſſet ac dicere *Perſona Chriſti ſeu Filii Dei ora pro nobis*: quo modo precandi videremur convenire vel cum Arianis ponentibus perſonam filii eſſe creaturam, vel cum Neſtorianis volentibus, perſonam Chriſti eſſe creatam & diverſam à perſona Filii Dei. Et ideò admitti non debet hæc precandi formula *Jeſu Chriſte ora pro nobis*, quia fieret ſenſus *Jeſu Chriſte Fili Dei* (demonſtrata perſona) *ora pro nobis*. Sicut ergo, dicit S. Thomas 3.p. q.16. ar.8. non eſt abſolutè dicendum *Chriſtus eſt creatura*, ſed cum determinatione, ſcilicet ſecundùm humanam naturam, ne Arianorum errori in modo loquendi favere videamur: ita eâdem ratione abſolutè dicendum non eſt, *Chriſte ora pro nobis*: ſed *miſerere*, vel *audi nos*. Ita Catechiſmus Rom. parte 4. cap. 6. Tit. *Quis orandus ſit?* his verbis: *Precamur Deum, ut ipſe vel bona det vel liberet à malis: à Sanctis autem, quia gratioſi ſunt apud Deum, petimus, ut noſtri patrocinium ſuſcipiant, ut nobis à Deo impetrent ea, quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas modo differentes: ad Deum enim propriè dicimus, miſerere nobis, vel audi nos; ad Sanctum ora pro nobis*. Cùm igitur Orationes noſtræ dirigantur ad Perſonam Chriſti, quæ Divina eſt, dicere debemus *Miſerere nobis*, non autem *Ora pro nobis*.

XV. Opponunt tertiò: Paulus ad Hebr. cap.10. v.14. dicit, quòd Chriſtus *unâ oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*: ideòque *in ſempiternum ſedet in dextera Dei*. Si autem Chriſtus ad dexteram Dei ſedens ſe ipſum adhuc offerret in Cœlis, & tanquam Sacerdos oraret pro nobis; non unâ oblatione conſummaſſet in ſempiternum ſanctificatos, nec ſemel ſemetipſum pro nobis obtuliſſet; igitur ex Paulo Chriſtus in Cœlis nec fungitur officio Sacerdotis offerendo ſe ipſum, nec orat.

XVI. Reſpondeo, mirari me, quòd Adverſarii pro ſe afferant S. Paulum ex Epiſt. ad Hebræos, cùm in eadem Epiſtola, ut dictum eſt, paſſim proponat Chriſtum in Cœlis Pontificem noſtrum, qui interpellat pro nobis. Quod repetit etiam ad Rom.8. v.34. *Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt; imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Quæ verba S. Auguſt. explicans Epiſt. 149. aliàs 59. ait: *Nam & de ipſo Domino Jeſu Chriſto dictum eſt, quòd interpellat pro nobis: numquid interpellat, & non etiam poſtulat? Imo verò quia poſtulat, pro eo poſitum eſt interpellat: evidenter quippe alibi de eo dicitur: & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt exoratio pro pecca-*

Digitized by Google

tis noſtris. Dum ergo dicit, quòd Chriſtus unâ hoſtiâ conſummavit in ſempiternum ſanctificatos, intendit ſtatuere diſcrimen inter Chriſtum, & Sacerdotes Veteris Legis: hi enim quia offerebant hoſtias, quæ nunquam auferre poſſunt peccata, impoſſibile eſt enim ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata, tenebantur earumdem mactationem quotidie replicare. Chriſtus autem, qui ſemetipſum tradidit hoſtiam à peccato emundantem, unâ oblatione conſummavit, ut non ſit neceſſe eum iterum crucifigi & occidi: non intendit tamen, Summum Pontificem Chriſtum ita Sacerdotii munus abdicaſſe, ut cruentum ac ſufficientiſſimum ſui ſacrificium, quod ſemel obtulit, non præſentet continuò Patri, ut illud, quoad effectum nobis applicet, & fructus illius participes ſimus, & propter hoc dicit Paulus, quòd interpellat, ut accedentes per ſe metipſum ad Deum ſalutem conſequamur. Ita S. Thomas in cap. 8. ad Rom. Lect. 7. *Dicitur autem pro nobis interpellare dupliciter. Uno modo pro nobis orando... Nunc autem ejus interpellatio pro nobis eſt voluntas ipſius de noſtra ſalute Joan.* 17. „ Volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum „ *Alio modo interpellat pro nobis, humanitatem pro nobis aſſumtam & myſteria in ea celebrata conſpectui paterno repræſentando Hebr.* 9. c.24 „ Introivit ... in ipſum Cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis „.

Sacerdotium ergo Chriſti adhuc & in ſempiternum operabitur, quia licèt paſſio & mors Chriſti de cætero non ſint iterandæ, tamen virtus hoſtiæ ſemel oblatæ permanet, & applicata operatur in æternum, & indicat illud *unâ oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*. Operatur hìc in terris emundando à peccatis, & augmentum gratiæ conferendo his, qui credunt in Nomine ejus: in Cœlis etiam, quia, ut dicit S. Thomas 3. p. q. 22. ar. 5. ad 1., *Sancti, qui erunt in patria, non indigebunt quidem ulteriùs expiari per Sacerdotium Chriſti, ſed expiati jam indigebunt conſummari per ipſum Chriſtum, à quo gloria eorum dependet: unde dicitur Apoc.* 21., *quòd* claritas Dei illuminat illam, *ſcilicet Civitatem Sanctorum*, & lucerna ejus eſt Agnus.

CA-

CAPUT XXXIX.

De Miſſione viſibili Spiritus Sancti.

§. I.

Quid egerint Apoſtoli ab Aſcenſu Domini uſque ad diem Pentecoſtes.

I. Christo, ſuo in Cœlum Aſcenſu, ab oculis Diſcipulorum & aliorum ibi adſtantium erepto, cùm adhuc immobiles intuerentur in Cœlum: *Ecce* (inquit S. Lucas Act. 1. v. 10.) *duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in Cœlum? Hic Jeſus, qui aſſumtus eſt à vobis in Cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum.* Quo audito reverſi omnes Hieroſolymam introierunt in Cœnaculum Undecim Apoſtoli, ibique manebant *perſeverantes unanimiter in Oratione cum Mulieribus, & Maria Matre Jeſu, & Fratribus ejus*, qui omnes, ut ſupra diximus, probabiliter Chriſti aſcendentis in Cœlum ſpectatores fuerunt.

II. Dum ibi manerent (pergit Lucas cap. 1. v. 15.) ſurgens Petrus in medio Fratrum (ait Chryſoſt. homil. 3. in Acta *utpotè fervens, cui grex à Chriſto concreditus erat, atque ut primus in choro, primus ſemper ſermonem orditur*) propoſuitque eis, qui aderant ex fratribus ſimul numero ferè centum viginti, neceſſe eſſe, ut impleantur Scripturæ, ex illis, qui ibi congregati erant, & qui Chriſtum à Baptiſmate Joannis omni tempore ſecuti fuerant, ac teſtes Reſurrectionis ejus fuerant, nec non Aſcenſionis, eligere unum, qui locum proditoris Judæ inter Apoſtolos impleret. Quo conſilio ab omnibus probato, ſtatuti fuerunt duo: Joſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Juſtus, & Matthias. Deinde electionem Deo committere volentes, *Orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum Miniſterii hujus, & Apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eis: & cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.* Ita S. Lucas Act. 1. à v. 24.

III. Hic obſervent, velim, Proteſtantes. Actus iſte electionis Matthiæ in Apoſtolum fuit prima conciliaris actio, quæ in Eccleſia Chriſti celebrata fuit. Quis in ea primus locutus

 fuit?

fuit? Quis Locum Apoſtolatus vacantem implendum eſſe propoſuit? Quis ad hoc cæteros Apoſtolos excitavit? Petrus, cui, ut ex Chryſoſtomo dicebam, *grex à Chriſto concreditus erat*, cujus erat Eccleſiæ totius bono proſpicere, *hic primus in Choro, primus ſemper ſermonem orditur*. Dicent, Petrum fuiſſe primum in cœtu, non auctoritate, ſed ordine; eo modo, quo Conſul primus eſt in Senatu proponens agenda, ſed à ſe nihil valens ſtatuere, niſi Senatus votum accedat. Scio, Proteſtantes ita loqui: quos tamen in vera Eccleſia tom. 2. p. 1. art. 1. refutavi. At non ita ſenſit Chryſoſtomus Homil. 3. in Acta, ubi ſibi hâc quæſtione propoſitâ: *Quid ergo*, inquit, *an Petrum ipſum eligere non licebat?* Reſpondet, *Licebat utique: ſed ne videretur ad gratiam facere, abſtinet*. Poterat ergo Petrus auctoritate ſuâ Apoſtolum in locum Judæ eligere, ſed noluit, ne videretur perſonæ acceptator. Moderatio ergo Petri fuit, non defectus poteſtatis. Et hoc inferiùs magis confirmat Chryſoſtomus, dum obſervans, Jacobum, qui tamen Hieroſolymorum, ubi hæc agebantur, Epiſcopus erat, nihil fuiſſe locutum, ſicut nec ex congregatis ullum, ſed ſolum Petrum, eique acquieviſſe omnes, ait: *Vide autem Jacobi modeſtiam. Ille namque Hieroſolymorum Epiſcopatum accepit, & tamen hìc nihil loquitur. Aliorum quoque Diſcipulorum ſummam humilitatem conſidera, quo pacto illi thronum concedunt, neque jam mutuò diſceptant*. Et infra: *Primus auctoritatem habet in negotio, ut cui omnes commiſſi fuiſſent. Huic enim Chriſtus dixerat* „ Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos„. Hæc Chryſoſtomus, quæ licèt præſentis cauſæ non ſint, ſubjicere tamen volui, ut pateat, velint, nolint, Heterodoxi, Chriſto vix è terris elapſo, Eccleſiam univerſam, ut Caput & Paſtorem vices Chriſti gerentem, Petrum ſtatim agnoviſſe.

IV. Quod hìc controverti poſſet, eſt de electione Matthiæ in Apoſtolum facta per Sortem. Quod exemplum in ſuis electionibus Eccleſia non ſolùm non eſt ſecuta, ſed potiùs viſa eſt, ne in praxim adducatur, interdixiſſe: unde Honorius III. ad Lucani Capituli Conſultationem reſcribens lib. 5. Decretal. tit. 21. *de Sortilegiis* Cap. *Eccleſiâ veſtrâ*, inquit, *Epiſcopo deſtitutâ, vos convenientes in unum, ut de futuri tractaretis electione Pontificis, unum elegiſtis ex vobis per ſortem: qui tres auctoritate veſtrâ elegit, per quos vice omnium Lucanæ provideretur Eccleſiæ de Paſtore; quorum duo tertium Magiſtrum R. ſcilicet elegerunt: quod expreſsè licebat eiſdem ſecundùm traditam à vobis omnibus poteſtatem ... Nos tali examinato proceſſu, licèt notâ non careat; quin imò multâ reprehenſione ſit dignum, quòd ſors in talibus intervenit ... Electio-*

Digitized by Google

ctionem celebratam de ipſo ad confirmationis gratiam admittimus: ſortis uſum in Electionibus perpetuâ prohibitione damnantes.

V. Verùm hæc non pugnant cum facto Apoſtolorum in Electione Matthiæ. Primò, quia hoc Apoſtolos feciſſe ex particulari Spiritus Sancti inſtinctu credendum eſt, ut notat Gloſſa cap. nuper allato: ideòque in exemplum trahi non poteſt: *Cùm*, ut ait S. Hieronymus in cap. 1. Jonæ, *privilegia ſingulorum non poſſint facere Legem communem*. Secundò, quia non eſt certum in electione Matthiæ meram ac veram ſortem fuiſſe: tum quia dicitur, quod *ſtatuerunt duos*: utique communibus votis; tum quia ſors, quæ cecidit ſuper Matthiam non fuit ſors propriè dicta, ſed ſignum aliquod viſibile, puta radius cœlitus adlapſus in Matthiæ caput, quo Apoſtoli cognoverunt, ipſum eſſe præelectum à Deo. Ita ſentit S. Dionyſius de cœleſti Hierarch. c. 5. p. 3. dicens: *Mihi videtur Scriptura Sortem appellare Divinum illud munus, quo declarabatur Choro Hierarchico, quiſnam Divino ſuffragio electus erat*. Aliquod autem ſignum à Deo Apoſtolos petiiſſe, indicant eorum verba Act. 1. v. 24. *Oſtende quem elegeris ex his duobus unum*. Jure autem meritò hoc petebant: quia enim cæteri Apoſtoli à Chriſto immediatè vocati erant, ne Matthias cæteris inferior videretur, utpotè ab hominibus vocatus, ideò ejus electionem Chriſto committere voluerunt, ut ipſe quem elegiſſet declararet. Quod pro aliis electionibus in exemplum trahi non poteſt.

VI. Tertiò tandem: In electione S. Matthiæ ſortes adhibitæ ſunt, quia ita pares erant ſanctitate & meritis duo illi muneris Apoſtolici candidati, Barſabas juſtus & Matthias, ut vix ac ne vix quidem humano judicio definiri poſſet, quiſnam eorum eſſet dignior Epiſcopatu in locum Judæ: ideòque hoc Divinæ Providentiæ definiendum commiſerunt. Quod ſi hoc etiam in aliis electionibus contingeret, ut candidati meritis omnino pares eſſent, ut quis eorum dignior foret definiri non poſſet, uſu ſortium electionem Deo committi, fortè non eſſet vetitum. Et in hoc ſenſu uſus ſortium in Sacris Electionibus videtur probari à Concilio Barcinonenſi Can. 3., & S. Auguſtinus Epiſt. 180. modò 283. ad Honoratum ſuadet, mittendam eſſe ſortem perſecutionis tempore, ut eligantur, qui maneant in Civitate ad ſolatium Fidelium, & qui fugiant, ut ſerventur in locum illorum, qui martyrio ſublati fuerint, ſucceſſuri: cùm non conſtet, qui ſit Eccleſiæ magis neceſſarius, & quis ad ſubeundum Martyrium majori caritate ſuccenſus. Sed quia vix contingere poteſt, ut tanta ſit in candidatis meritorum æqualitas, quin humano judi-

cio

cio diſcerni poſſit, quis eorum ſit dignior; & inſuper quia Deus non ut in primitiva Eccleſia viſibilibus ſignis oſtendit, quem elegerit, ut contigit in Ambroſio & Nicolao & aliis; nec vult in Electionibus totum ſibi committi, ſed humanam providentiam ac diligentiam ſuas partes habere, ſicut & in aliis rebus: ideò qui Electiones ſacrorum Miniſtrorum committeret ſorti, tentaret Deum, cæco ac inſipienti modo agens, ac illicitè ſe gereret.

§. II.

Cauſa, Modus, Locus, Adventus Spiritus Sancti.

VII. CAuſam, cur miſſurus erat ſuper Diſcipulos ſuos Spiritum Sanctum, expreſſit Chriſtus ipſe Joan. 16., ubi volens, antequam aſcenderet in Cœlum, conſolari Apoſtolos ac Diſcipulos ſuos, quorum animos de proximo ſuo diſceſſu ab eis & perſecutionibus, quas prædixerat eos poſt ſuum diſceſſum ſubituros, jam videbat mœrore occupari, ſic illos affatus eſt: *Nunc vado ad eum, qui miſit me: & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? Sed quia hæc locutus vobis, triſtitia implevit cor veſtrum. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille arguet mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio ..... Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit; quia de meo accipiet & annuntiabit vobis: omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt: propterea dixi: quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.*

VIII. Hæc S. Auguſtinus Tract. 94. in Joan. ita exponit: *Conſolator ergo ille vel advocatus (utrumque enim interpretatur, quod eſt græcè Paracletus) Chriſto abſcedente fuerat neceſſarius; & ideò de illo non dixerat ab initio, quando cum illis erat, quia ejus præſentiâ conſolabantur: abſceſſurus autem oportebat, ut diceret illum eſſe venturum, per quem futurum erat, ut caritate diffuſâ in cordibus ſuis Verbum Dei cum fiducia prædicarent; & illo intrinſecùs teſtimonium perbibente de Chriſto, ipſi quoque teſtimonium perbiberent; neque ſcandalizarentur, cùm inimici Judæi abſque Synagogis facerent eos, & interficerent, arbitrantes obſequium ſe præſtare Deo; quoniam caritas omnia tolerat, quæ diffundenda erat in cor-*

cordibus eorum per Spiritus Sancti donum. Quia autem videbat, Apoſtolos erga viſibilem ſui præſentiam affectos ad hoc ſui diſceſſus nuntium fuiſſe contriſtatos: *Expedit*, inquit, *vobis, ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos*. Quid eſt ait Auguſtinus: *Numquid hic poſitus eum non poterat mittere? Quis hoc dixerit? neque enim ubi ille erat, iſte inde receſſerat, & ſic venerat à Patre, ut non maneret in Patre. Poſtremò, quomodo eum etiam hic conſtitutus non poterat mittere, quem ſcimus ſuper eum baptizatum veniſſe atque manſiſſe, imo verò, à quo ſcimus, eum numquam ſeparabilem fuiſſe? Quid eſt ergo*,, Si non abiero Paracletus non veniet ad vos ,, *niſi: non poteſtis capere Spiritum, quamdiù ſecundùm carnem perſiſtitis noſſe Chriſtum? Unde ille, qui jam acceperat Spiritum, etſi noveramus, inquit, ſecundùm carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus. Etiam ipſam quippe carnem Chriſti non ſecundùm carnem novit, qui Verbum carnem factum ſpiritualiter novit*. Præſentiâ ergo corporali Chriſti quodammodo detinebantur Apoſtoli, nec eorum cognitio ad altiora erigeretur, & ne eorum amor ſupra hominem eum amaret: ideòque ad eorum ſpiritualem profectum, neceſſarium duxit Chriſtus corporalem ſui præſentiam eis ſubtrahere.

Non ſic tamen corporaliter ab Apoſtolis diſceſſit Chriſtus, ut Spiritus Sanctus veniret ſuper eos, quin & ipſe, imo & Pater cum illis maneret: unde prælaudatus Auguſtinus, ſubdit: *Chriſto autem diſcedente corporaliter, non ſolùm Spiritus Sanctus, ſed & Pater & Filius illis adfuit ſpiritualiter. Nam ſi ab eis ſic abſceſſit Chriſtus, ut pro illo, non cum illo in eis eſſet Spiritus Sanctus: ubi eſt ejus promiſſio dicentis: ecce ego vobiſcum ſum uſque in conſummationem ſeculi, & veniemus ad eum ego & Pater, & manſionem apud eum faciemus: cùm & Spiritum Sanctùm ita ſe promiſerit eſſe miſſurum, ut cum eis eſſet in æternum? Ac per hoc cùm ex carnalibus vel animalibus eſſent ſpiritales futuri; profectò & Patrem & Filium & Spiritum Sanctum capaciùs fuerant habituri*.

IX. Nec putet quis, Chriſto corporaliter eis præſente, Apoſtolos non habuiſſe Spiritum Sanctum, eum enim jam & ipſi & omnes credentes acceperant. Ut enim ait S. Leo ſerm. 2. de Pentecoſte: *Omnes, qui in Dominum Jeſum crediderant, infuſum ſibi habebant Spiritum Sanctum, & remittendorum peccatorum etiam tunc Apoſtoli acceperant poteſtatem, quando poſt Reſurrectionem ſuam Dominus inſufflavit & dixit*,, accipite Spiritum Sanctum &c. *Sed illi perfectioni, quæ erat Diſcipulis conferenda, major gratia & abundantior inſpiratio ſervabatur, per quam & quæ nondum acceperant ſumerent, & excellentiùs poſſent habere quæ ſum-*

ſe-

ſcrant. Multa enim erant Chriſto teſte, quæ adhuc portare non poterant, quibus portandis Spiritu Sancto Magiſtro indigebant. Sed *numquid* (pergit S. Leo) *ſeſe Dominus inferioris ſcientiæ volebat intelligi, aut minùs aliquid quàm Spiritum Sanctum à Patre didiciſſe? Cùm ipſe ſit Veritas, & nihil Pater dicere, nihil poſſit docere ſine Verbo: ideòque dictum ſit*,, de meo accipiet,, *Quoniam quod accipit Spiritus, Patre dante, dat Filius. Non itaque alia inſinuanda erat veritas, nec alia prædicanda doctrina, ſed oportebat, capacitatem eorum, qui docebantur, augeri; & multiplicari conſtantiam illius caritatis, quæ omnem formidinem foras mitteret, & furorem perſequentium non timeret. Quod utique Apoſtoli, poſtea quam Spiritus Sancti novâ abundantia ſunt repleti, ardentiùs velle & efficaciùs poſſe cœperunt, proficientes à præceptorum ſcientia ad tolerantiam paſſionum: ut ſub nulla jam tempeſtate trepidantes, fluctus ſeculi & elationes mundi fide ſupergrediente calcarent, & morte contemtâ omnibus Gentibus Evangelium veritatis inferrent.* Hæc fuit cauſa, cur Chriſtus in Apoſtolos miſerit Spiritum Sanctum.

X. Ex modo loquendi Chriſti Domini promittentis Spiritum Sanctum Apoſtolis, nimirùm *Mittam eum ad vos, & de meo accipiet*, infertur veritas doctrinæ, quam Eccleſia Latina contra Græcam profitetur, ſcilicet Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere. Cùm enim, ut oſtendi tom.4. in 1.p. q.4. de Trinit. dub.3. §.5., Miſſio unius Divinæ perſonæ fundetur in Proceſſione: ita ut Divina Perſona non poſſit mitti, niſi ab ea, à qua procedit; dum Chriſtus dixit de Spiritu Sancto, *Mittam eum ad vos*, & *de meo accipiet*, apertè indicavit, Spiritum Sanctum non à ſolo Patre, ſed à ſe ipſo etiam æternaliter procedere, & proinde etiam temporaliter mitti. Sed quia hoc fidei dogma fusè ſtabilivi dicto tom.4. in 1.p. de Trinit. q.6. dub.1., ideò illùc Lectorem remitto. Abſit autem, ut dum dico, Spiritum Sanctum etiam à Filio mitti, quis intelligat, eum mitti per modum imperii, quaſi eo minorem, & veluti Miniſtrum. Hic ſi quidem impius error eſt Macedonii Epiſcopi Conſtantinopolitani, confixus in Concilio Generali Conſtantinopolitano I. anno 381., in quo ad aſſerendam Spiritus Sancti Divinitatem, quam ore ſacrilego negabat Macedonius, hæc verba Symbolo adjecta ſunt: *Et in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur.*

XI. Circa Locum, in quo Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos ac Diſcipulos congregatos advenit, certum eſt ex Act.1., fuiſſe Cœnaculum quoddam in ſuperiori parte domus poſitum, quò

poſt

poſt Domini Aſcenſum, ut dictum eſt, ſe receperunt, ibique per decem dies uſque ad Spiritus Sancti adventum, ut ſe à Judæorum oculis ſubtraherent, manſerunt. Cujus autem eſſet iſta domus & cœnaculum, Scriptura tacet, & ideò nihil certi ſtatui poteſt. Nicephorus lib. 1. Hiſt. cap 28., & Cedrenus has ædes privatas, in quibus erat illud Cœnaculum, ad Joannem Evangeliſtam pertinuiſſe autumant, Theophylactus in cap. 28. Matth. contendit, eas fuiſſe Joſephi ab Arimathæa, aut fortè Nicodemi, ut opinatur Euthymius. Alii verò, inter quos Baronius ad ann. Chriſti 34. aſſerunt, has privatas ædes fuiſſe Mariæ matris Joannis Marci. In hanc opinionem lubens deſcendo; in hujus enim ædibus poſitis in Monte Sion Chriſtum etiam ultimam Cœnam celebraſſe, probabiliter oſtendi c. 23. §. 4. n. 28.: ubi etiam quis fuerit iſte Marcus, Lector videre poterit.

In hoc ergo Cœnaculo, quod erat cubiculum in ſuperiori parte domus, à Chriſti Aſcenſu Apoſtoli cæterique Diſcipuli manentes unanimiter in Orationibus perſeverarunt uſque ad adventum Spiritus Sancti ſuper eos, quem completis diebus Pentecoſtes contigiſſe, ſtatim oſtendam.

§. III.

Quid ſit Pentecoſtes, & qua Die eo Anno contigerit.

XII. Pentecoſtes à *Pentecoſte* græcè idem eſt ac quinquageſimus, quo nomine quinquageſima ab altera Paſchali die, nimirùm à die 16. menſis Niſan (apud nos Martii), appellabatur. Pentecoſtes autem, ideſt quinquageſimus, erant quinquaginta dies, qui à ſecunda die Azymorum intercurrebant, & vocabatur ab Hebræis Feſtum hebdomadarum. De hoc habetur præceptum Exodi 34. v. 22., & Levit. 23. v. 15. & 16. *Numerabitis ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas uſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, ideſt quinguaginta dies, & ſic offeretis Sacrificium novum Domino.* In hac ſolemnitate, quæ inſtituta erat, ut acceptæ à Deo Legis in Monte Sinai quinquageſima die ab egreſſu ex Ægypto gratias referrent, Iſraelitæ Templo ſe ſiſtentes decimas primitiaſque frugum totius Regionis Deo ut ſupremo Domino offerebant. Hâc ergo quinquageſimâ die Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos congregatos deſcendit, & exordium ſumſit Pentecoſtes Chriſtianorum, in qua ſolemniter Lex Evangelica toto Orbi fuit promulgata, ſicut in illa fuerat Populo Iſraelitico

Lex Moſaica publicata. Et ſicut illa à die egreſſus ab Ægypto ſumebat initium, ita iſta à die Dominicæ Reſurrectionis ſua auſpicata fuit exordia. Ita S. Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 54. *Reſurrexit tertiâ die, ſicut Apoſtoli ſuis etiam ſenſibus probaverunt. Deinde poſt quadraginta dies aſcendit in Cœlum; poſt decem dies, ideſt quinquageſimo poſt ſuam Reſurrectionem die, miſit Spiritum Sanctum.* Quod Lucas dixerat Act. 2. v. 1. *Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco. Et factus eſt repentè de Cælo ſonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis* &c.

XIII. De utraque Pentecoſte Judaica & Chriſtiana loquitur S. Auguſtinus Epiſt. 55. (aliàs 119.) ad Januarium cap. 16. his verbis: *Sed dies quinquageſimus & in Scripturis commendatur; & non tantùm in Evangelio, quia tunc Spiritus Sanctus advenit, ſed etiam in Veteribus Libris. Nam & ibi poſteaquam Paſcha occiſo Agno celebraverunt, dies quinquaginta numerantur uſque ad diem, quo Lex data eſt in Monte Sina famulo Dei Moyſi, digito Dei ſcripta: in Libris autem Evangelii apertiſſimè declaratur digitum Dei ſignificare Spiritum Sanctum. Cùm enim unus Evangeliſta dixiſſet;* In digito Dei ejicio Dæmonia,, *alius hoc idem ita dixit*,, In ſpiritu Dei ejicio Dæmonia,, ... *Nonne tanquam duo Cherubim clamant ad invicem concinentia laudes Altiſſimi*,, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth,, *Ita duo Teſtamenta fideliter concordantia ſacratam concinunt veritatem? Occiditur ovis, celebratur Paſcha; & interpoſitis quinquaginta diebus, datur Lex ad timorem ſcripta digito Dei: occiditur Chriſtus, qui tamquam ovis ad immolandum ductus eſt, ſicut Iſaias teſtatur; celebratur verum Paſcha; & interpoſitis quinquaginta diebus, datur ad caritatem Spiritus Sanctus, qui eſt digitus Dei* &c. Hæc apud omnes certa ſunt.

XIV. Quod in dubium vertitur eſt, an Sacra Pentecoſtes ſeu quinquageſima Dies, in qua Spiritus Sanctus in Apoſtolos & Chriſti Jeſu Diſcipulos illapſus eſt, inciderit in Diem Dominicam eo Anno. Cùm enim Judæi die non fixâ Paſcha celebrarent, ſed Lunâ 14. primi menſis, in quamcumque diem incideret, conſequens eſt, quòd non ſemper eâdem die, ſed uno anno unâ, alio aliâ die Paſcha, & conſequenter etiam Pentecoſtem celebrarent. In hac re diviſos in quatuor ſententias Auctores invenio.

XV. Prima diſtinguit duplicem Pentecoſtem: unam Judæorum, quæ ſecundùm Legem Moſaicam, die quinquageſimo ab altera die Azymorum, in memoriam Legis à Deo datæ in Monte Sina, agebatur Levit. 23. v. 15. Alteram Chriſtianorum, quæ die

die quinquageſimo à Chriſti Reſurrectione celebratur. Dicunt ergo hujus ſententiæ patroni, Pentecoſten Judæorum eo anno, quo Chriſtus crucifixus eſt, incidiſſe in diem Sabbati: quia cùm Chriſtus, ut ſupra dictum eſt, in Crucem actus ſit die Veneris, in quam eo anno incidit prima dies Azymorum, conſequens ſit, ut ſecunda dies Azymorum, à qua incipiebant computari quinquaginta dies Pentecoſtes, inciderit in Sabbatum, ideòque dies quinquageſimus, cui ſolemnitas Pentecoſtes annexa erat, in Sabbatum quoque inciderit, ut ſupputanti patebit. Porrò cùm Pentecoſtes, de qua S.Lucas Act.2., inciderit in Diem Dominicam, quia contigit decimo die poſt Chriſti Aſcenſionem, quæ accidit die Jovis, nempè quadrageſimo poſt Reſurrectionem, dicunt, Pentecoſten hanc non fuiſſe Judaicam, ſed Chriſtianam, & de hac locutus fuit S.Auguſtinus ſupra relatus lib.18. de Civit. Dei cap. 54.

XVI. Verùm ne huic ſententiæ ſubſcribam, obſtat, quòd nullum inveniam fundamentum aſſerendi, Apoſtolos, qui eo anno eâdem die cum Judæis Paſcha celebrarunt, non ſimiliter eâdem die cum ipſis Pentecoſten peregerint. Eo vel maximè quòd Lucas abſolutè dicat, *dum complerentur dies Pentecoſtes*; ad quam conveniſſe narrat ex omni natione Judæos. Scio, Eccleſiaſticâ Lege ſtatutum fuiſſe, ut Chriſtiani Paſcha ſuum in memoriam Dominicæ Reſurrectionis non Lunâ 14. menſis Martii more Judaico, ſed Dominicâ ſequente peragerent, quo fit, ut in Dominicam à Reſurrectione ſeptimam dies quinquageſimus Pentecoſtes incidat. Sed ſcio etiam, hanc Legem in primis Eccleſiæ exordiis non fuiſſe editam, nam Joannes Apoſtolus & Philippus Diaconus, ut refert Euſebius lib.5. hiſt. c.24., Paſcha eâdem cum Judæis die ſemper celebraſſe,ab Aſiaticis ferebantur, quorum exemplo etiam poſt Apoſtolorum tempora celebrandum eſſe Paſcha Lunâ 14., quâcumque die incidiſſet, Aſiatici dicti Quartodecimani contendebant. Imò & Paulus ipſe, ut legitur in Actibus Apoſt. cap. 20. v.16. *Feſtinabat, ſi poſſibile ſibi eſſet, ut diem Pentecoſtes faceret Hieroſolymis*. Feſtinabat ergo Paulus ire Hieroſolymam, ut ibi faceret Pentecoſten, non Chriſtiano Ritu, cum eam ubique celebrare poſſet, ſed Judaico, quæ juxta Legem Exodi cap.23., & Levit.16., non alibi quàm Hieroſolymis poterat celebrari. Ex quibus apparet, S. Lucam individuum S. Pauli comitem, dum Acta Apoſtolorum ſcribebat, per Pentecoſtem,in qua effuſus eſt ſuper Apoſtolos Spiritus Sanctus, deſignare voluiſſe Pentecoſtem Judaicam, non Chriſtianam.

XVII. Altera ſententia eſt plurium Recentiorum, qui vo-

Pp 2 lunt,

ſunt, Chriſtum quidem anno, quo mortuus eſt, Paſcha legale cum Apoſtolis ſuis Lunâ 14. menſis Martii, quæ eo anno incidit in diem Jovis, peregiſſe; & Judæos eo anno Paſcha ſuum ad diem Veneris diſtuliſſe: ita ut hoc anno primam diem Azymorum celebrarint die Sabbati, & ſecundam die Dominico: quo fit, ut Judæi, qui ex Legis præſcripto à ſecunda die Azymorum inchoabant quinquaginta dies uſque ad ſuam Pentecoſten, eo anno die Dominico illam celebrarint.

Sed cum ſupra cap.23. §.3. à num.18. hanc opinionem rejecerimus, oſtendentes, Judæos eo anno, quo Chriſtus mortuus eſt, eâdem die, quâ Chriſtus, Paſcha celebraſſe; & fundamenta, quibus innititur, vana eſſe demonſtraverimus; ideó eam modò probare non poſſumus.

XVIII. Tertia ſententia convenit, Judæos eo anno, quo Chriſtus eſt mortuus, eâdem die, quâ Chriſtus, nempè Lunâ quartadecimâ, & die Jovis Paſcha ſuum celebraſſe, itaut eo anno prima dies Azymorum inciderit in diem Veneris, quâ crucifixus eſt Dominus; & ſecunda dies Azymorum, à qua Judæi incipiebant numerare quinquaginta dies ad Pentecoſtem, inciderit in Sabbatum: ex quo fit, Judæos unà cum Chriſtianis eo anno celebraſſe Pentecoſtem, non in die Dominico, ſed in Sabbato; & in Sabbato, non in Dominica Spiritum Sanctum ſuper Apoſtolos deſcendiſſe. Fateor, hanc ſententiam planam eſſe, omnemque difficultatem expeditè ſolvere, in eamque lubens deſcenderem, niſi me detineret antiqua Eccleſiæ Traditio, Spiritum Sanctum, non in Sabbato, ſed in Die Dominico ſuper Apoſtolos ac Diſcipulos deſcendiſſe, à qua recedendum non eſt. Eo vel maximè quod huic Traditioni favent Auctor Conſtitutionum S. Clementis Papæ I., & Auctor ſerm.154. de tempore ſub nomine Auguſtini, quorum licèt ignoretur nomen, quia tamen Antiqui, teſtimonium pro Traditione facere poſſunt. Inſuper teſtis eſt S. Leo I., qui ſerm.1. & 3. de Pentecoſte dicit, diem, qua deſcendit Spiritus Sanctus fuiſſe decimum ab Aſcenſione, & quinquageſimum à Reſurrectione Domini. Cum ergo Reſurrectio Domini die Dominico contigerit, die etiam Dominico Spiritus Sanctus deſcendit. Item Epiſt.11. (aliàs 81.) ad Dioſcorum cap.1. de Die Dominico hæc habet S. Leo: *In hac Mundus ſumſit exordium: in hac per Reſurrectionem Chriſti, & mors interitum, & vita accepit initium: in hac Apoſtoli à Domino prædicandi omnibus Gentibus Evangelii tubam ſumunt, & inferendum univerſo Mundo Sacramentum regenerationis accipiunt: in hac, ſicut Beatus Joannes Evangeliſta teſtatur, congregatis in unum Diſci-*

pulis,

pulis, januis clauſis, cum ad eos Dominus introiſſet, inſufflavit & dixit, „ Accipite Spiritum Sanctum „ ... *In hac denique promiſſus à Domino Apoſtolis Spiritus Sanctus advenit*. Quamvis autem S. Leo unicus authenticus teſtis ſit, cùm tamen teſtes alii contrarium aſſerentes non adducantur, credi debet, eum dixiſſe, quòd publicâ Traditione in Eccleſia, præcipuè Romana, ferebatur.

XIX. Quarta igitur ſententia, cui ſubſcribo, eſt, Pentecoſten Judaicam eo anno, quo Chriſtus mortuus fuit reſurrexit & in Cœlum aſcendit, in diem Dominicam incidiſſe, & die Dominico Spiritum Sanctum adveniſſe. Nec movere debet, quòd ſecunda Azymorum dies, à qua incipiebant numerari quinquaginta dies uſque ad Pentecoſten, inciderit eo anno in Sabbatum, non in diem Dominicum. Nam duplici via ſolvi hic nodus poteſt. Primam aperiunt duo Cardinales, Bellarminus lib. 3. de Cultu Sanctorum cap. 13., & Baronius ad ann. Chriſti 34. n. 229. dicentes: ordinariè quidem cœpiſſe numerari dies Pentecoſtes à ſecunda die Azymorum; ſed tamen ſi ſecunda illa dies eſſet Sabbatum, tunc cœpiſſe numerari à tertia die Azymorum. Neque ullus hoc arguere poteſt; nam cauſa, cur illi dies quinquaginta non inciperent à prima die Azymorum ſed à ſecunda, erat, quia oportebat illo die metere, manipulos exſiccare, colligare, & alia opera facere, quæ Die feſto non licebat. Quæ multò magis prohibita erant die Sabbati: unde non licebat, quando ſecunda dies Azymorum erat Sabbatum, iſta facere, ut habetur Exodi 34. v. 21.: & hæc putatur eſſe cauſa, cur Scriptura dixerit Levit. 23. v. 15. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis manipulum*, non ab altero die Paſchæ vel Azymorum, quia generaliter voluit includere Feſta, quæ immediatè occurrerent poſt Paſcha, ſive poſt primam diem Azymorum, unum vel plura. Unde illud *altero die Sabbati* idem eſt, ac *prima die profana poſt Paſcha*. Quia tamen ut plurimùm poſt primam diem Azymorum non occurrebat Feſtum, ideò non malè Joſephus lib. 3. Antiquit. cap. 13. ſcripſit, incipere Pentecoſten numerari Lunâ 16., quamvis anno Paſſionis propter dicta cœperit numerari Lunâ 17., quæ Dominica dies fuit.

Obſtare tamen videtur, quòd licèt die Sabbati prohibita eſſent Hebræis opera ſervilia, non tamen opera ad Religionem ſpectantia: demeſſio autem illa manipuli offerendi Deo in Templo actus Religionis erat, ideòque non eſt cenſenda prohibita, ſicut nec erat prohibitum in die Sabbati ignem ad ſacrificia componere, quod tamen in privatis domibus facere nefas erat: unde

de R. Moyſes Ægyptius in Comment. ſuper Miſna, & in lib. *Jad Akazzachà* dicit: *Quantùm ad manipulum attinet, qui offerebatur ſecunda die Azymorum, meti ille & colligi debebat noƐte diem decimam ſextam præcedente. Metebatur autem, quamquam dies Sabbati eſſet. Nec ſolùm hoc erat licitum, ſed etiam præceptum.* Idem confirmat ex *Alacot Themidim* cap. 7., & ex Tractatu *Menabot* pag. 71., ubi habetur: *Generatim quidem opus omne, quod ante Sabbati diem fieri poſſet, ante diem Sabbati fieri debuiſſe: excepto tamen præcepto de metendo manipulo, qui etiam noƐte ipsâ Sabbati metendus erat*: num hæc R. Moyſi doctrina vera ſit, judicio Lectoris relinquo. Certè Scriptura Exodi 34. v. 21. generaliter nullâ factâ exceptione prohibet metere die Sabbati, & hoc vel maximè, quia meſſio manipuli ſi die Sabbati fieri non poterat, poterat die ſequenti fieri.

XX. Certè in hujus manipuli demeſſione multa facienda erant, quæ obſervantiæ Sabbati repugnabant. Ut enim refert Calmet in Diction. V. *Manipulus* ex Cod. Menachot. 6. 3., & „ Maimonide in Themidim & Moſaphim, decimâ quintâ „ menſis Niſan, cum prima Paſchatis dies præteriiſſet, jamque „ ſecunda dies, *qua minimè feriabatur* cœpiſſet, Domus Judicii „ tres eligebat, qui ſolemniter manipulum Hordei legerent... „ Hordeum in agro Hieroſolymitano legebatur. Cum ii tres „ electi ter, an ſol exortus fuiſſet, petiiſſent, terque exortum „ à reſpondentibus audiſſent, ter iterum Hordeum metendi facultatem poſtulabant; quâ ter conceſsâ illud in tribus agris „ tribus diverſis falcibus metebant, ipſumque tribus arculis „ conditum ad Templum deferebant, ibi excutiebantur tres „ manipuli, graniſque excuſſis tres circiter pintas implebant &c. Hæc agebantur: ſed die, *qua minimè feriabatur*, nimirùm die non feſto. Nec facit, quòd hoc opus ad Religionem ordinaretur; non enim opera ſuaptè natura ſervilia, ut ædificatoria & fabrilia, quamvis ad uſum Templi, poterant die Sabbati fieri. Cæterùm adeò rigidi Zelatores erant Judæi tempore Chriſti de Sabbati obſervantia, quòd Apoſtolos accuſarint, quia ſpicas collegiſſent, ut ex iis grana vellerent die Sabbati, & ſcrupulum habuerint, an eâ die liceret infirmos curare, quod maximum caritatis eſt opus. Videtur ergo commentitium, quod R. Moyſes dicit.

XXI. Aliâ viâ ſolvi poteſt, dicendo cum Sylvio in cap. 23. Levitici, & aliis, dies quinquaginta ad Pentecoſtem numerandos eſſe à die ſecunda Azymorum *excluſivè*, non *incluſivè*. Itaut cùm dicitur: *Numerabitis ab altero die Sabbati* (ideſt Septimanæ)

in

in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, idem ſit ae dicere, *poſt alterum diem Sabbati*, ſeu poſt ſecundum diem Azymorum, quo obtuliſtis manipulum. Sic enim numerando à Sabbato *excluſivè* (in quem diem eo anno inciderat ſecundus Azymorum, & oblatio manipuli) dies quinquaginta ad Pentecoſten, fiet, ut quinquaginta dies, ſicut à die Dominico initium ſumſerant, ita in Dominica die compleantur, & Spiritus Sanctus, qui dum complerentur dies Pentecoſtes deſcendit, in die Dominico juxta Eccleſiæ Traditionem deſcenderit. Nec eſt violenta hujuſmodi interpretatio: ſi enim verba, & modus loquendi Scripturæ benè attendantur, ly *numerabitis ab altero die* utrumque patitur ſenſum, vel quòd numeratio incipiat ab altero die *incluſivè*, vel quòd ab eo incipiat *excluſivè*.

XXII. Tranſeundo nunc ad horam diei, quâ deſcendit ſuper Apoſtolos Spiritus Sanctus, conveniunt omnes, hanc fuiſſe Tertiam horam matutinam, nimirùm tertiam ab ortu ſolis, & ante meridiem, ut mos erat apud Judæos, quæ correſpondet horæ nonæ matutinæ apud Gallos, Hiſpanos &c., & tertiæ ante meridiem apud Italos. Hâc ergo horâ, dum Apoſtoli ac Diſcipuli eſſent in Cœnaculo perſeverantes in Oratione, illapſu Sancti Spiritus ſuper eos promiſſum Chriſti impletum eſt. Hoc apertè habetur Act. 2., ubi cùm Apoſtoli pleni Sancto Spiritu è Cœnaculo egreſſi variis linguis loquerentur, tanto & à ſeculis inaudito portento, ex Judæis quidam ſtupentes dicebant: *Quid eſt hoc?* Quidam verò *irridentes dicebant, quia muſto pleni ſunt iſti*. His ſeſe opponens Petrus v. 15. ait: *Non, ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt, cum ſit hora diei tertia*. Cui læta accinit Eccleſia dicens: *Dum hora cunctis tertia, repentè mundus intonat, orantibus Apoſtolis, Deum veniſſe nuntiat*: & inſuper *Muſto madere deputant, quos Spiritus repleverat*.

XXIII. Sed ſcrupulum movebit cuipiam illa Petri ratio, quâ probare intendit, ſocios ſuos Apoſtolos non eſſe ebrios, cùm eſſet hora ab ortu ſolis tertia. Et quid enim vetat, hominem horâ ab ortu ſolis tertiâ ebrium eſſe, cum bonos interdum potatores à ſummo mane ebrios videamus? *Poterant ſanè*, inquit S. Joan. Chryſoſt. Homil. 5. in Acta; ſed hoc incredibile erat, tum quòd homines extrema ſibi metuentes, qui propterea metu in Cœnaculo concluſi manſerant, ebrietati ſtuduerint; tum quia Judæis, ex quibus erant Apoſtoli, videtur vetitum, ne à mane ſeſe vino ingurgitarent, Iſaiæ cap. 5. v. 11. *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis*: ſuper quæ Hieronymus, *Alii verò*, inquit, *horâ tertiâ*,

tiâ, ſextâ, vel nonâ, & undecimâ ſuſcitantur de Convivio, & dicitur ad eos,, Expergiſcimini, qui ebrii eſtis à vino,, (*Joel. 1. v. 5.*) Tum & ſpecialiter, quia apud Judæos olim publicâ Lege cautum erat, ne quis Diebus feſtis ac Sabbatis ante horam ſextam poſt ortum ſolis, ideſt ante meridiem, cibum aut potum ſumeret, ut jejuni adeſſent ſacrificiis, quæ ab hora tertia in Templo offerebantur, & niſi horâ ſextâ conſummari ſolebant. Quæ obſervatio licèt deſtructo Templo Hieroſolymitano ceſſaverit, cùm ceſſaverint & ſacrificia, vigebat tamen Apoſtolorum temporibus: ideòque jure optimo eâ uti potuit Petrus ad calumniam Judæorum, Apoſtolos ebrietatis accuſantium, diſſipandam. Cujus diſciplinæ teſtis eſt Joſephus in lib. de Vita ſua dicens: *Sexta hora noſtros ad prandium vocare ſolet in Sabbatis*: quod de aliis Feſtis maximè ſolemnioribus intelligendum eſt.

§. IV.

Super quos, & quomodo deſcenderit Spiritus Sanctus.

XXIV. Circa primum quæſtio vertitur, an in ſolos Apoſtolos, an etiam in omnes Fideles in Cœnaculo congregatos effuſus ſit Spiritus Sanctus. Theodorus Beza juratus Calvini gregalis contendit, Spiritum Sanctum in die Pentecoſtes ſuper ſolos Apoſtolos illapſum fuiſſe, excluſis cum B. Virgine Maria non tantùm aliis piis Mulieribus, ſed reliquis etiam Chriſti Diſcipulis, ac pro ſua maledicendi prurigine pictores his verbis carpit: *Opinor, ridiculè facere eos, qui cùm hanc hiſtoriam pingunt, ſolent Mariam Matrem Domini in medio Apoſtolorum collocare; nimirùm, ut eam Apoſtolici Collegii Reginam faciant.*

Verùm facile eſt hujus nebulonis arrogantiam frænare, ſi eum ad Sacram Scripturam provocemus. Ex ea enim apertè conſtat, Spiritum Sanctum ipſo die Pentecoſtes in omnes, qui erant in Cœnaculo (erant autem ferè eentum viginti) illapſum fuiſſe. Hi enim Act. 2. v. 1. *Dum complerentur dies Pentecoſtes erant omnes pariter in eodem loco* ſeu in Cœnaculo congregati. Deinde v. 3. dicitur *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum*, qui erant ibi congregati, ac ſubinde v. 4. *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*. Super ſingulos ergo eorum, qui ibi in Cœnaculo aderant, ſedit linguis igneis, & omnes Spiritus Sanctus replevit. Cùmque ibi non ſolùm Apoſtoli, ſed & alii eſſent incluſi, ſicut Lucas dicit Act. 1. v. 14., ubi recenſitis Apoſtolis: *Hi omnes*, inquit, *erant perſeverantes unani-*

Digitized by Google

nimiter in Oratione cum Mulieribus, & Maria Matre Jeſu & Fratribus ejus: fit, ut non in ſolos Apoſtolos, ſed & in alios Viros ac Mulieres & B. Mariam Matrem Jeſu, Spiritus Sanctus die Pentecoſtes effuſus ſit. Hoc magis confirmatur ex Oraculo Joelis cap.2. v.28., quòd Petrus Apoſtolus Act.2. v.17. in ipſa effuſione Spiritus Sancti die Pentecoſtes factâ impletum eſſe affirmat. Sic enim In Concione, quam habuit ſtatim poſt acceptum Spiritum Sanctum ad univerſos Judæos, qui ſtupefacti accurrerant, & eos audientes variis linguis loqui, tanquam ebrios traducebant, palam locutus fuit: *Non enim, ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt, cùm ſit hora diei tertia. Sed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Joel: Et erit in noviſſimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ; & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. Et quidem ſuper ſervos meos & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.* Hoc ergo Joelis vaticinio, quod exitum habuiſſe in effuſione Spiritus Sancti, dicit S. Petrus, evincitur, eos omnes, qui in Cœnaculo erant, fuiſſe abſque ullo ætatis vel ſexus diſcrimine Divinæ illius effuſionis participes.

XXV. Oppones fortè pro Beza, eos ſolos in die Pentecoſtes Spiritus Sancti effuſionem participaſſe, quibus Chriſtus Dominus, antequam in cœlum aſcenderet, eam promiſit; ſed ut habetur Act.1. v.4. Lucæ 24. v.49., antequam aſcenderet in cœlum, ſolis Apoſtolis præcepit, ne à Hieroſolymis diſcederent, ſed ibi expectarent promiſſionem Patris, donec induerentur virtute ex alto: ergo ſoli Apoſtoli Spiritus Sancti effuſionem percepiſſe credendi ſunt.

Reſpondeo tamen, quòd licèt Chriſtus ſolis Apoſtolis expreſsè promiſſum fecerit, ſuâ tamen liberalitate, ſuper omnes, qui cum eis erant, promiſſum implevit: ita S. Auguſt. ſerm.186. de tempore (modò ſerm.267.) *Paſſus eſt*, inquit, *mortuus eſt, reſurrexit, aſcendit; reſtabat ut impleret, quod promiſit. Hoc expectantes Diſcipuli ejus, animæ, ut ſcriptum eſt, centum viginti, decuploto numero Apoſtolorum, duodecim enim elegit, & in centum viginti Spiritum miſit*. Unde, quod promiſerat, decies implendo multiplicavit. Et S. Joan. Chryſoſtomus Homil.4. in Acta movens hanc quæſtionem: *Quid verò?* inquit, *an in duodecim tantùm venit, & non in cæteros?* Reſpondet. *Nequaquam: ſed venit etiam in illos centum viginti. Neque enim ſine cauſa Petrus Prophetæ* (Joel) *teſtimonium protulit, dicens*,, Et erit in noviſſimis diebus &c., Et inferiùs obſervans dictum fuiſſe: *Et repleti ſunt*

Digitized by Google

omnes, ſubjungit: *Cùm Apoſtoli illic eſſent, non dixiſſet*, omnes, *niſi alii quoque participes fuiſſent. Alioquin autem, cùm illos ante nominatim recenſuiſſet, non illos nunc cum aliis jungeret in hoc negotio. Nam ſi ubi dicendum tantùm erat Apoſtolos adfuiſſe, ipſos nominatim recenſuit, multò magis hic illos diſtinxiſſet*. Hæc Chryſoſtomus.

Adderem, Chriſtum ſpecialiter quidem Apoſtolis promiſiſſe Spiritum Sanctum, quia hos prælegerat, ut portarent Nomen ſuum coram Gentibus & Regibus & Filiis Iſrael: generaliter tamen omnibus credentibus illum promiſerat Marci 16. v.17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in Nomine meo Dæmonia ejicient, linquis loquentur novis* &c. Quod ſpecialiter impletum fuiſſe legitur Act.19., ubi de recèns baptizatis in Nomine Jeſu dicitur v.6. *Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*. Sed de hoc iterùm redibit ſermo infra § 6.

XXVI. Signum ſenſibile, quo Spiritus Sanctus ſuum adventum manifeſtavit, ſic deſcribitur Act.2. v.2. *Et factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum*. Quibus indicatur, primum ſignum fuiſſe ſonum tanquam venti repentè irruentis, & domum totam replentis, ut qui ibi erant excitarentur: Secundum apparitionem linguarum diſpertitarum tanquam ignis, qui ſedit ſuper ſingulos eorum. Linguas iſtas non fuiſſe verè igneas colligunt plerique, tum quia dicuntur, *tanquam ignis*; tum quia ſi fuiſſent verus ignis, domum & in ea ſtantes incendiſſet. Ego tamen non metuerem dicere, eas fuiſſe faculas veri ignis: nec obeſt, quòd dicantur fuiſſe *tanquam ignis*: nam ſicut dicitur Spiritus Sanctus adveniſſe *ſicut Columba* ſuper Chriſtum, & tamen veram Columbam fuiſſe ſuperiùs exiſtimavi; ita licèt linguæ dicantur fuiſſe tanquam ignis, potuerunt eſſe verus ignis. Nec metuendum erat, ut incenderent domum, cùm apparuerint diſpertitæ, ſicut faculæ, eo modo, quo ſi plures candelæ in uno eodem cubiculo diſpertitæ ardeant, illud non incendunt: & propterea de linguis igneis non dicitur, ut de venti ſono, quòd repleverunt totam domum. Ita videtur ſentire Chryſoſtomus, dum Homil.4. in Acta dicens: *Sed cur ignis non ita apparuit, ut impleret domum? Quia exterriti fuiſſent. Sed oſtendit, idipſum eveniſſe: ne attendas enim quod dixerit*, apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, *ſed ignem fuiſſe conſideres. Tantus ignis immenſam ſylvam poteſt incendere. Ac rectè dicit*, diſpertitæ. Verùm in hoc non contendo. Diſ-

Difficultas eſt de modo, quo linguæ iſtæ ſederint ſuper ſingulos: an ſingulæ ſupra ſingulorum capita apparuerint ſecundùm numerum eorum, qui ibi aderant diſtributæ, quomodo à pictoribus exprimi ſolent: an verò alio modo. Volunt quidam, miraculum hoc non fuiſſe, quòd linguæ igneæ ſuper capita adſtantium apparuerint: ſed quòd omnes illic ſedentes ad repentinum ſonitum velut aeris vehementis, ſtupentes atque attoniti hæſerint ore hianti atque aperto: unde ipſorum linguæ viſæ ſint in proprio ore quaſi igneæ, ad figurandum ardorem infuſæ caritatis, & diſpertitæ ſeu diſſectæ in plures, ad deſignandam illis conceſſam linguarum multiplicitatem.

Sed hæc expoſitio, præter novitatem, non congruit modo loquendi Scripturæ: hæc enim non dicit: *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ*, ut dicere debuiſſet, ſi in linguis eorum hoc contigiſſet: *Sed apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis*. Inſuper ille ignis, ſeu quaſi ignis *ſedit ſuper ſingulos eorum*, non in linguis eorum. Unde S. Auguſtinus lib. 1. de Actis cum Felice Manichæo cap. 5. *Et viſæ ſunt illis*, inquit, *linguæ diviſæ quaſi ignis, qui & inſedit ſuper unumquemque eorum*. Præterea hâc diſtributione ſeu diviſione linguarum voluit Deus, ut hoc miraculum omnibus, qui erant in Cœnaculo, perſpicuum facile ac exploratum eſſet: ſi autem in hoc poſitum fuiſſet, quòd linguæ Apoſtolorum aliorumque in Cœnaculo adſtantium, diſpertitæ in proprio cujuſque ore apparuiſſent; ut videretur hoc miraculum etiam ad breve tempus, oportuiſſet, ut Apoſtoli aliique Fideles ibi congregati aperto ſemper hiantique ore ſeſe mutuò conſpicerent, quòd ſanè à veri & decori ſpecie abhorrere, nemo non videt.

Longè igitur probabilius eſt, hoc in eo ſitum fuiſſe, quòd ſuper Capita ſingulorum diſtributæ apparuerint ad modum pyramidis ſursùm flammantes, ut ſic omnium adſtantium oculis obviæ eſſent. Licèt autem plures eſſent linguæ, quia tamen una erat radix, nempè Spiritus Sanctus, quem repreſentabant, ideò Lucas non dicit, quòd *ſederunt*, ſed *ſedit ſuper ſingulos eorum*, quia etiamſi linguæ illæ diſparuerint, attamen Spiritus Sanctus per eas deſignatus *ſedit*, ideſt manſit, & quaſi requievit permanenter ſuper corda ſingulorum. Ut enim ait Chryſoſtomus Homil. 4. in Acta „ Seditque ſupra ſingulos eorum „ *ideſt manſit, requievit: nam ſedere, ſtare & manere ſignificat*. Sic Jo: 1. v. 32. Joannes Baptiſta dicit: *Vidi Spiritum deſcendentem quaſi Columbam de cælo, & manſit ſuper eum* (Chriſtum) cùm tamen viſibilis Columba ſolum tranſeunter ſuper eum ſederit, & ſolùm manſerit Spiritus.

Digitized by Google

XXVII. Cur autem Spiritus Sanctus, qui in ſpecie Columbæ ſuper Chriſtum deſcendit, ſuper Apoſtolos in ſpecie ignis apparuerit, rationem dat S. Auguſtinus Tract.6. in Joan., & ex eo S. Thomas Lect 14. in cap. 1. Joan., ut nimirùm oſtenderetur, in Fidelibus ſimplicitati Columbæ debere conjungi fervorem ignis: *Hàc* (inquit Auguſtinus) *vidimus Columbam ſuper Dominum, hàc linguas diviſas ſuper Diſcipulos congregatos: ibi ſimplicitas, hìc fervor oſtenditur. Sunt enim qui dicuntur ſimplices, & pigri ſunt; vocantur ſimplices, ſunt autem ſegnes. Deinde* oſtendens non talem fuiſſe Stephanum, qui fervori, quo durè increpavit Judæos, dicens Act.7. v.51. *Durâ cervice, & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*, conjunxit Columbæ lenitatem: quæ pugnat, ſed ſine felle, dum pro eis ipſum lapidantibus oravit, dicens v.59. *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*, concludit: *Ergo ne Spiritu ſanctificati dolum habeant, in Columba demonſtratum eſt; ne ſimplicitas frigida remaneat, in igne demonſtratum eſt. Nec moveat, quia linguæ diviſæ ſunt. Diſtant enim linguæ, ideò diviſis linguis apparuit. Linguæ inquit diviſæ ſunt velut ignis, qui & inſedit ſuper unumquemque eorum; diſtant inter ſe linguæ, ſed linguarum diſtantia non ſunt ſchiſmata. In linguis diviſis noli diſſipationem timere, unitatem cognoſce in Columba.*

Magiſtro ſuo Auguſtino adhærens S. Thomas loco citato dicit, quòd Spiritus Sanctus, qui ſuper Chriſtum in ſpecie Columbæ apparuit, *apparet etiam ſuper Diſcipulos congregatos per ignem, quia quidam ſunt ſimplices, ſed tepidi, quidam autem ferventes, ſed malitioſi. Ut ergo Spiritu ſanctificati dolo careant, Spiritus in Columbæ ſpecie demonſtratur: & ne ſimplicitas frigiditate tepeſcat, demonſtratur in igne: Secundò propter caritatis unitatem; nam Columba amore multum fervet Cantic. 6.* „ Una eſt Columba mea „ *Ut ergo oſtendat Eccleſiæ unitatem, in ſpecie Columbæ Spiritus Sanctus apparet. Nec moveat te, quòd Diſcipulis diſpertitæ linguæ apparuerunt, quando ſedit ſupra ſingulos eorum Spiritus Sanctus, qui & diſpertitus apparet ſecundùm diverſa donorum officia, & tamen unit per caritatem. Et ſic propter primum apparuit in diſpertitis linguis, ut dicitur* (1. Cor.12.) „ diviſiones gratiarum ſunt „ *in Columbæ ſpecie propter ſecundum.* Hæc D.Thom.. Vel ut ait Chryſoſt. Hom.4. in Acta: *Rectè dicit* diſpertitæ: *Ex una enim radice erant, ut diſcas, vim operandi eſſe à Paracleto miſſam.* Quibus conſonat illud 1.Cor.12. v.4. *Diviſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.*

§. V.

§. V.

Effectus à Spiritu Sancto producti.

XXVIII. Dicit Lucas Act. 2. v. 4. *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Impleti ergo fuerunt omnes Apoſtoli ac Fideles ibi congregati Spiritu Sancto, conferente eis primò gratiam ſanctificantem, non quidem primam ſpiritualiter regenerantem, hanc enim jam habebant, ſed ſecundam, nimirùm gratiæ robur & augmentum, quod nondum habuerant, quodque Chriſtus promiſerat ſe daturum, ad eos in fide & dilectione firmandos. Unde Auguſtinus Tract. 74. in Joan. *Jam itaque*, inquit, *habebant Spiritum Diſcipuli, quem Dominus promittebat, ſine quo eum Dominum non dicebant: nec tamen eum adhuc habebant, ſicut eum Dominus promittebat. Et habebant ergo, & non habebant, qui quantùm habendus fuerat, nondum habebant. Habebant itaque minùs; dandus erat eis ampliùs.*

XXIX. Contulit eis ſecundò Gratiam Septiformem ſeu Septem Dona, quæ vulgò Spiritus Sancti Dona dicuntur, de quibus Iſaias cap. 11. v. 2. *Et requieſcet*, inquit, *ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & Intellectus, Spiritus Conſilii, & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ, & Pietatis. Et replebit eum Spiritus Timoris Domini.* Sunt ergo Donum Sapientiæ, Donum Intellectus, Donum Conſilii, Donum Fortitudinis, Donum Scientiæ, Donum Pietatis, Donum Timoris Domini. Donum quidem Sapientiæ ad judicandum de rebus Divinis, quibus quis debeat adhærere; Donum Intellectus ad rectam apprehenſionem Veritatis; Donum Conſilii ad rectè deliberandum de difficillimis; Donum Fortitudinis ad conſequendum finem operis ardui propter Deum ſuſcepti, & ſuperanda quæcumque mala ex adverſo imminentia; Donum Scientiæ ad diſcernenda credenda à non credendis, & rectè judicandum de rebus humanis, quatenùs ducunt ad Deum; Donum Pietatis ad exhibendum cultum Deo debitum; Donum Timoris ad Deum reverendum ac timendum, timore non ſervili ſed filiali. De his Spiritus Sancti Donis, an ſint habitus, & diſtinguantur à virtutibus videri poſſunt, quæ dixi tomo 2. in 1. 2. Tract. de *Virtutibus* qu. 4. de *Donis Spiritus Sancti*, ex S. Thoma 1. 2. q. 68.

XXX. Contulit eis tertiò effectus ex Donis ipſis promanantes, nempè duodenarium fructum ab Apoſtolo indicatum

Ga-

Galat.5. v.22. *Fructus autem Spiritus eſt: Caritas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Manſuetudo, Fides, Modeſtia, Continentia, Caſtitas.* Hæc enim vocantur Spiritus Sancti Fructus, quia ſunt quidam actus ex altiori Spiritus Sancti virtute, quaſi ex ſemine cum perfectione & ſuavitate procedentes, de quibus S. Thomas 1. 2. q.70., ubi art.1. dicit: *Quòd nomen* Fructus *à corporalibus ad ſpiritualia eſt translatum. Dicitur autem in corporalibus fructus id, quod ex planta producitur, cum ad perfectionem pervenerit, & quandam in ſe ſuavitatem habet. Qui quidem fructus ad duo comparari poteſt, ſcilicet ad arborem producentem ipſum, & ad hominem, qui fructum ex arbore adipiſcitur. Secundum hoc igitur nomen* Fructus *in rebus ſpiritualibus dupliciter accipere poſſumus. Uno modo, ut dicatur fructus hominis quaſi arboris id, quod ab eo producitur. Alio modo, ut dicatur fructus hominis id, quod homo adipiſcitur. Non autem omne id, quod adipiſcitur homo, habet rationem fructus, ſed id, quod eſt ultimum delectationem habens. Habet enim homo agrum & arborem, quæ fructus non dicuntur, ſed ſolum id, quod eſt ultimum, quod ſcilicet ex agro & arbore homo intendit habere. Et ſecundum hoc fructus hominis dicitur ultimus hominis finis, quo debet frui.*

Si autem dicatur fructus hominis id, quod ex homine producitur, ſic ipſi actus humani fructus dicuntur. Operatio enim eſt actus ſecundus operantis, & delectationem habet, ſi ſit conveniens operanti. Si igitur operatio hominis procedat ab homine ſecundùm facultatem ſuæ rationis, ſic dicitur eſſe fructus rationis. Si verò procedat ab homine ſecundùm altiorem virtutem, quæ eſt virtus Spiritus Sancti, ſic dicitur eſſe Operatio hominis Fructus Spiritus Sancti, quaſi cujuſdam Divini ſeminis. Dicitur enim 1.Joan.3. „Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet.

Quare fructus diſtinguuntur à virtutibus etiam infuſis: nam virtutes ſunt habitus benè diſponentes hominem ad operandum circa objecta ſua. Fructus verò Spiritus ſunt actus & operationes ex Spiritu Sancto tanquam interno ſemine delectabiliter & ſuaviter in homine procedentes.

XXXI. Contulit eis quartò Gratias gratis datas, quarum novem ſpecies numerat Paulus 1. Cor. 12. v.7. *Unicuique autem datur Manifeſtatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur Sermo Sapientiæ: alii autem Sermo Scientiæ ſecundùm eundem Spiritum: alteri Fides in eodem Spiritu: alii Gratia Sanitatum in uno Spiritu: alii Operatio Virtutum: alii Prophetia: alii Diſcretio Spirituum: alii Genera Linguarum: alii Interpretatio Sermonum.* De Gratiis gratis datis egi tom.3. in 1. 2. Tract. de Gratia

tia q.2. de diviſ. gratiæ actualis dub.1. ex S. Thoma 1. 2. q.111. ar.4. & 5. Dicuntur autem gratis datæ, non præcisè quia dentur gratis (hoc enim omni gratiæ commune eſt, quia ſi gratia eſt, ex operibus non datur) ſed quia non datur ad faciendum Deo gratum eum, cui datur, ſed ad cooperandum, ut alii fiant Deo grati: unde S. Paulus dum dicit: *Unicuique datur Manifeſtatio Spiritus ad utilitatem*, debet intelligi, quòd datur ad utilitatem ſeu ſalutem aliorum procurandam. Quia verò Apoſtoli aliique Diſcipuli ad hoc præcipuè à Spiritu Sancto præparabantur, hiſce Gratiis congruè donati fuere.

Quia verò homo cooperatur ad ſalutem alterius, non interiùs movendo (quod ſolius Dei eſt) ſed exteriùs docendo vel perſuadendo: ideò ad utiliter inſtruendum alios de rebus Divinis, quæ ſunt ſupra rationem, oportet primò, ut Doctor probè norit ea, quæ aliis tradere debet: & ad hoc datur ſermo Sapientiæ, Scientiæ, & Fidei. Secundó, ut poſſit ea probare & confirmare: & ad hoc datur Gratia Sanitatum, Operatio Virtutum, Prophetia, Diſcretio Spirituum. Tertiò, ut poſſit ea convenienter ac intelligibiliter proferre; & ad hoc dantur Genera Linguarum, & Interpretatio Sermonum. Quæ à Donis Spiritus Sancti diſtinguuntur, quia dantur, ut hominis mens non ſolum ſit benè mobilis à Spiritu Sancto in ordine ad ſe ipſum, ad quem finem dantur Dona; ſed important quandam abundantiam ſcientiæ & virtutis, quâ homo non ſolùm poſſit in ſe ipſo rectè ſapere & operari circa Divina, ſed etiam alios inſtruere, & contradicentes revincere: de quo plura dixi tom.1. in 1.2. q.4. de Donis Spiritus Sancti dub.2. §.2. n.5.

XXXII. Quæſtio eſſe poteſt, an ejuſmodi Gratiæ fuerint collatæ Apoſtolis & aliis per modum habitus, & permanenter, ita ut illis præſto eſſent ſemper, ubi & quando uti vellent. An verò ſolum per modum motionis, & tranſeunter. Sanè regulariter loquendo Gratiæ gratis datæ (uno excepto Chriſto) ad differentiam Donorum Spiritus Sancti, non permanenter, ſed ſolùm tranſeunter, & cùm ad ſalutem aliorum, & gloriam Dei oportuerit, communicantur, ut oſtendi tom.1. in 1. 2 q.4. de Donis dub.1. §.2. num.7.; maximè quoad Gratiam Prophetiæ, Sanitatum, diſcretionem Spirituum, genera Linguarum. An veró Apoſtolis ex ſpeciali privilegio omnes permanenter collatæ fuerint, incertum videtur. S. Gregorius Homil.9. ſuper Ezechiel. dicit, quòd *in fide & ſpe atque caritate, & in bonis aliis, ſine quibus ad cæleſtem patriam non poteſt veniri ... perfectorum corda non deſerit: in prophetiæ verò virtute, doctrinæ facundia, miraculorum exhi-*

exhibitione, electis ſuis aliquando adeſt, aliquando ſe ſubtrahit: quod repetit lib.2. Moral. cap.41. (modò 56.) De Apoſtolis ſpecialiter quoad Donum Linguarum diſceptatur, an hoc illis collatum fuerit tranſeunter, nimirùm pro ſolo die Pentecoſtes; an verò permanenter, de quo §. ſequenti ſermo erit.

§. VI.

De Dono Linguarum.

XXXIII. INter mirabiles effectus, quos ſuper omnes in Cœnaculo congregatos produxit Spiritus Sanctus, qui publicè ſeſe effudit, fuit Donum Linguarum, quo omnibus omnium Gentium linguis è Cœnaculo egreſſi cœperunt loqui, ſtupente ex omni Natione multitudine, quæ tunc occaſione Paſchatis & Pentecoſtes Hieroſolymis aderat, & ad tam grande prodigium accurrerat. Hoc ita deſcribit S. Lucas Act.2. à v.4. *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Jeruſalem babitantes Judæi, Viri Religioſi ex omni Natione, quæ ſub cœlo eſt. Facta autem hac voce, convenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque linguâ ſuâ illos loquentes. Stupebant autem omnes & mirabantur, dicentes: nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt? Et quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus? Parthi & Medi & Ælamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Judæam & Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenem, & Advenæ Romani. Judæi quoque & Proſelyti, Cretes & Arabes: audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes: Quidnam vult hoc eſſe?* Quaſi dicerent: ex tot Nationibus univerſum Orbem complectentibus; ex tot linguis, quæ nos dividunt, quomodo fieri poteſt, ut eos uniquique audiamus linguam noſtram loquentes, qui tamen Galilæi ſunt, & Idiotæ, nec inſuper res uſitatas & humanas, ſed ſublimia & Deo digna? Quid ſibi vult prodigium hoc?

XXXIV. Prodigium hoc loquendi omnibus linguis, & coram multitudine ex univerſo Orbe congregata, fuit ſimul Myſterium, nimirùm Evangelium Chriſti fore ad omnes Linguas & Nationes prædicatione extendendum, & Chriſti Eccleſiam per univerſum Orbem diffundendam. Ita S. Auguſtinus Tract.2. in 1. Epiſt. Joan. *Cœperunt*, inquit, *linguis loqui, quomodo Spiri-*

ritus Sanctus dabat eis pronuntiare. Et omnes, qui aderant illic, de diverſis Gentibus venientes Judæi, agnoſcebant unuſquiſque linguam ſuam, & mirabantur, illos idiotas & imperitos ſubitò didiciſſe, non unam aut duas linguas, ſed omnium omninò Gentium. Ubi ergo jam omnes linguæ ſonabant, omnes linguæ crediturae oſtendebantur. Serm. 9. de Verb. Apoſt. (modò ſerm. 175.) cap. 3. *Loquebatur enim tunc unus homo omnibus linguis: quia locutura erat unitas Eccleſiæ in omnibus linguis.* Et ſerm. modò 268. (aliàs 20. ex Sirmondianis) *Linguis omnium Gentium locuti ſunt omnes. Erant autem in uno loco centum viginti: per decem duodenarius Apoſtolorum numerus ſacratus myſterio eſt decuplatus. Quid ergo ſinguli, in quos venit Spiritus Sanctus, ſingulis linguis omnium Gentium ſunt locuti, illi aliâ linguâ, & illi aliâ, & quaſi diviſerunt inter ſe linguas omnium Gentium? Non ſic: ſed unuſquiſque homo, unus homo linguis omnium Gentium loquebatur. Loquebatur unus homo linguis omnium Gentium: unitas Eccleſiæ in linguis omnium Gentium. Ecce & hic unitas Eccleſiæ Catholicæ commendatur toto Orbe diffuſæ.* Hæc S. Auguſtinus valdè notanda: ſerviunt enim ad dignoſcendum, quænam ſit Eccleſia Catholica, quænam non. In Catholica enim unus homo linguis omnium Gentium loquitur. In non Catholica unus unâ linguâ loquitur, alius aliâ, quaſi inter ſe linguas dividentes, quod in Modernis hæreticis contingere alibi oſtendi.

XXXV. Supereſt modo quærere primò, an de facto Donum Linguarum omnibus in Cœnaculo exiſtentibus, comprehenſis etiam Mulieribus, conceſſum ſit. Secundò, an ſinguli Apoſtoli linguis omnium Gentium loquerentur, & quomodo hoc factum ſit? An quód loquentes propria Syro-hebræa lingua ab omnibus Gentibus intelligerentur, ac ſi loquerentur in uniuſcujuſque propria, an verò reverà omnes linguas edocti omnibus eas loquerentur. Tertiò, an hoc Donum habuerint in ſolo Pentecoſtes die, & proinde ſolùm tranſeunter, an verò permanenter, & per modum habitus.

Circa primum breviter me expediam, nam ſupra §. 4. contra Theodorum Bezam oſtendi, omnes in Cœnaculo exiſtentes etiam Mulieres repletos fuiſſe Spiritu Sancto, ejuſque Donorum participes extitiſſe. De Dono tamen Linguarum ſpecialis difficultas videtur eſſe. Quidam enim tribuunt Cajetano, quòd in ſuis Comment. in 3. p. q. 27. ar. 5. negaverit, B. Virginem aliaſque pias Mulieres recepiſſe Donum Linguarum, eâ ductus ratione, quòd ejuſmodi Donum Concionatoribus tantùm videatur conceſſum, tanquam evulgandis in omnes Gentes Fidei

Chriſtianæ Myſteriis neceſſarium, cui muneri nec B. Virgo nec cæteræ Mulieres deſtinabantur.

XXXVI. Sed cuique Cajetanum citato loco legenti occurret, ut mihi accidit, eum non inficiari, omnia Sancti Spiritus Dona B. Virgini fuiſſe conceſſa, & præcipuè Donum Linguarum; ſed ſolùm velle non omnium habuiſſe uſum, quia uſus omnium non erat conveniens ſuo ſtatui, ait enim: *Ly* omnes, *non diſtribuit pro omnibus ſimpliciter uſibus gratiarum, quia nec Chriſtus habuit omnes uſus gratiarum, quoniam non eſt locutus variis linguis, ut ſuperiùs q.7. ar.7. ad ultimum Auctor dixit*. Ibi enim ad tertium S. Thomas hæc habet: *Donum Linguarum datum eſt Apoſtolis, quia mittebantur ad docendas omnes Gentes. Chriſtus autem in una ſola Gente Judæorum voluit perſonaliter prædicare, ſecundùm quod ipſe dicit Matth.15.* „Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael„ *Et Apoſtolus dicit Rom.15.* „Dico, Chriſtum Jeſum Miniſtrum fuiſſe Circumciſionis„ *Et ideò non oportuit, quòd loqueretur pluribus linguis; nec tamen defuit ei omnium linguarum notitia, cùm etiam occulta cordium ei non eſſent abſcondita, quorum voces quæcumque ſunt ſigna; nec tamen inutiliter hanc notitiam habuit, ſicut non inutiliter habet habitum, qui eo non utitur, quando non eſt opportunum*. Ita S.Thomas. Sicut ergo quamvis Chriſtus gratiâ linguarum uſus non fuerit, ſtatuit S. Doctor ibi, quòd in Chriſto excellentiſſimè fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, ſicut in primo & principali Fidei Doctore; ita eſtò in B. Virgine ejus Matre non fuerit uſus gratiæ linguarum, vel alicujus alterius, quia hoc non oportebat, adhuc ſalvatur, omnes gratias gratis datas in eam quoque, & cæteras, fuiſſe à Spiritu Sancto effuſas.

XXXVII. Neque officit, quòd ex omnibus Gentibus Turbæ, quæ ad hoc prodigium accurrerant, ſolis viris, & præcipuè Apoſtolis viſæ ſint ſucclamaſſe, dicentes: *Nonne omnes iſti, Galilæi ſunt? Et quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram illos loquentes?* Nam hinc arguitur quidem, ſolos Apoſtolos, aut etiam Diſcipulos illo primo impetu foras è Cœnaculo erumpentes accepti Doni Linguarum primum experimentum dediſſe, & in alios homines de repente mutatos apparuiſſe: hoc enim conveniebat, cùm eſſent Verbi duces, & ſuſceptæ gratiæ præcones à Domino conſtituti, ut ex hac improviſa mutatione ex hominibus idiotis ac imperitis in viros ſapientes, ac omnibus linguis magnalia Dei loquentes, Phariſæorum ac Legis Doctorum ſuperbia coram tot Nationibus confunderetur, nec non omnes agnoſcerent, eos, quos ante pavor incluſos tenebat, indutos vir-

virtute ex alto paratos eſſe Nomen Jeſu portare intrepidè coram Gentibus & Regibus ac Filiis Iſrael. Non tamen arguitur, alios, quibus hoc munus non incumbebat, talibus gratiis fuiſſe deſtitutos.

XXXVIII. Propterea B. Virgo Maria, & aliæ Mulieres, eſtò foràs illicò non prodierint omnibus linguis loquentes, non proinde inferendum eſt, eas tali gratiâ caruiſſe, ſed potiùs quamvis ſimili gratiâ exornatas ſeſe continuiſſe, quia publico miniſterio & prædicationi non deſtinatas. Ceterùm credibile eſt, quòd B. Virgo, cùm ſuſcepta jam à Gentibus Fide, multi ad eam inviſendam confluerent, eos privatis ſermonibus de variis Myſteriis propriâ cujuſque linguâ inſtruxerit, & ſic uſum gratiæ linguarum habuerit. Quo eodem Linguarum Dono uſas fuiſſe pias Mulieres, quæ erant in Cœnaculo privatè varias Gentes, quæ ipſas conveniebant, inſtruendo, facilè crediderim, præſertim Mariam Magdalenam & Martham, quæ Apoſtolos imitatæ unà cum Lazaro fratre juxta piam Gallorum Traditionem Maſſilienſibus & Tarraconenſibus Chriſtum annuntiarunt. Accedit, quòd iuxta Prophetiam Joelis, à S. Petro ut ſupra §. 4. num. 24. allatam, in perceptione gratiarum nihil diſcriminis ponitur inter viros & mulieres.

XXXIX. Circa ſecundum non latet, referri Chryſoſtomum, quaſi dicat Orat. 40., totum quidem cœtum Apoſtolicum omnium Gentium linguas calluiſſe, non verò ſingulos de cœtu, ſed alios alias, prout Regiones, ad quas mittendi erant, loquebantur: & hoc fuiſſe ſignum, quo demonſtrabatur, ad quam Regionem ſinguli mittendi eſſent, ad illam nimirùm, cujus linguam à Spiritu Sancto edocti eſſent. Verùm hæc eſt ſingularis opinio, cui cæteri Patres refragantur, volentes, notitiam omnium linguarum ſingulis fuiſſe collatam. Et jure quidem merito; nam hoc miniſterium Apoſtolicum requirebat, quo non ſolùm cœtus, ſed ſinguli ad diverſi idiomatis Nationes, prout neceſſitas exigebat, mittendi erant, ut quiſque eorum omnium linguarum notitiâ imbutus eſſet. Hinc Paulus 1. Cor. 14. v. 18. *Gratias*, inquit, *ago Deo meo, quòd omnium veſtrum linguâ loquor*, omnium, ſcilicet, qui ex variis Orbis partibus Corinthi habitabant. Et hoc dixit Paulus, teſte ipſo Chryſoſtomo in 1. ad Cor. hom. 35. Nam cum reprehendiſſet quoſdam, qui in Eccleſia variis linguis ex quadam levitate orabant, ita ut alii imò nec ipſi intelligerent quid dicerent, ne videretur hoc donum deſpicere, declarat, ſe ipſum etiam eo potiri: *Deinde quoniam eos eſt inſectatus, qui hoc habent donum, tanquam qui ni-*

Digitized by Google

hil magnum haberent, ne videatur, veluti eo privatus, eos vilipendere, vide quid dicat: Gratias ago Deo, quod magis, quàm vos omnes, Linguis loquar „ Accedit quòd ſi, ut habetur Act.10. v.46., & 19. v.6., omnes, ſuper quos ceciderat Spiritus Sanctus, loquebautur Linguis, hoc multò magis ſingulis Apoſtolorum concedendum eſt. In hanc ſententiam conſpirant cæteri Patres: Auguſtinus ſupra relatus ſerm. modò 268. recolendus, & Tract.93. in Joan., Cyrillus Hieroſol. Catech.17., Gregorius Homil.30. in Evang., Leo ſerm. 1. de Pentecoſte, & alii. Quæ obſtare videntur, maximè quòd omnium Linguarum Donum in Apoſtolis non perſeveraverit, diluentur infra.

XL. Nunc de Modo, quo Apoſtoli omnium Nationum linguis loquerentur, quærendum eſt. Quidam cenſent, Linguam Hebraicam, quæ omnium Linguarum primigenia fuit, & omnium linguarum Orientalium quaſi Mater, in confuſione Babylonica, quando per orbem diſperſi ſunt homines, non fuiſſe penitùs extinctam, ſed ſolùm iu diverſas propagines & dialectos diviſam: ideòque linguas, tum Orientales Chaldaicam Syriacam Egyptiacam Arabicam &c. Tum etiam Græcam Celticam Saxonicam Danicam Theutonicam ex ea tanquam filias ſolâ dialecto diverſas promanaſſe, nec inter illas aliud deſcrimen eſſe, quam inter Latinam, Gallicam, Italicam & Hiſpanicam: ita ut qui unam illarum calluerit, licèt non ita facilè, poſſit tamen utcumque quamlibet illarum intelligentiâ aſſequi. Hoc ſuppoſito dicunt, Donum Linguarum, quod Apoſtoli in die Pentecoſtes acceperunt, non in hoc ſitum fuiſſe, quòd variis Linguis loquentes ab omnibus Nationibus audirentur (implicat enim, ajunt, ut quis eodem tempore variis Linguis loquatur) ſed in hoc, quòd ſpeciali Miraculo factum ſit, ut omnes Nationes, quæ linguam Hebraicam ante haud facilè capiebant, facillimè tamen in Die Pentecoſtes linguam Hebraicam, qua Apoſtoli loquebantur, quaſi ipſis eſſet vernacula, intellexerint. Ita ſentit etiam Auctor Sermonis de Spiritu Sancto apud S. Cyprianum his verbis: *Aderant Medi & Elamitæ, Meſopotameni & Arabes, hi omnes dum Hebræâ linguâ Apoſtoli prædicarent. Locutio Judaica enuntiationis ſuæ articulos curſu conſueto evolvens nullo exponebatur Interprete, ſed verbo eorum per Spiritum Sanctum inerat Virtus & Gratia, ut hdbitantes Pontum & Aſiam ſuam eſſe dicerent Linguam, quam audiebant; quaſi primitivæ linguæ libertas, ad antiquitatis reverſa originem; confuſionis contumeliam evaſiſſet.*

XLI. Sed hæc meditatio placere non poteſt. Primò, quia opponitur Scripturæ, quæ Act.2. v.4. dicit: *Cœperunt loqui variis*

riis Linguis. Hæc autem opinio dicit, quòd unâ nempè Hebraicâ linguâ locuti fuerint. Deinde qui eos audiebant dicebant: *Audivimus unuſquiſque Linguam noſtram, in qua nati ſumus*: hoc autem dicere non potuiſſent, ſi eos Hebraicè tantùm loquentes audiviſſent. Sed potiùs dixiſſent, audivimus eos loquentes, ac ſi Linguâ noſtrâ, in qua nati ſumus locuti fuiſſent. Secundò, quia in hac opinione Donum Linguarum non ponitur in loquentibus, qui unâ tantùm Linguâ ſibi nativâ loquerentur, ſed in audientibus, quibus daretur Donum Intelligentiæ illius linguæ, quam ante non intelligebant. Tertiò valdè minuitur prodigium, quod Scriptura adeò extollit. Magnum quidem Miraculum eſt, quòd Apoſtoli piſcatores, rudes ac imperiti, confeſtim nullo doctore, ſed ſolâ Sancti Spiritus effuſione Linguis omnium Nationum publicè locuti fuerint: non tamen Miraculum adeò magnum eſt, quòd quis linguam primigeniam, quam quis ante non adeò facilè intelligebat, facilè ſtatim intelligat. Quartò: admiſſo quòd lingua Hebraica fuerit lingua primigenia, de quo tom.2. ſupra diſſerui: Lingua tamen, quâ Chriſtus & Apoſtoli tunc loquebantur, non erat antiqua & pura Hebræa, quam ſupponunt cum aliis linguis Orientalibus affinitatem habuiſſe, ſed erat lingua Syro-Hebraica, quæ ab his, qui puris linguis Orientalibus loquebantur, intelligi minimè poterat.

XLII. Exiſtimant propterea alii, Apoſtolos unâ tantùm linguâ Syro-Hebræa loquentes à diverſis Nationibus, ac ſi propriâ uniuſcujuſque linguâ loquerentur, fuiſſe intellectos. Et obſervant, quòd Act.2. diverſarum Nationum Populi inclamabant: *Quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?* Et infra: *Audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei*, quaſi id audirent illi tantùm, non autem ipſi Apoſtoli loquerentur.

Sanè ſi nihil aliud in Actibus Apoſtolorum reperirem, ità rem accidiſſe, fortè non inficiarer, cùm hoc poſtremis temporibus nonnullis Viris Apoſtolicis, Vincentio Ferrerio, Ludovico Bertrando & Franciſco Xaverio datum fuiſſe legam, ut patriâ linguâ locuti à diſſonis Gentibus intelligerentur. Sed Scriptura hoc alterum etiam dicit: *Cœperunt loqui variis Linguis*. Et Paulus 1. Cor. 14., ut ſupra dicit: *Gratias ago Deo meo, quòd omnium veſtrum linguâ loquar*. Quin & Chriſtus ipſe hoc promittit Marci 16. v.17 dicens: *Linguis loquentur novis*. Quod impletum fuiſſe in quibuſdam, referunt Acta Apoſtol. c. 10. & 19., ut ſupra notavi. Cur ergo in effuſione adeò mirabili ſu-

Digitized by Google

ſuper Apoſtolos Spiritus Sancti hoc eveniſſe non dicemus?

XLIII. Cenſeo igitur, quòd quamquam Deo volente utroque modo prodigium illud patrari potuerit, ſeu quòd ſuâ dumtaxat linguâ loquentes Apoſtoli à diverſarum Nationum Populis intelligerentur, ſeu quòd variarum Nationum linguis imbuti loquerentur univerſas; congruentius tamen fuit, poſteriori modo rem fieri, quàm priori: & ita factum eſſe modo loquendi Scripturæ conformius videtur, aliàs non in Apoſtolis, ſed in auditoribus Miraculum fuiſſet, nec in Apoſtolorum mentibus & linguis, ſed in auribus auditorum. Nec ſatis Evangelicæ prædicationi fuiſſet proviſum. Si enim Apoſtoli non habuiſſent omnium Linguarum notitiam, quomodo cum exteris Nationibus Sermonem habere, illoſque ſecum loquentes intelligere potuiſſent? Accedit, quòd pro numero auditorum tot debuiſſent multiplicari Miracula, nimirùm ſonum nativæ linguæ uniuſcujuſque audientium diverſum à ſono loquentis in aere efformari. Dubium hoc proponit Gregorius Nazianzenus Orat. 44. his verbis: *Hic paulùm conſiſte atque ambige, quomodo diſtinguenda ſit Oratio. Textus enim nonnullam ambiguitatem habet, interpunctione dirimendam. Utrum enim audiebant ſuâ quiſque dialecto, ita ut, verbi gratia, vox quidem una emitteretur, multæ autem audirentur, ſic videlicet pulſato ac perſtrepente aere, pluribuſque vocibus, ut magis perſpicuè dicam, ex una voce effectis: an potiùs in hoc verbo* Audiebant *punctum ſtatuendum eſt, atque hæc verba* Loquentes ſuis linguis *cum his, quæ ſequuntur jungenda ſunt: ut ſic legatur,* Loquentes linguis, *propriis ſcilicet audientium, hoc eſt, externis: qui etiam ſenſus mihi magis arridet. Nam illo quidem modo, eorum potiùs qui audiebant, quàm qui verba faciebant, hoc Miraculum fuerit, at hoc ſenſu, eorum, qui loquebantur: qui etiam temulentiæ inſimulantur, haud dubiè quia ipſi per Spiritus operationem novi Miraculi aliquid circa voces deſignabant.* En Nazianzenus noſtræ favet ſententiæ, aliàs Donum Linguarum & prodigium non eſſet datum Apoſtolis loquentibus, ſed audientibus Nationibus. Unde Grotius ipſe in Act. cap. 2. *Noli,* inquit, *credere iis, qui Miraculum in auribus audientium factum aſſerunt. Manifeſtè omnia eis reſiſtunt, quæ ſunt 1. Cor. 12.* Cui conſentit Calvinus in præfatum Caput Act. dicens: *Verùm primo loco notandum eſt, verè locutos fuiſſe extraneis linguis Diſcipulos: alioqui non in ipſis, ſed in auditoribus fuiſſet Miraculum: ita falſa fuiſſet ſimilitudo, cujus ante meminit, nec tam ipſis datus eſſet Spiritus, quàm aliis.*

Nec tamen dixerim, unumquemque Apoſtolorum pluribus ſimul

ſimul linguis fuiſſe locutum: ſed quòd ſimul foras è Cœnaculo erumpentes omnibus linguis loqui cœperint, unus ſcilicet unâ, alius aliâ, ut omnibus linguis audientium eodem tempore loqueretur quidem totus cœtus Apoſtolicus, non tamen ex cœtu quilibet, niſi fortè ſucceſſivè, ut poſtquam unâ linguâ locutus fuiſſet, loqueretur aliâ: quæ res alios in admirationem traxerit, alios ad irriſionem provocarit, eos temulentos exiſtimantes.

XLIV. Quamvis autem ita contigiſſe in Die Pentecoſtes affirmem, non inficiabor tamen, certis in caſibus, maximè dum ad variarum Nationum & Linguarum Populos ſimul congregatos Conciones habebant, hoc ſingulare Donum ad faciliùs propagandum Evangelium à Deo accepiſſe, ut unâ linguâ ſive patriâ ſive exterâ loquentes, promiſcuè & indiſcriminatim ab omnibus exteris & barbaris Nationibus intelligerentur. Si enim hoc poſtremis temporibus Viris quibuſdam Apoſtolicis conceſſit Deus, non eſt, cur denegemus, Apoſtolis primitias Spiritus habentibus fuiſſe conceſſum. Utrumque ergo Donum conceſſum illis fuit, quia utrumque ad promulgandum per totum Orbem terrarum Evangelium erat neceſſarium: & quòd omnium Nationum linguis fuerint inſtructi, ut poſſent omnibus quamvis inter ſe diſcrepantibus loqui, & quòd unâ linguâ loquentes poſſent ab omnibus Nationibus intelligi, perinde ac ſi propriâ eorum linguâ loquerentur. Atque ideò Beda explicans illa verba Act. 2. *Audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus*, utrumque adjudicat Apoſtolis dicens: *Aut quia linguis omnibus loquebantur, aut quia linguâ ſuâ loquentes ab omnibus intelligebantur.*

XLV. Circa tertium, an Gratia Linguarum, quæ Apoſtolis & aliis in Cœnaculo incluſis conceſsa fuit, data eis fuerit per modum habitus permanentis, an verò ſolum per modum motionis tranſeuntis, de quo §. præcedente aliqua indicavimus. Claudius Salmaſius Calvini gregalis lib. de Lingua Helleniſtica, putat, Donum Linguarum datum fuiſſe Apoſtolis per modum motionis tranſitoriæ ſeu cujuſdam afflatus & impetus Spiritus Sancti, ita ut ultra diem Pentecoſtes non duraverit motio illa: *Falluntur*, inquit, *qui putant, ab illo Miraculo infuſam fuiſſe Virtutem variis loquendi Linguis, quas ipſi non didiciſſent, & quæ in toto Orbe frequentabantur. Non enim veroſimile eſt, ultra diem illum duraſſe vim illam, quam Spiritus Sanctus iis adflavit, quâ linguis omnibus feruntur loquuti, tantiſper locum habituram, quamdiù lingua ſingulis diſtributa ſuper cujuſque caput inſediſſe dicuntur. Ablatis linguis ceſſavit Miraculum, & deſierunt loqui. Fama eſt,*

Digitized by Google

eſt, eos, qui poſſidentur à Dæmone, ſæpè multas externas uſurpare linguas, quas non noverunt, ſed inſpiratione expiratâ, Dæmonio ejecto, in antiquum redeunt, nec ampliùs ſermones illos profantur, quos ſpiritu maligno effutiente effutiebant. Nec mirabitur ex diverſa cauſa produci eundem effectum, qui meminerit, quid actum ſit circa baculorum in ſerpentes converſionem tam à Moyſe, quam ab Ægyptiis ſapientibus: Spiritus non unus eadem tamen operabatur: additque Salmaſius, *Apoſtolos indiguiſſe Interpretibus, Petrum Marco, alios aliis, quippe qui vernaculam tantùm linguam noverant, Græcæ prorsùs ignari, ſi Paulum excipias, qui in Græcia natus linguam Græcam æquè familiarem habuit ac Syriacam: cæteri Apoſtoli nonniſi ſerò admodum eam didiciſſe videntur, poſtquam juſſi ſunt ad Gentes pergere.*

XLVI. Verùm Salmaſius primò ſibi contradicit: dicit enim vim illam loquendi omnibus linguis non duraſſe ultra diem Pentecoſtes: ergo ſaltem totâ illâ die duravit. Poſtea dicit, quòd *tantiſper locum habuit, quamdiu linguæ ſingulis diſtributæ ſuper cujuſque caput inſediſſe dicuntur, & ablatis linguis ceſſavit Miraculum, & deſierunt loqui*. Dico ergo ſic, ſi vis illa loquendi omnibus linguis tantiſper ſolùm in Apoſtolis fuit quamdiù ſuper capita eorum linguæ igneæ inſederunt, cùm linguæ iſtæ ſuper eos inſederint dum in Cœnaculo manerent, & non cùm è Cœnaculo egreſſi ſunt, cùm eâdem die horâ tertiâ egreſſi ſint, ergo vis illa loquendi nec duravit in illis totâ illâ die; ergo è Cœnaculo egreſſi, cum ablatæ eſſent linguæ (nec enim puto, Salmaſius dicet, eos egreſſos habuiſſe linguas capitibus inſidentes) non poterant ampliùs variis linguis loqui. Cur ergo dicit Lucas, quòd egreſſi *cœperunt loqui variis linguis*, & quòd multitudo, quæ convenerat *mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque linguâ ſuâ illos loquentes*, ſicut ipſe dicit, *ablatis linguis ceſſavit Miraculum, & deſierunt loqui?*

XLVII. In eo verò quod Salmaſius dicit, elapsâ eâ die (ſeu veriùs horâ) Apoſtolos Dono Linguarum caruiſſe, earum ignaros ut ante fuiſſe & eguiſſe Interprete, contradicit etiam ſuis nempè Grotio, qui ad cap.2. Act. ad illa verba: *Seditque ſupra ſingulos eorum*, ait, *ſignificabat hæc ſeſſio perpetuò illis hoc Donum adfuturum, quoties negotium illis eſſet cum Gentibus linguæ alterius. Prophetis Prophetia rarò aderat, cùm Deus vellet; neque certi erant Prophetæ, quando eam eſſent habituri. Exempla habemus in Nathane, Samuele, Eſaia.* Contradicit Calvino ipſi; is enim in dictum Act. cap.2. permanentiam hujus Doni ex Paulo 1. Cor. 14. v.18. oſtendens ait: *Audimus etiam, ut Paulus Deo gra-*

gratias agat , quòd diverſis linguis loquatur . Certè earum & intelligentiam & uſum ſibi vendicat . Neque verò hanc facultatem conſecutus fuerat ſuo ſtudio vel induſtriâ , ſed habebat ex Dono Spiritus . Si permanenter hoc Donum habuit Paulus , cur non & cæteri ? Videat ergo Salmaſius , ſe in hoc pugnare etiam contra ſuos .

XLVIII. Quod opponit primò de Energumenis, qui moti à Dæmone ſæpè loquuntur linguis extraneis , ejecto autem Dæmone ceſſant loqui , puto, nec ipſi Salmaſio favere. Nam Energumenus ſi aliquando loquitur linguâ , quam non noverat , hoc fit Dæmone movente ejus linguam ad formandas tales voces, cùm tamen ipſe homo neſciat quid dicat , ſed loquatur velut pſittacus . Ergo ne tali modo Spiritus Sanctus movit linguas Diſcipulorum , ut proferrent ſermones alienis idiomatibus , neſcientes quid dicerent , & non potiùs illuſtravit eorum mentes , accenditque voluntates , ut ſcientes ac intelligentes & volentes linguis loquerentur ? Judæorum aliqui Apoſtolos ebrios putarunt, Salmaſius facit eos Dæmoniacos . Sciat ergo, ſi vult , Dæmonem Donum Linguarum nec tranſeunter imprimere poſſe ; at Spiritus Sanctus poteſt , prout vult , illud largiri, tum per modum tranſeuntis,tum etiam per modum habitus permanentis; eum , qui priùs rudis erat ac imperitus, repentè omnium linguarum ſcientia replendo . Et hoc modo cum Apoſtolis & aliis in Die Pentecoſtes ſe geſſit , eos omnium linguarum ſcientiâ imbuit . Et quia hoc non pro una tantùm die eis neceſſarium erat, ſed pro toto tempore, quo omnibus Nationibus promulgaturi erant Evangelium , ideò non tranſeunter ſed permanenter hoc Donum eis largitus fuit , & ſuper ipſos ſedere fecit .

XLIX. Quod verò ſecundò opponit , Apoſtolos eguiſſe Interpretibus , ut Petrum Marco , Paulum Tito , aliquam habet difficultatem. Vulgata enim ſententia Sanctorum Patrum Irenæi , Melitonis , Clementis Alexandrini , Hieronymi, eſt , Sanctum Marcum fuiſſe Interpretem S. Petri , & Titum Interpretem S. Pauli : imò Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum pag. mihi 764. dicit , Marco Alexandriæ relicto Glauciam fuiſſe S. Petri Interpretem . Paulus etiam 2. Cor. 2. v. 12. ait : *Cùm veniſſem Troadem propter Evangelium Chriſti , & oſtium mihi apertum eſſet in Domino ; non habui requiem ſpiritui meo , quòd non invenerim Titum fratrem meum ; ſed valefaciens eis profectus ſum in Macedoniam* . Quæ exponens S. Hieron. Epiſt. ad Hedibiam q.11. *Cùmque* , inquit , *haberet ſcientiam Sanctarum Scripturarum & Sermonis diverſarumque linguarum Gratiam poſſideret , unde & ipſe gloriatur in Domino , & dicit* ,, Gratias ago Deo meo , quòd

omnium veſtrûm linguis magis loquor „ *Divinorum ſenſuum majeſtatem digno non poterat Græci eloquii explicare ſermone. Habebat ergo Titum Interpretem, ſicut & Beatus Petrus Marcum, cujus Evangelium Petro narrante, & illo ſcribente, compoſitum eſt. Denique & duæ Epiſtolæ, quæ feruntur Petri, ſtylo inter ſe & charactere diſcrepant, ſtructuráque verborum. Ex quo intelligimus, pro neceſſitate rerum diverſis eum uſum Interpretibus. Ergo & Paulus Apoſtolus contriſtatur, quia prædicationis ſuæ in præſentiarum fiſtulam organumque, per quod Chriſto caneret, non invenerat.* Hæc Hieronymus, quæ difficultatem augere videntur.

L. Sed hæc Salmaſio non favent; tum quia ipſe ab ignorantia Græci ſermonis excipit Paulum, quem dicit familiarem habuiſſe, ſicut Syriacum. Hieronymus autem etiam Græci ſermonis dat Paulo Interpretem Titum; tum quia Hieronymus dicit, quòd Paulus habebat Scientiam, & diverſarum linguarum Gratiam poſſidebat; ergo Gratiam linguarum permanenter habebat.

Dicunt igitur aliqui, in Apoſtolis permanſiſſe quidem Donum Linguarum, ut omnium haberent notitiam, & poſſent omnibus loqui, ſed defeciſſe illis ornatum & elegantiam Sermonis, & ad hanc Interpretibus indiguiſſe: & hic videtur ſenſus eſſe Hieronymi. Cæterùm hæc reſponſio multis non placet; nam Donum Dei facit imperfectum, dum linguarum peritiam, quam Dei Dono acceperunt Apoſtoli, facit deſtitutam ornatu & elegantiâ, quæ humanâ induſtriâ naturaliter comparatur; cùm tamen certum ſit, ea, quæ Dei dono habentur, longè perfectiora eſſe iis, quæ humanâ induſtriâ acquiruntur. Scripſerunt quidem Apoſtoli ſermone ſimplici & inculto, non quia ſtylo ornato & eleganti ſcribere neſcirent, ſed quia captui omnium etiam rudium ſe accommodare voluerunt, humanam Sapientiam confundentes exemplo Chriſti, qui ſermones ſuos Parabolis ſimplicibus & ſtylo demiſſo conficiebat.

LI. Meliùs ergo dicunt alii, duabus de Cauſis Apoſtolos adhibuiſſe Interpretes. Prima erat, quando loquentibus Apoſtolis (exempli gratia) ad Græcos, inter audientes erant alii, qui Græci ſermonis eſſent ignari: tunc enim per Interpretes eis ſatisfaciendum erat. Vel cùm difficilia iidem Apoſtoli loquebantur: tunc enim officium erat Interpretis alta & obſcura myſteria, quæ ab Apoſtolis fundebantur, plano ac ſimplici, atque ad captum ſimplicium, modo explanare. Hæc enim utpotè *Interpretatio Sermonum*, cum eſset Gratia à Dono Linguarum diſtincta Interpretibus relinquebatur. Altera cauſa erat Epiſtolarum

Apo-

Apoſtolicarum Interpretatio. Cùm enim Apoſtoli ad unam vel alteram Eccleſiam particularem mitterent Epiſtolas, operâ Interpretum omnibus Eccleſiis reddebantur communes. Et hoc eſt, quod dicit Hieronymus de duabus Epiſtolis Petri à diverſis Interpretibus in univerſam Eccleſiam ſparſis, & Clemens Alexandrinus de Epiſtola ad Hebræos, quam, à Paulo Hebraicè ſcriptam, Græcè reddidit vel Barnabas vel Lucas.

LII. Hanc rem tractat S. Thomas in 2. ad Cor. cap. 2. Lect. 3. ubi de Paulo, qui cum veniſſet Troadem, nec ibi inveniſset Titum, irrequietus omiſit ibi prædicare, & tranſiit in Macedoniam, dicit, quòd hoc duplici de cauſa potuit contingere: *Una cauſa eſt, quòd licèt Apoſtolus ſciret omnes linguas, ita ut diceret* „ Gratias ago Deo meo, quòd omnium veſtrum linguâ loquor „ *Tamen magis expeditus & edoctus erat in lingua Hebræa, quam in Græca, Titus autem magis in Græca: ideò volebat eum habere præſentem, ut prædicaret in Troade; & quia erat abſens, nam Corinthii detinuerant eum, dicit*, „ non habui requiem ſpiritui meo „ *Sed quia Dona Dei non ſunt imperfecta, & Donum Linguarum fuit Apoſtolis ſpecialiter collatum ad prædicandum per totum Mundum ... ideò alia cauſa eſt melior, quæ eſt, quia Apoſtolo imminebant in Troade multa facienda: nam ex una parte imminebat ei prædicare his, qui parati erant recipere Chriſtum per Fidem: ex alia parte imminebat ei reſiſtere adverſariis, qui impediebant. Et ideò quia ipſe non poterat ſolus iſta facere, anguſtiabatur de abſentia Titi, qui inſtitiſſet prædicationi & converſioni bonorum, & Apoſtolus reſtitiſſet Adverſariis* &c. Hæc S. Thomæ reſponſio plana eſt.

LIII. Ex dictis manet confutatus etiam Eraſmus, qui in eodem errore, & eiſdem rationibus Salmaſio præivit, dum in Annotat. ad cap. 10. Act. Apoſt. dicit, non oportuiſſe, Donum Linguarum in Apoſtolis eſſe perpetuum, ſed ſatis fuiſſe, ut adeſſet, quando oportebat, ſicut nec ſemper excitabant mortuos, nec ſemper ſanabant ægrotos. Potuiſſe autem tractu temporis omnes linguas didiciſſe, cùm continuò apud Gentes, quibus linguæ erant propriæ, converſati fuerint. Uno verbo; dicit Linguarum Donum Apoſtolis permanenter non adfuiſſe. Sed hoc jam refutatum eſt. Quia verò alium addit errorem dicens, quòd Apoſtoli *Homines erant, quædam ignorabant, in nonnullis errabant*; idcircò ſpecialiter refutandus eſt: qui tamen novus non eſt, ſed antiquus: dicebant enim quidam (apud S. Hieron. Præfat. in Epiſt. ad Philemonem) *Non ſemper Apoſtolum, nec omnia Chriſto in ſe loquente dixiſſe: quia nec humana imbecillitas unum tenorem Sancti Spiritus ferre potuiſſet, nec hujus corpuſculi neceſ-*

ſitates ſub præſentia Domini complerentur, velut diſponere prandium, cibum capere &c., & utebantur exemplo Prophetæ, *qui poſt expletum vaticinium, rursùm in ſemet revertens, homo communis fieret è Propheta*. Et ex hoc inferebant, Epiſtolam ad Philemonem, cùm nihil contineat, quod ædificare nos poſſit, ſcriptam eſſe ſpiritu hominis, non Dei.

LIV. Hac in re, ſi ſermo ſit de iis, quæ ad hominum communem vitam & converſationem ſpectant, nec ego contendam, omnia, quæ Apoſtoli dixerunt aut fecerunt, dixiſſe aut feciſſe ex ſpeciali afflatu Spiritus Sancti; ad hæc enim eis Spiritus Sanctus non erat eis datus. Si tamen loquamur de iis, quæ dicebant aut faciebant ex vi ſuæ Miſſionis, ſpectantia ad gloriam Dei Prædicationem Evangelii & Doctrinam Veritatis, dico, eos hæc ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus dixiſſe aut feciſſe, ita ut in his nec ignorantiâ, nec errore decipi poſſent; ſic enim erant Dei nuntii ac teſtes Veritatis, eiſque Spiritus Sanctus ſemper ac permanenter aderat, non ut ſemper agerent, ſed ut quoties eos agere oporteret, rectè ac ſine errore agerent. Hoc fuit ſingulare Donum, quod in Die Pentecoſtes juxta Chriſti promiſſum per illapſum Spiritus Sancti Apoſtoli Sacrique Scriptores acceperunt. Sic enim dixerat Joan. 14. v.26. *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in Nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Cap.16. v.3. *Cum venerit Spiritus ille Veritatis, docebit vos omnem Veritatem; non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur & annuntiabit vobis*. Et ne quis crederet, eos ſolùm ad tempus Spiritum Sanctum habituros, cap.14. v.16. dixit: *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*. Faceſſat ergo Eraſmus dicens, Apoſtolos poſt acceptum Spiritum Sanctum quædam ignoraſſe, & in aliquos errores fuiſſe prolapſos,

LV. De numero Linguarum, quarum notitiâ in die Pentecoſtes imbuti fuere Diſcipuli, nil certi ſtatui poteſt. Fatentur quidem omnes, ante Babelicæ Turris poſt generale Diluvium ædificationem unam fuiſſe omnium linguam, juxta illud Geneſ.11. v.1. *Erat autem terra labii unius & ſermonum eorumdem*; & inſuper in pœnam ſuperbi illius conatus, Deum linguam, quæ erat una, diviſiſſe in plures: ita enim dicto cap. v.7. inducitur Deus dicens: *Deſcendamus & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui*. Sed cùm Scriptura non dicat, in quot linguas Deus diviſerit homines, res in ambiguo eſt. Plerique Veteres linguarum numerum à numero Prin-

ci-

cipum familiarum à tribus filiis Noe prognatorum, inter quos Deus diviſit terram, deſumunt. Nam factâ linguarum diviſione ſtatim ſubditur v.8. *Atque ita diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas terras ... & confuſum eſt labium univerſæ terræ, & inde diſperſit eos Dominus ſuper faciem cunctarum regionum*. Sed quot fuerint Principes familiarum, inter quos diviſa fuit unâ cum lingua univerſa terra, controvertitur. Qui enim Hebræo Textui, & Vulgatæ adhærent, Septuaginta tantummodo Principes familiarum numerant. Qui verò Verſionem LXX. Interpretum in pretio habent, recenſent Septuaginta duos, & totidem linguas numerant.

Origenes tamen Homil.11. in Numeros, Targum Hieroſol., & alii Rabbini putarunt, varias linguas inventum fuiſse Angelorum, qui Provinciis, quibus præſident, ſuam cuique linguam tradiderunt. Solum primitivum ſermonem Adamo à Deo datum apud Hebræos ſervatum eſse, Hebræi enim nullius Angeli tutelæ crediti, Dei ſolius portio remanſerunt. Sed hæc tanti ponderis non ſunt, ut aſsenſum jure exigant. Neque enim certum eſt, confuſionis linguarum pœnam fuiſse omnibus communem & ita generalem, ut nec in variis familiis regione finitimis unicus idemque ſermo fuerit; maximè cùm certum non ſit, omnia familiarum capita in ædificationem Babelicæ Turris conſenſiſse. Nihilominùs in Septuaginta & ultra ſpecies linguas fuiſse diviſas, ſentiunt Veteres. Clemens Alexandrinus lib.1. Stromat. ſeptuaginta quinque ponit, S. Epiphanius lib.1. adversùs Hæreſ. §.5., & hæreſi 39., quæ eſt Sethianorum Septuaginta duas admittit his verbis: *Quo tempore Babylon in Aſſyria ab iiſdem illis extructa, qui & Turrim condiderunt, erant homines fermè LXXII., Stirpium Auctores & Capita: nimirùm ex Chami progenie XXII. E genere Sem XXXII. E Japheti verò ſtirpe XXV., cùm Turris illa cum Babylone conderetur. Ab his in univerſum Orbem Nationes omnes & linguæ diſſipatæ ſunt. Poſtquam Septuaginta illi duo, qui Turrim moliebantur, confuſis linguis hùc illùcque diſperſi ſunt, & pro una, quam callebant, alius aliam ex afflatu Dei & voluntate ſortitus eſt. Ex quo ad hanc uſque diem linguarum omnis conflata varietas*. S. Auguſtinus lib.16. de Civit. Dei cap. 3. additis Philiſtæis numerat Populos 73. Verùm ne excedat ſolemnem illum numerum 72. excludit è Catalogo Phalegum, quia ejuſdem Gentis & linguæ cum patre Heber: atque cap.6. concludit: *Ex illis igitur tribus hominibus Noe filiis Septuaginta tres, vel potiùs, ut ratio declaratura eſt, Septuaginta duæ Gentes, totidemque linguæ per terras eſſe cœperunt*,

runt, quæ creſcendo & inſulas impleverunt. Auctus eſt autem numerus & Gentium multò ampliùs quàm linguarum. Conſentiunt S. Hieronymus in cap.26. Matth., Auctor lib. de Vocat. Gentium inter opera S. Proſperi lib.2. cap.4. & alii: S. Pacianus tamen Epiſcopus Barcinonenſis Epiſt.2. ad Sympronianum linguas ad centum viginti extendit. Quid autem ſentiendum pro veritate ſit, in hoc diſſenſu ſtatui nequit.

LVI. Matrices tamen aliquas & primigenias linguas ex illa diviſione ſupereſſe, nemo dubitat. Sed quænam illæ ſint, non eſt adeò exploratum; nam alii quinque, alii communiùs ſeptem recenſent: *Hebraicam*, *Græcam*, *Latinam*, *Sclavonicam*, *Teutonicam*, *Tartaram*, *Sinicam*, quibus Natalis Alexandre in Hiſt. Vet. Teſt. Diſſert. 5. Propoſit.2. n.9. dubitat, an addenda ſit: *Perſica*. Hebraicæ linguæ *Chaldæa Syriaca Chananæa Punica Arabica Armena Æthiopica* ſurculi eſse creduntur. Latinæ *Italica Gallica Hiſpanica Luſitana*. Ex Græca *Attica Jonica Eolica Phrygia* &c. natæ ſunt: ex Theutonica *Vulgaris Germanica*, *Belgica*, *Danica*, *Svecica*, *Weſtphalica* derivantur, ſicut & *Anglica*. Ex Sclavonica linguam ſuam traxerunt *Dalmatæ Moſchovitæ Croatæ Poloni Bohemi Lithuani*. Tartarorum Lingua *Turcicam* aliaſque peperit. Sinica intra ſuam Gentem fortè ſeſe continuit. Hæc quamvis hujus loci non ſint, ad ſtudioſi tamen notitiam pervenire volui.

LVII. Cæterùm quod ad rem præſentem attinet, non eſt dubitandum, quotquot ſint linguæ è Babelica diviſione exortæ, ſive matrices & primigeniæ, ſive aliæ ex iſtis originem ſuam trahentes, omnium earum plenam notitiam, expeditumque ſermonem Apoſtolos in Die Pentecoſtes accepiſse. Cùm enim à Spiritu Sancto mitterentur ad annuntiandum Evangelium omnibus univerſi Orbis Nationibus, neceſse erat, ut omnium omninò linguis eſsent inſtructi, ut apud omnes miniſterium ſuum exercere poſsent. Ita factum fuiſse legimus Die Pentecoſtes coram omnibus diverſarum linguarum Nationibus, quæ tunc Hieroſolymis erant, quarum unaquæque audiebat illos linguâ ſuâ loquentes: cur non debuit hoc idem fieri coram aliis, ad quas poſtea mittendi erant?

CA-

CAPUT XL.

De Morte Deiparæ Virginis.

§. I.

Verè mortuam eſſe.

I. Poſt deſcenſum Spiritus Sancti, cui Deiparam Virginem, unà cum Diſcipulis in Cœnaculo adfuiſse ac ejuſdem Donis & Gratiis imbutam fuiſse, ſupra oſtendimus, adeò altum de ea eſt apud Sacros Scriptores ſilentium, ut ejus pro reliquo vitæ ſuæ tempore geſta, quamvis memoratu digniſſima, manſerint nobis obſcura. Lucas ipſe, qui plus aliis de ea ſcripſit, poſtquam Act.1. eam nobis in Cœnaculo cum aliis perſeverantem in Oratione indicavit, totus in geſtis Apoſtolorum enarrandis, & præcipuè Pauli, intentus, nec verbulum ampliùs de ea facit. Cumque nec Veteres quidquam de hoc ad nos traduxerint, ſolum cogitare ac certum credere poſsumus, Deiparam Virginem reliquum vitæ tempus in altiſſima Divinorum contemplatione cœleſtibus Donis in dies auctam peregiſſe. Quod hic in quæſtionem vocari poteſt ſolet eſſe. Primò, an Sanctiſſima Deipara re ipſa mortua ſit? Secundò ubinam, Epheſine an Jeroſolymis? Tertiò, quo anno tum vitæ ſuæ tum Chriſti? Quartò, quo genere mortis, martyrione an placido tranſitu? Quintò à quibus, & quo apparatu curatum funus? De ejus Reſurrectione & Aſſumtione etiam corporali in cœlum Cap. ſequenti agetur.

II. Primus, qui de Morte B. Virginis viſus eſt dubitaſſe, fuit S. Epiphanius hæreſ. 78. his verbis: *Quærant veſtigia Scripturarum, & invenient utique neque Mortem Mariæ, neque an mortua ſit, an non mortua; neque an ſepulta ſit, an non ſepulta . . . Non omnino definio hoc, & non dico, quòd immortalis manſit; ſed neque affirmo, quòd mortua ſit. Excellit Scriptura mentem humanam, & in ſuſpenſo reliquit propter vas pretioſum & excellentiſſimum, ut ne quis ad ſuſpicionem veniat carnalium de ipſa rerum. Sive igitur mortua eſt, non novimus, ſive ſepulta eſt, non copulata fuit carni. Abſit.*

Salvâ tamen S. Epiphanio debitâ reverentiâ, non rectè concluditur, ex eo quòd Scriptura nihil de Morte B. Virginis ſpecialiter dicat, dubitari poſſe, an mortua ſit, nec ne. Eam enim,

ut

ut cæteros homines naturali morti fuiſſe obnoxiam, ſatis loquitur Scriptura generali Lege, tum Pſalm.88. v.49. *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Et ad Hebræos 9. v.27. *Statutum eſt hominibus ſemel mori*. Nec mirum, quòd B. Virginis Mortem Scriptura non narret. Ubi enim eam narrare debuiſset? In Evangeliis? At iſta Chriſti dumtaxat hiſtoriam continent, uſque ad ejus in cœlum Aſcenſum. An in Actorum libro commemoranda fuiſset? At iſta Acta Apoſtol. dumtaxat complectitur, omnium quidem uſque ad diſperſionem, ſpecialiter tamen Petri & Pauli uſque ad annum circiter Neronis quartum, Chriſti verò 63. Alia verò Apoſtolorum ſcripta Doctrinam continent Evangelicam, non hiſtoriam.

III. Deiparæ Mortem, quam Epiphanius in dubium revocavit, quidam, quos recenſet Franciſcus Macedo tomo 1. de Clavibus Petri lib.4. parte 2. de peccato orig. ſect.3. apertè negarunt. Alii quidem, quòd mors inducta eſt in pœnam peccati originalis Rom.5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*: & cap.6. v.23. *Stipendia peccati mors*. Cùm ergo B.Virgo ab omni peccato, etiam originali fuerit præſervata, ut modò piè ſentitur in Eccleſia, fuit etiam, inquiunt, immunis ac præſervata à morte.

Alii aliâ ratione moti dicunt, quòd ſicut Enoch, Elias, & fortè etiam Joannes Evangeliſta, mortui non ſunt, ſed vivi in ſecretum locum tranſlati: ita decuit, ut B. Virgo hoc privilegio donaretur.

IV. Malè tamen argumentantur utrique. Primi enim advertere debuiſsent, hominem duplici titulo eſse mortalem, nimirùm & ex conditione ſuæ naturæ, quæ utpotè compoſita ex contrariis, tandem corruptioni obnoxia eſse debet; & inſuper quia per Adæ peccatum amiſit in pœnam privilegium juſtitiæ originalis, quo impediebatur, ne de facto moreretur. Poſito ergo, quòd B. Virgo fuerit ab originali peccato præſervata, adhuc morti obnoxia eſse debuit, non quidem, ut peccati pœna eſt, ſed ut eſt naturæ humanæ conditio. Nam ſi Chriſtus, quem ab originali peccato fuiſse immunem Fides Catholica docet, nativæ hominis conditioni relictus, progreſſu temporis mutationes ætatum, & mortem ipſam ſeneſcendo ſubiiſset, quia carnem noſtræ ſimilem, quamvis ſine peccato, habere voluit: Quare Auguſtinus lib.2. de peccat. meritis & remiſs. cap.29., poſtquam dixit, in Chriſto non fuiſse ignorantiam, nec in membris ejus ullam repugnantiam legi mentis, ſubjungit: *Sed quia erat*

Digitized by Google

erat in eo ſimilitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipſa exorſus infantia, ut ad mortem videatur etiam ſeneſcendo illa caro pervenire potuiſſe, niſi juvenis fuiſſet occiſus. Quæ tamen mors in carne peccati inobedientiæ debita redditur, in ſimilitudine autem carnis peccati obedientiæ voluntate ſuſcepta eſt. Negari igitur non poteſt, quòd carnem mortalem ſumſerit ex Matre, cui licèt mors ex inobedientia debita non eſset, debita tamen eſset ex conditione naturæ. Et quidem congrua ratio fuit. Nam ſicut Chriſtus ipſe carnem paſſibilem & mortalem habere voluit, ut præcluderet errorem eorum, qui dicturi erant, eum non habuiſse veram carnem, vel eam non ex homine, ſed è cœlo attuliſse: ita voluit in Matre ſua carnem eſse mortalem, ut præveniret errorem eorum, qui B. Virgini carnem cœleſtem, & Angelicæ naturæ affinxerunt. De quo S. Thom. in 3. diſt. 4. q. 2. ar. 1. in corp.

V. Pejùs arguunt, qui B. Virginem mortuam non fuiſse putant, exemplis Enoch & Eliæ ac Joannis Evangeliſtæ. Nam quoad Enoch & Eliam, iſti in cœleſtem patriam vivi in corpore translati non ſunt, ſed in terrenum aliquem locum mortalibus impervium & ignotum, quem ob ſui amœnitatem Paradiſum dicunt. De hoc egi tom. 6. in 1. p. q 2. de Paradiſo terreſtri dub. 4. Deinde Enoch & Elias, eſtò nondum mortui, mortem tamen aliquando ſubituri ſunt tempore Antichriſti, ut oſtendi tom. 16. Theol. qu. 1. de Antichriſto dub 6., ubi etiam num. 13. S. Joannem Evangeliſtam jam obiiſse demonſtravi, qui tamen etiamſi adhuc viveret, eſset tamen tandem moriturus. Quare exempla iſta ad rem non ſunt.

VI. Cæterùm B. Virginem mortem ſubiiſse, quamvis primæ ætatis Scriptores ſilentio prætericrint, hoc tamen Scriptores mediæ ætatis ut certum ſuppoſuere, Germanus Epiſc. Conſtantinop. Orat. de Obdormit. Virginis: *Semper*, inquit, *vivit tuus Spiritus*, *& Caro tua in ſepulchro corruptionem non ſuſtiunit*. Et S. Joan. Damaſcenus hoc idem fatetur tribus in Homiliis, quas edidit de Dormitione B. Mariæ Virginis, & in prima ejus Mortem hiſce verbis celebrat: *Oh quomodo vitæ fons ad vitam media morte trahitur! Oh quomodo quæ pariendo naturæ leges exceſſerat, nunc ejus legibus cedit, & corpus immaculatum morti ſubjicitur! Oportet enim hoc mortali poſito, induere incorruptionem, quandoquidem naturæ Dominus mortis periculum facere non recuſavit.* Hanc fuiſse perpetuam Eccleſiæ Traditionem, indicat in ſuo Sacramentario S. Gregorius, dum ad Miſsam de Die Aſsumtionis B. Virginis hæc habet: *Veneranda nobis Domine hujus eſt diei Feſti-*

ſtivitas .... in qua Sancta Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem &c. Et infra: *Subveniat Domine plebi tuæ Dei Genitricis oratio, quam etſi pro conditione carnis migraſſe cognoſcimus, in cœleſti gloria apud te pro nobis orare ſentiamus*: quæ verba adhuc Eccleſia recitat in ſecreta, & collecta ejuſdem diei. Nil igitur eſt, cur Beatam Virginem reverâ mortuam eſse dubitemus.

§. II.

Locus Mortis.

VII. De Loco, in quo B. Virgo diem claſuerit extremum, controvertitur. Epheſi mortuam eſse, volunt multi, Hieroſolymis alii. Utrique tamen fundamentis non multum firmis innituntur, adeò ut eis in lance poſitis (ut mihi contigit) ſuſpenſus quiſque maneat, nec in quam partem tutiùs propendere poſſit, deprehendat. Quod ex eo maximè oritur, quia documenta, quæ hinc inde congeruntur, vel apocrypha ſunt, vel ſaltem ſuſpecta. Liber enim, qui appellatur *Tranſitus ſeu Aſſumtio B. Mariæ* à Gelaſio I. in Concilio Romano ad Apocrypha amandatus fuit. Sermo item de Aſsumtione ab aliquibus Hieronymo tributus, ab aliis Sophronio ejus amico affictus, quamquam ſolùm poſt obortas Neſtorianam & Eutychianam hæreſes videatur ſcriptus. Ejuſdem etiam argumenti ſermones, Athanaſii & Auguſtini nomen præferentes, ſpurii ab eruditis judicantur. Quæ ex Dionyſio lib. de Divinis Nominibus afferuntur ſuſpecta non paucis ſunt, adeò ut Poſsevinus tom. 2. Apparatus Sacri in *Maria Virgine dicat*: *quæ dicuntur de Morte & Vita Mariæ*: *e Nicephoro & Damaſceno de Dormitione ejus*: *ex Athanaſio de Aſſumtione* (*ubi item agitur de Apoſtolis ad Mortem illius convolantibus*) *ex Dionyſio de Divinis Nominibus*, *ex Hieronymo de Tranſitu Mariæ*, *& de pleriſque hujuſmodi*, *ea probat Baronius Cardinalis*, *eſſe aut commenta aut apocrypha mera*: *neque verò Athanaſii neque Hieronymi unquam illa ſcripta fuiſſe*. Si ergo hæc, in quibus ſpecialiùs de B. Virginis Morte & circumſtantiis Mortis, tanquam apocrypha & ſpuria habenda ſunt, ac proinde auctoritate carentia: quò confugiemus, ut aliquid hac de re certi, aut probabiliùs ſtatuamus? Hoc ego faciam: utriuſque rationes ac momenta afferam, & cuique legenti judicium ac electionem relinquam.

VIII. Qui ergo B. Virginem Hieroſolymis mortuam putant, fundantur in ſupra relatis ſermonibus, ſeu Epiſt. ad Paulam & Eu-

Euſtochium, ubi Pſeudo-Hieron. hæc habet: *Monſtratur autem ſepulchrum ejus cernentibus nobis uſque ad præſens in Vallis Joſaphat medio, quæ Vallis eſt inter Montem Sion & Montem Oliveti poſita, quam & tu ò Paula oculis adſpexiſti; ubi in ejus honore fabricata eſt Eccleſia* &c. Mirum tamen & incredibile eſt, quòd verus Hieronymus, qui magnam vitæ partem Hieroſolymis egit, & ſacra Palæſtinæ Loca diligenter deſcripſit, nihil unquam de B. Virginis tumulo vel obiter inſinuarit. Idem apertè ſupponit Damaſcenus Homiliis de Dormitione B. Virginis, præſertim ſecunda n.18. Sed cum hæc ſe accepiſſe dicat ex Euthymiana hiſtoria, quæ ſuſpecta eſt, & ex Dionyſio Areopag. lib. de Divinis Nomin. cap.3., quem Areopagitæ non eſſe multi putant, ideò fidem indubiam non faciunt. Ex Euthymiana ergo hiſtoria refert ibi Damaſcenus, quod Marciano & Pulcheria de retegendo, ſicubi foret, Virginis corpore piè ſollicitis, Juvenali Hieroſolymorum Archiepiſcopo accito, dicentibus, audivimus, Hieroſolymis primariam Dei Genitricis Eccleſiam eſſe in eo loco, in quo Gethſemani vocatur, ubi ejus corpus, quod vitam tulit, conditum eſt. Volumus ergo has reliquias afferri, ut Imperatrici huic Civitati præſidio ſint (extruxerat enim Pulcheria Conſtantinopoli S. Mariæ Eccleſiam in *Blachernis*.) Quibus Juvenalis reſpondit, Loculum quidem Gethſemani eſſe, in quo S. Virginis corpus repoſitum fuit, ſed vacuum: nam ut ex Traditione acceperat, cum poſt tres dies à S. Virginis Morte, qui aderant Apoſtoli, tumulum aperuiſſent, corpus tamen non invenerunt, ſed ſola lintea miro odore flagrantia. His auditis, Imperatores à Juvenali petierunt ſanctum illum Loculum unâ cum veſtibus, quæ in eo poſitæ erant. Et ad ſe ſigillo munitum tranſmiſſum, in Eccleſia S. Virginis in Blachernis ſita depoſuerunt. Hæc Damaſcenus ex Euthymiaca hiſtoria, quæ multis difficultatem ingerunt. Primò, quia de hoc tumulo Hieroſolymis exiſtente nihil unquam auditum fuit ante ſeculum quintum, nimirùm ante annum 451. Secundò, quia Euthymiacæ hiſtoriæ auctor, quicumque ſit, ſicut & Auctor lib. de Divinis Nominibus, recentiores Marciano & Pulcheriâ à non paucis putantur. Tertiò, quia dato, quòd Juvenalis ita reſponderit; tantæ auctoritatis non eſt, ut fidem indubiam faciat, cum lubricæ fidei virum, turbarum in latrocinio Epheſino incentorem, variorum criminum reum & falſatorem inſtrumentorum manifeſtum eum traducant S.Cyrillus Alexandrinus & S.Leo Rom. Pont., qui etiam Epiſt.72. modò 110., ad eundem Juvenalem poſtea ſcriptâ, omnia Loca ſacra, quæ Hieroſolymis venerabantur, ipſi enumerat, & de Sepul-

Digitized by Google

pulchro B. Virginis nec verbum facit. Hæc præcipua ſunt, quibus adducti B. Virginem Hieroſolymis mortuam eſſe fateri recuſant. Ego tamen advertens, hoc à Damaſceno conſtanter aſſeri, eique Andream Cretenſem, Nicephorum Callixtum, alioſque mediæ ætatis Scriptores adhærere, ſicut nec apertè propter infra dicenda ſubſcribo, ita nec apertè audeo refragari.

IX. Qui ergo B. Virginem Hieroſolymis mortuam putant, dicunt, eam mortuam fuiſſe in Monte Sion in ædibus matris Joannis Marci, ibi enim Chriſtus Euchariſtiam inſtituiſſe fertur, ibi reſurgens præſente Thomâ apparuiſſe Diſcipulis, ibi apparuiſſe Spiritus Sanctus in Die Pentecoſtes, adeò ut dictæ ædes forent Apoſtolorum ac Diſcipulorum diverſorium. Hìc, ajunt, in ſanctis meditationibus reliquum vitæ ſuæ tempus B. Virgo tranſegit, Joanne Evangeliſta, cui eam Jeſus moriens commendaverat, quæ neceſſe erant ei ſubminiſtrante: hìc tandem, amore potiùs quàm morbo conſumta, mortalem hanc vitam in immortalem lectulo decumbens commutavit. Hæc ex Damaſceno Homil. 2. citata n. 4. His inter alios ex parte ſubſcribit Guerricus Abbas S. Bernardi diſcipulus ſerm. 2. de Aſſumt. dicens, quòd B. Virgo *ob hoc ipſum creditur in Valle Joſaphat commorata* (*ubi & ſepulchrum ejus monſtratur, ut ait Beatus Hieronymus*) *in Eccleſia miro lapideo fabricata tabulatu, ne ſcilicet à ſanctis Locis longiùs recederet; ſed ſæpiùs ea inviſens, licèt omnia memoriâ teneret, formam tamen geſtorum, velut corporaliter in ipſis effigiatam locis, dulciùs amplecteretur, ut vel ſic ſuum aliqualiter amorem ſolaretur.*

X. Qui verò B. Virginem Epheſi mortuam fuiſſe contendunt, ibique ſepultam, pro ſe afferunt teſtimonium Synodi Œcumenicæ Epheſinæ anno 431., quæ in Epiſtola Synodica ad Clerum & Populum Conſtantinopolitanum ſcribit, Neſtorium fuiſſe damnatum in Epheſiorum urbe, *in qua Joannes Theologus, & Deipara Virgo Sancta Maria*, nimirùm *ſunt*, quod ad elegantiam Græci ac Latini ſermonis dicunt fuiſſe omiſſum. Cùm ergo nec Joannes nec S. Maria eſſent tunc Epheſi viventes, indicare voluit Synodus, eſſe ibi utique inhumatos: quòd ſi de B. Joanne omnes conſentiunt, cur non idem de Sancta Virgine dicendum erit?

Dicunt tamen qui oppoſitum autumant, mutilam eſſe Synodi phraſim, & ſupplendum, non ly *ſunt*, ſed *aliquando habitarunt*, aut *ſacras Ædes habent;* aut *magno in honore ſunt*. Verùm aſſentirer, ſi hanc textus mutilationem aliquo emendatiori Codice oſtenderent: quod cùm non faciant, videtur potiùs exiſti-

ſtimandum verbum *ſunt* ſubintelligi, & ad elegantiam ſermonis fuiſse omiſsum; nec tantùm Synodi Patres ſignificare voluiſse, ibi *habitaſſe*, ibi *ſacram Ædem habere* aut *in honore eſſe*, ſed ibi eſse ſepultos, quemadmodum, ut dicebam, Joannem ibi eſse ſepultum, alia ejuſdem Synodi monumenta teſtantur. Cœleſtinus enim I. Epiſt. ad Epheſinos Patres datâ hortatur, ut Joannis doctrinæ firmiter hæreant, *cujus reliquias præſentes venerantur*. Et Orientales, qui eò convenerant, Epiſcopi conqueruntur, ſe retardatos fuiſse, ne Martyrum, ac ipſius Joannis ſepulchra venerarentur. Dato etiam, Concilium illis verbis intelligere voluiſse, Joannem & Sanctam Mariam illic ſacram Ædem habere, adhuc evincitur illic eorum ſepulchra extitiſse: iis enim temporibus non conſueverant erigi Memoriæ Martyrum aut Sanctorum, niſi ubi eorum corpora, reliquiæ, aut ſaltem ſepulchra eſsent.

Benè quidem. Sed cur Cœleſtinus, qui memorat Epheſinis Patribus, reliquias Joannis eos habere præſentes, non dicit etiam eos habere præſens ſepulchrum Virginis? Cur Epheſini Patres, qui dolent, ſe retardari à venerandis ſepulchris Martyrum, & Joannis Evangeliſtæ, non dolent (ut magis debuiſsent) ſe retardari ab oſculando ſepulchro Mariæ Deiparæ, cujus cauſa tunc agebatur, ſi illic erat? Sanè Polycrates Epheſiorum Epiſcopus Epiſt. ad Victorem Romanum Pont., ut refert Euſebius lib. 5. Hiſt. c. 24., ut probet, Traditionem de Paſchate Luna 14. celebrando ortum habuiſse à primis Chriſti Diſcipulis, qui Epheſi aut aliis finitimis partibus vixerunt, & ibi diem clauſerunt extremum, inter multos recenſet non ſolùm Joannem Apoſtolum, qui, ut ait, *apud Epheſium extremum diem obiit*; ſed Philippum Apoſtolum, & duas ejus filias, quæ virgines conſenuerunt: ſed addit: *Alia quoque ejuſdem filia, quæ Spiritu Sancto afflata vixit, & Epheſi requieſcit*. Nihil autem de S. Virgine dicit. Quis autem credet, Polycratem, qui ad confirmandam ſuam Traditionem non ſolos Eccleſiarum Rectores & Apoſtolos, ſed etiam alias Virgines recenſuit, omiſsurum fuiſse B. Virginem, ex qua ſua Traditio ſummum robur accepiſset, ſi revera ipſa Epheſi mortua ac tumulata fuiſset?

Epheſi quidem fuiſse Eccleſiam ſub invocatione B. Mariæ, imò in hac, quæ Eccleſia Magna vocabatur, Synodum Epheſinam coactam fuiſse, teſtis eſt Cyrillus Alexandr. Epiſt. ad quoſdam de Clero Conſtantinop. in Actis ejuſdem Conc. inſerta, ex hoc tamen non certè videtur concludi, in ea ejus ſepulchrum extitiſſe, cùm de hoc nullum afferatur documentum; dato enim, quod

quòd ubicumque erant ſepulchra Martyrum vel eorum reliquiæ, ibi eſſet Eccleſia in eorum memoriam, non tamen è contra inferri poteſt, quòd ubicumque eſſet Eccleſia in eorum memoriam, ibi eſſent eorum ſepulchra aut reliquiæ: alioquin contrariæ opinionis patroni deducerent, B. Virginem mortuam fuiſſe Hieroſolymis, cum ex ſupradictis conentur oſtendere, ibi ſub ejus nomine erectam fuiſſe Eccleſiam in Monte Sion, ibique adeſſe ejus ſepulchrum, ut Juvenalis reſpondit Marciano & Pulcheriæ.

XI. Certè diffiteri non poſſum, B. Virginem ſecutam Joannem, qui eam in ſua officia & obſequia acceperat, aliquando Epheſi moram traxiſſe (Quòd enim ſcribit S. Epiphanius hæreſ.78. *Cùm Joannes in Aſiam inſtituerit profectionem, nuſquam dicit Scriptura, quòd abduxerit ſecum Sacram Virginem, ſed ſimpliciter ſiluit*, non eſt quòd eam abduxiſſe neget; aliàs cæteris Patribus contradiceret, imò & Joanni ipſi in ſuo Evangelio c.19. v.27., ubi cùm Chriſtus è Cruce Mariam Matrem ſuam ei commendans dixiſſet *Ecce Mater tua*, ſubjungit, *& ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſua*: ubi Auguſtinus Tract.119. in Joan. *Suſcepit ergo*, inquit, *eam in ſua*, *non prædia*, *quæ nulla propria poſſidebat*, *ſed officia*, *quæ propriâ diſpenſatione exequenda curabat*, *& quibus diligenter ac reverenter obſequebatur*, ut ait S. Thomas in dictum caput Joan. Lect.4.) & conſequenter in ſuis itineribus eam comitem habuiſſe. Neque movet, quòd Epiphanius dicat Scripturam hoc ſiluiſſe, *ne ad ſtuporem perduceret hominum mentes...*, *ac ne quis ad ſuſpicionem veniret carnalium de ipſa rerum*. Nec enim ſtuporem nec ſuſpicionem ingerere poterat, quòd Joannes Mariam ſecum circumduceret, cùm plerique Apoſtoli, ut habetur 1. Cor. 9. v.5., pias ac religioſas Mulieres ſecum comites, tanquam ſorores, ducerent. Difficultas eſt, an B. Virgo Epheſi ita ſemper manſerit, ut ibi diem ultimum clauſerit, cùm enim Joannes non ibi ſemper moratus fuerit, ſed varia itinera ſuſceperit, præcipuè Hieroſolymam ad Concilium de ſervandis Legalibus anno Chriſti 51.; dubitari poteſt, an Mariam Epheſi ſemper reliquerit, an eam ſecum Hieroſolymam ducens, ibi S. Virgo, ſive jam ætate provecta, ſive Fidelium precibus annuens, ſive amore ea loca inviſendi, in quibus Jeſus Filius tot operatus fuerat myſteria, ibi pro reliquo vitæ ſuæ tempore ſedem fixerit, ibique extremam diem clauſerit. Hæc ergo omnia pius Lector perpendat, & eam, quæ ſibi libuerit, eligat ſententiam: quamquam ex dictis & infra dicendis veriſimiliùs videatur, eam Hieroſolymis obiiſſe: maximè quia

quia hoc etiam ſenſit Urbanus II. ſerm. habito in Concilio Claromontano ann. 1095., dicens, eam in Valle Joſeph fuiſſe ſepultam.

§. III.

Quo ætatis anno mortua ſit, & quo mortis Genere.

XII. Non minùs incertum eſt, quo Anno, ſive Chriſti ſive ætatis ſuæ, B. Virgo terras reliquerit. Varias de hoc referam opiniones, quas noſter Benedictus XIII. recenſet ſer. 96. ex Marianis. Dicit ergo, quòd B. Eliſabeth Iconaugienſis lib. 4. ſuarum Viſionum aſſerit, S. Virginem ſolo anno & quinque menſibus à Chriſti Aſcenſu ſuperſtitem fuiſſe, ideòque quadrageſimo octavo & quinque menſibus ætatis ſuæ anno mortuam eſſe, ſuppoſitâ communiori ſententiâ, quòd Chriſtum anno ætatis ſuæ 15. pepererit, & Chriſtus anno 33. mortuus fuerit. Sed hæc opinio, quamvis aſſeratur revelata, communiter rejicitur; imò opponitur alteri revelationi, quæ aſſeritur facta ab Angelo S. Birgittæ, nimirùm quòd *Aſcendente Filio, Maria in hoc Mundo ad bonorum confortationem, & errantium correctionem, remanere permiſſa eſt. Apoſtolis enim, quæ de Filio perfectè non noverant, revelabat & declarabat.* Hæc tamen ratio videtur pugnare cum dicto Chriſti Joan. 16. v. 13., qui Apoſtolos à Spiritu Sancto promiſit docendos omnem veritatem: *Cum autem venerit ille Spiritus Veritatis docebit vos omnem Veritatem.* Porrò cum jam ſuper Apoſtolos veniſſet Spiritus Sanctus, jam erant ab illo omnem Veritatem edocti juxta promiſsum Chriſti, nihilque eis deerat, de quo à Deipara eſsent edocendi.

Hyppolitus quidam Thebanus, referente S. Epiphanio ſerm. de Deipara apud Baron. ad ann. 48. n. 5., dixit, eam vixiſse annos novem poſt Chriſti Aſcenſum, ac deceſſiſse anno Chriſti quadrageſimo tertio, ætatis veró ſuæ quinquageſimo ſeptimó (ſuppoſito quod annum agens 14. Chriſtum pepererit.

Alii apud Cedrenum volunt, eam ſupervixiſse annos 10., ætate verò 58. obiiſse. Euſebius in Chronico annos 14. ſuperſtitem facit, mortuam verò ætatis anno 62., Evodius annos 11., ætatis verò 59., S. Birgitta annos 15. ſupervixiſse, ætatis verò 63. obiiſse vult, quæ opinio apud pias perſonas obtinuit.

XIII. Epiphanius tamen citato loco, & Cedrenus in Compend. Hiſtor ſentiunt, B. Virginem annis 24. ſupervixiſse, & anno ætatis 72. terram in cœlum commutaſse: unde Cedrenus: Tra-

Tradidit, inquit, *S. Animam Domino ac Filio & Deo ſuo annos nata ſeptuaginta duos: vixit ergo viginti quatuor annos poſt Chriſti in cœlum Aſcenſum*. Hoc S. Antoninus p. 1. hiſt. tit. 6. cap. 3. hiſce verbis exponit: *Dicit Epiphanius, B. Virginem decimo quarto anno ætatis ſuæ Chriſtum concepiſſe, in decimo quinto peperiſſe: triginta tribus annis cum Filio fuiſſe, & poſt Aſcenſionem Filii viginti quatuor ſupervixiſſe, qui numeri ſimul juncti conſtituunt ſeptuaginta duos annos*. Hanc opinionem, ut veriſimilem ſequuntur Baronius ad ann. 48. n. 6. &c., Pelbartus in Stellario lib. 10. p. 5. cap. 1., ex Theologis Suarez 3. p. q. 37. ar. 4. diſp. 21. ſect. 1., ex Interpretibus, Cornelius à Lapide ad cap. 21. v. 17. Act. Apoſtol. his verbis: *Hoc pariter anno Chriſti quinquageſimo octavo, à Paſſione vigeſimo quarto, ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſecundo Virgo Deipara ex Hieruſalem terreſtri conceſſit ad cæleſtem*; cui opinioni ſubſcribit etiam Benedictus XIII. citato loco, qui ex Baronio ad ann. 48. n. 7. obſervat, quòd ſi admittatur, quod Dionyſius Areopagita (ut ſcribit ipſe lib. de Divin. Nomin.) interfuerit funeri, aut etiam morti B. Virginis unà cum Paulo, ac cæteris Apoſtolis, mors ejus ante vix contingere potuit. Nam Paulus Athenis, ubi Dionyſium ad Chriſti Fidem traxit, ante annum Chriſti 52. prædicare non potuit, ex quo fit, quòd B. Virginis mors niſi poſt annum 52. contingere potuerit: cùmque ex S. Luca Act. 21. iter Pauli Hieroſolymam, quo ſecum duxiſse ferunt Dionyſium ante annum Chriſti 58., videatur non potuiſse contingere; fiet, ut anno Chriſti 58., & 72. ætatis ſuæ S. Virgo deceſserit. Sed huic obſervationi refragantur rigidiores Moderni Critici, qui Areopagitæ interventum morti B. Virginis tanquam commentum ex putida fonte (nimirùm libro de Divin. Nomin.) hauſtum aſpernantur. At quidquid ſit, de quo infra dicam: ſi hoc verum eſset, inferretur, B. Virginem Hieroſolymis mortuam eſse, non Epheſi.

XIV. Circa alterum quæſitum, quo genere mortis obierit B. Virgo, non defuere mediæ ætatis Scriptores, ut videre eſt apud Bedam in cap. 2. Lucæ, & Iſidorum lib. de Vita & Morte Sanctorum cap. 68., qui exiſtimarint, B. Virginem gladio tranſfixam, ſeu Martyrio obiiſse, quia Simeon Lucæ 2. v. 35. ei dixit: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Sed advertere debuiſſent, Simeonem non dixiſse, tuum ipſius *Corpus* pertranſibit gladius, ſcilicet materialis, ſed tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ſcilicet ſpiritualis doloris ac mœroris in morte Filii. Quare S. Ambroſius in cap. 2. Lucæ: *Nec littera*, inquit, *nec hiſtoria docet, ex hac vita Mariam corporalis necis paſſione migraſſe*:

non

non enim anima, ſed corpus materiali gladio tranſverberatur. In hæc verba ſuper cap. 2. Lucæ noſter Natalis Alexandre ait, „ B. Virginis animam vis doloris in Chriſti paſſione pertranſi- „ vit, ut plus quàm Martyrem non immeritò prædicemus, in „ qua nimirùm corporeæ paſſionis ſenſum excellerit compaſſio- „ nis affectus. Ut Chriſtus corpore moreretur, fecit caritas, „ qua majorem nemo habuit: ut Maria corde commoreretur, „ fecit & caritas, cui poſt illam ſimilis non fuit. Cogita dolo- „ rem Agar cum Iſmaele puero in deſerto errantis, quæ pane & „ aqua deficientibus, abjectoque filio ſubter arborem, dixit „ *Non videbo morientem puerum*, contentâque voce clamavit & „ flevit. Cogita Sephoram Moyſis uxorem ob filii ſui circum- „ ciſionem, vulnuſque acutiſſimâ petrâ infanti inflictum, gemen- „ tem, & Moyſi dicentem *Sponſus ſanguinum tu mihi es*. Co- „ gita Noemi, mortuo marito filiiſque, ad ſummam pauperta- „ tem redactam, dicentemque amicis mulieribus *Ne vocetis* „ *me Noemi* &c. Cogita Reſpha, quæ filiis ſuis à Gabaonitis in „ monte crucifixis, cilicium ſubſtravit ſibi ſupra petram, ab ini- „ tio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cœlo, & non di- „ miſit aves lacerare eos, per diem neque per noctem. Cogita „ vocem in excelſo auditam lamentationis, luctus, & fletus Ra- „ chel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eos, „ quia non ſunt: & Mariæ dolorem in Paſſione & Morte Filii „ tantò acerbiorem fuiſſe conſidera, quantò major erat vis cari- „ tatis, qua ſuum Deique Filium diligebat Mater Sanctiſſima. Hactenùs Alexandre. Hic ergo fuit gladius, qui animam Mariæ tranſverberavit, eamque doloris & amoris Martyrem fecit. Hoc tamen dolore mortua non fuit ſed ſupervixit, donec caritatis potiùs æſtu, quàm vi morbi conſumta, mortem corporis læta excipiens, corpore & animâ ad Filium ſuum aſſumta fuit, ut dicetur.

§. IV.

De Funere Corporis Beatæ Virginis.

XV. SI in auctoritate habenda eſſent monumenta, quæ ſub ſpecioſis nominibus obtruduntur, nempè Liber de Tranſitu B. Mariæ, Melitonis Epiſcopi Sardenſis auctoris ſecundi ſeculi nomen præferens; & Tractatus ſeu Epiſtolæ Athanaſio, Hieronymo, ſeu Sophronio, & Auguſtino afflictæ, quæ tamen omnia ipſo judice Baronio apocrypha declarata ſunt: multa de

 iis,

iis, quæ poſt Deiparæ Tranſitum contigiſſe feruntur, nobis dicenda eſſent. Certò veriſimillimum eſt, Deum Filium Virginis Tranſitum oſtentis ac prodigiis celebrare voluiſſe, id enim ejus dignitas poſtulabat, quæ inaudito prodigio Mater Dei effecta fuerat. Sed quæ fuerint oſtenta illa, quæ prodigia, ſilentibus tum Scriptura tum probatis Hiſtoricis, aſſerere certò non poſſum. Quia tamen nulla narratio adeò undequaque falſa eſt, quin aliquid veri intermiſceat; unde B. Virginis in cœlum Corpore & Animâ Aſſumtionem, quamvis in præfatis apocryphis narratam, Eccleſia tamen ut veram ſuſcipit & colit; aliqua idcircò ex præfatis libris, ea nec improbans nec approbans, recenſebo.

XVI. Primò ergo Damaſcenus refert Homil. 2. in Dormitionem Deiparæ num. 10. congruum ſibi videri, quòd Virgini Matri jam morituræ Chriſtus ipſe advenerit, ut *Divinis ſuis ac puriſſimis manibus ſanctam incontaminatamque & labis expertem ejus animam ſuſciperet. Atque ipſa quidem, ut à vero non abhorret, dixit: In manus tuas Fili commendo ſpiritum meum*: ac ſubinde Filio ſuo omnes Fideles commendans, *ſpiritum ſuum in Filii manibus depoſuit*. Hinc ſecuti Angelorum cantus, partim præcurrentium, partim comitantium, partim aſſectantium, ac Deiparæ Corpus cingentium. Qui autem adſtabant, cum tremore ac devotione ſacrum Corpus amplexari, deoſculari, ac benedictionem implorare non ceſſabant. Sacro Corpore de more abluto, ſurdis auditum, claudis greſſum, cæcis viſum, infirmis ſanitatem aquæ illius contactus reſtituit. *Deinde puris linteis ſacrum Corpus involvitur, lectoque rurſùs Regina imponitur: mox lampades adbibitæ & unguenta, hymnique funeri deducendo idonei: Angelis utique linguis ſuis hymnum ſibi convenientiſſimum concinentibus, Apoſtolis autem, Deoque plenis Patribus, Divinas quaſdam cautiones à Spiritu Sancto inſpiratas modulantibus*. Hæc Damaſcenus piè opinando potiùs quàm aſſerendo.

Deinde ex multorum relatione ſubjungit, quòd dum ſacrum Deiparæ Corpus tumulandum geſtaretur, cùm ad Montis crepidinem, qui portabant, perveniſſent; Judæus quidam diabolico furore correptus temerario, præcipitique auſu irruit, arreptumque utrâque manu lectulum, in quo ſanctiſſimum Corpus geſtabatur, in terram detraxit. Sed dignam indigni facinoris ultionem ſtatim expertus fuit; privatum enim ambabus manibus extemplo fuiſſe ferunt: donec iis, qui lectulum portabant ſiſtentibus, ille facinus deteſtatus, ac pœnitentiâ motus, fide conceptâ, infelix admotis lectulo brachiis ambas confeſtim manus prodigioſè recuperavit. Interim Gethſemanen perveniunt, & ſa-

ſacrum Corpus tumulo imponunt, unde triduò poſt in Cœlum attollitur.

XVII. Quod non modicè torquet Auctores, eſt, Apoſtolos, & cum eis Dionyſium Areopagitam Morti ac Funeri Virginis iuterfuiſſe. Hoc ex Dionyſio ipſo lib. de Divinis Nominibus cap. 3. ſic narrat Damaſcenus citato loco num. 18. *Quandoquidem apud ipſos etiam à Deo afflatos Sacrorum antiſtites, quando nos quoque, ut noſti, & multi ex ſacris noſtris Fratribus ad contuendum corpus, quod vitæ principium dedit ac Deum ſuſcepit, conveniſſemus (aderat autem, & Domini frater Jacobus & Petrus ſupremus præſtantiſſimuſque Apoſtolorum vertex) tum viſo Corpore, placuit omnibus, prout quiſque poterat, hymnis celebrare infinitam bonitatem Divinæ potentiæ* &c. Hæc Dionyſius ad Timotheum.

XVIII. Adversùs hoc teſtimonium inſiliunt ferè omnes Critici Recentiores, dicentes, Areopagitæ Dionyſii non eſſe fœtum legitimum, ſicut nec librum de Divinis Nominibus, ex quo ſumtum eſt; Sed Areopagitæ ſuppoſitum à quodam Pſeudo-Dionyſio quinti ſeculi auctore, qui, ut ſuo operi auctoritatem conciliaret, Areopagitæ nomen ei affinxit. Cujus ſignum eſt, quòd ante quintum ſeculum nulla de ſcriptis Areopagitæ extat memoria apud antiquiores Patres.

Secundò dicunt, cujuſcumque ſint relata verba, non eſſe intelligenda de Corpore B. Virginis, ſed de Corpore Chriſti, quod verè ſuſcepit Deum, & ad quod contuendum Apoſtoli convenerunt.

XIX. Hìc mihi nec animus nec otium eſt pro ſcriptis Dionyſii Areopagitæ apologiam texere. Mihi certè negantium opinio ſuſpecta redditur, quòd, etiam dato, ante ſeculum quintum nullam de præfatis ſcriptis extaſſe notitiam, à ſeculo tamen quinto uſque ad ſextum decimum nemine contradicente, ut genuini Areopagitæ fœtus à ſubſequentibus Patribus, Conciliis & Pontificibus, hoc eſt, per mille & ultra annos, habiti ſint. Num autem, amabo, primi, qui ejuſmodi ſcripta ſub Areopagitæ Dionyſii nomine evulgari viderunt, adeò cæci aut ſtupidi fuere, ut nedum impoſturam non detexerint & rejecerint, ſed illa ut reverà talia agnoverint? Num ſequentes Patres, Concilia, Pontifices, omnes ad unum Eccleſiaſtici Scriptores in hoc nimis creduli, & tam parùm accurati Criterii fuerunt, ut ne quidem de alio hiſce ſcriptis quærendo auctore cogitarint? Num omnes præfati indulſerunt potiùs ſeculi genio, quàm veritati, euntes, non quâ eundum eſſet, ſed quâ cæteri ibant, & ſolos Recentiores veritatis zelus accendit? At quos? Eraſmum, Dal-

Dallæum, Blondellum, Cave, alioſque Heterodoxos, quos etiam Catholici quidam Launojus, Morinus, aliique modo ſequi gloriantur. Ignoſcant mihi, ſi dum de re antiquitùs ſuſcepta agitur, plus antiquis, quàm Recentioribus deferam. Hæc vera eſſe Dionyſii Areopagitæ agnoverunt, Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus Synodo Chalcedonenſi coævus; Leontius Byzantinus lib.2. contra Neſtorium & Eutychetem, & lib. de Sectis; Sophronius Patriarcha Hieroſolym.; agnoverunt ipſi Hæretici Monothelitæ, contra quos dum proferrentur, ea negare auſi non ſunt. Agnovit S. Maximus Martyr, Sexta Synodus Œcumenica, S. Gregorius Magnus, Hadrianus I., Nicolaus I.; Photius ipſe Librorum Cenſor Cod.231. ſuæ Bibliothecæ. Agnoverunt Damaſcenus, Metaphraſtes, Nicephorus, S. Thomas & alii, quos recenſent Natalis Alexandre in Hiſt. Eccleſ. ſeculi primi Diſſert. 22. His ergo omnibus tamquam inſciis, vel minùs accuratis fidem ſubtraham, ut eam Recentioribus, nihil niſi debiles conjecturas pro ſe afferentibus, tribuam?

XX. At inquiunt, primis quatuor ſeculis hæc ſcripta ignota fuerunt. Eſto. Iterum tamen dico, ſi ex hoc ea non eſſe Dionyſii arguendum eſt; cur Veteres hoc non detexerunt, cur impoſtorem non prodiderunt? imò cur latis ulnis ea tanquam Dionyſii legitima ſuſceperunt? An cæci fuerunt, ſolique Recentiores oculati? Cur ante quintum ſeculum latuerint, variis conjecturis oſtendit Cardinalis Cozza in ſuis Vindiciis Areopagiticis p.2. cap.8.: nimirùm hoc fuiſſe, vel arte priorum ſeculorum Hæreticorum, Ebionis, Cerinthi, Baſilidis, Carpocratis Valentini, Marcionis, Arii, qui ſuos errores ex doctrina Dionyſii videbant prædamnatos: vel Gentilium Philoſophorum tunc prævalentium, quorum doctrinam Dionyſius præcipuè impugnabat, operâ ac induſtriâ fuiſſe deperditos, aut ſaltem occultatos: vel ipſius Dionyſii monitu, qui lib. Eccleſ. Hierarch. cap.1. monet Timotheum, ne cunctis myſteria in eis contenta revelet. Unde veriſimile eſt ab exordio Eccleſiæ pauciſſima fuiſſe exemplaria, & hæc penes majores Eccleſiarum, ideòque cæteris ignota: ac tunc ſolùm publicè manifeſtata, cùm Chriſti Fide per totum Orbem ſtabilitâ, homines capiendi myſteria illa facti eſſent capaces.

Verùm ſi ex ſilentio trium vel quatuor ſeculorum de Areopagitæ ſcriptis, ea non eſſe illius auctoris, benè infertur, multò meliùs hoc idem inferri poterit de opere alicujus Auctoris, quod poſt decem & ultra ſecula, antea latens & ignotum, ſub ejus nomine lucem aſpexit. Cùm ergo hiſce poſtremis temporibus pro-

Digitized by Google

prodierit opus Lactantio inſcriptum *De mortibus perſecutorum*, quod per tot ſecula jacuit ſepultum ac ignotum, quod ab antiquorum nemine ſub hoc nomine videtur citatum, eâdem ratione, ut ſpurium ac ſuppoſitum habendum erit. Cur ergo Recentiores Critici magno applauſu illud ut Lactantii legitimum fœtum ſuſcipiunt? Cur ipſimet Novatores, ut plauſibile reputant? Fortè erit, quia ex hoc opere aliqua ad eorum ſenſum detorquent, ut antiquas Eccleſiæ Traditiones proſternant, quod ex Dionyſii libris facere nequeunt. Demum ſeculis Euſebio Cæſarienſi antiquioribus de S. Ignatii Epiſtolis altum fuit ſilentium. Primus, qui de eis notitiam dedit, ipſe Euſebius fuit: & tamen à Criticis non rejiciuntur. Cur ergo bellum tam atrox contra Dionyſii ſcripta indicunt, eò quod prioribus ſeculis fuerint ſilentio involuta? His addere poſſem, Areopagitica hæc non fuiſſe prorsùs incognita illis ſeculis Ignatio Martyri, Origeni, Dionyſio Alexandrino, Gregorio Nazianzeno. Conſtat enim, eos uſos eſſe teſtimoniis ex iiſdem depromtis, licèt ſuppreſſo ac non citato Auctoris nomine. De hoc videri poſſunt laudatus Alexandre Hiſt. Eccl. ſecul. 1. cap. 12. art. 15., & Card. Cozza citatus; quia ut ab initio proteſtatus ſum, meum non eſt hic Apologiam pro ſcriptis S. Dionyſii inſtituere, ſed relictis in ſua opinione Criticis Recentioribus, quod antiquitati conformius & veriſimilius mihi videtur, exponere: maximè quia glorioſa B. Virginis mors ex Dionyſii ſcriptis unicè non pendet.

XXI. Duo tamen ſuperſunt hìc explananda. Unum, quomodo potuerit S. Dionyſius unà cum Apoſtolis morti ac funeri B. Virginis intereſſe. Alterum, an Dionyſii verba de conventu Apoſtolorum ad intuendum corpus, quod Auctorem vitæ ſuſceperat, intelligenda ſint de Corpore B. Virginis, an de Corpore Chriſti.

Primum facilè reſolvitur ex dictis §. præcedente. Cùm enim ibi probabilius judicaverim, B. Virginem anno Chriſti 58. ætatis verò ſuæ 72. è vivis deceſſiſſe; ſic benè componitur, quòd S. Dionyſius intereſſe ejus morti potuerit; quia cum Chriſti Fidem amplexus fuerit Paulo prædicante Athenis, ut habetur Act. 17. v. 34., anno Chriſti 52., cumque ut habetur Act. 21. Paulus iter Hieroſolymam arripuerit anno Chriſti 57.; veriſimile eſt, Dionyſium ei ſe dediſſe comitem, ac proinde anno 58. ſequente morti B. Virg. interfuiſſe; ſicut & Jacobum fratrem Domini Hieroſolymitanum Epiſcopum adfuiſſe, certiùs eſt, cùm nonniſi anno Chriſti 63., ut ex Baronio, martyrio coronatus fuerit. Difficultas eſt de cæteris Apoſtolis. Putarunt aliqui, eos per varias

Or-

Orbis regiones diſperſos eodem ferè momento per aera in ſublime elatos Hieroſolymis adfuiſſe; ſed tantum miraculum abſque gravi fundamento aſſerendum non eſt. Veriſimilius cenſeo, Divinâ providentiâ ſic diſpoſitum fuiſſe, ut mors Matris ſuæ eo tempore contingeret, quo Apoſtoli aliique præcipui Eccleſiarum Præſides Hieroſolymis adeſſent; quia, ut advertit Suarez in 3.p. q.37. art. 4. diſput. 21. ſect. 1., Petrus eo tempore Româ Hieroſolymam rediiſſe creditur, & Paulus etiam poſt Dionyſii converſionem ibidem fuiſſe deducitur ex Actibus Apoſtolor. à cap. 17. uſque ad 21.: quod in re incerta magis veriſimile eſt.

Alterum verò, verba Dionyſii intelligenda eſſe de Corpore B. Virginis, non de Corpore Chriſti, eadem per ſe ſumta ſatis ſuadent, dum dicunt, conveniſſe ad contuendum corpus, *quod vitæ principium dedit, & Deum in ſe ſuſcepit*, vel ut alii vertunt, *corpus illud, quod auctorem vitæ, Deumque conceperat*. Deinde ubinam leguntur Apoſtoli conveniſſe ad contuendum Corpus Chriſti? Leguntur quidem conveniſſe Mulieres, & non inveniſſe. Et hæc eſt communis Patrum ſententia & Doctorum, qui ſuper hoc ſcripſerunt: SS. Maximi, & Thomæ, Alberti Magni, Damaſceni, Andreæ Cretenſis &c. Verùm in re, quæ meris conjecturis innititur, ſatis immorati ſumus. Hoc unum ex dictis colligere poteſt Lector, probabilius videri, B. Virginem Hieroſolymis potiùs mortuam eſſe, quàm Epheſi, de quo ancipitem ſuperiùs ipſum reliqueram.

CAPUT XLI.

De B. Virginis in Cœlos Aſſumtione.

§. I.

De Aſſumtione, quoad Animam ſtatim ab obitu.

I. VOCABULUM hoc *Aſſumtionis in Cœlum*, ſi nihil aliud addideris, indifferenter ſignificare poteſt elevationem ad Cœlum Animæ tantùm, & Animæ ſimul cum corpore. In priori ſenſu uſurpatum legimus apud Sanctos Patres: Auguſtinum lib. de Paſtoribus cap. 11., ubi D. Petrum ſcribit *Aſſumtum in requiem Apoſtolorum & Martyrum*: Gregorium Turonenſem lib. de Gloria Confeſſorum cap. 99., ubi *Aſſumtionem S. Aviti* commemorat, quâ nimirùm, in Cœlum aſſumtus eſt. Gorgoniam ſororem ſuam *Aſſumtam in Cœlum* di-

dicit Gregorius Nazianzenus Orat. Panegyr. ejuſdem. Euſebius de Vita Conſtantini cap. 64. Conſtantinum Imperatorem ex hac vita ereptum *ad Deum ſuum aſſumtum* ſcribit, ut de aliis taceam, qui aſſumti dicuntur, cùm tamen ſolâ animâ ad cœleſtem Gloriam elevati fuerint, corpora autem eorum adhuc jaceant in ſepulchris univerſalem reſurrectionem expectantia.

II. In hoc ſenſu, nimirùm B. Virginem ſtatim poſt mortem aſſumtam fuiſſe in Cœlum, ideſt cœleſti Gloria, ac Viſione beata cœpiſſe frui, extra dubium eſt. Solùm ab aliquibus dubitatum fuit, an etiam ſtatim poſt mortem Anima ejus elevata fuerit ad Cœlum Empyreum, ut ad Locum, an verò ſolùm poſt triduum, quo unà cum reſumto corpore in Cœlum aſſumta fuit, interea fruens quidem Viſione beata, ſed nondum Cœli incola effecta. De hoc dubitant Sylveſter in Aurea Roſa Tract. 3. caſu 52. Concl.4., ubi de B. Virgine ait: *Ante reſurrectionem licèt Anima ejus fuerit beata, fortè tamen Cœlum non aſcendit, ut poſt aſcenderet Corpore glorioſa; ſed tamen hoc non eſt certum.* Hieronymus Natalis Adnot. in Evang. de B. Virginis ſepultura Litt. C. ait: *Chriſtus Animam beatiſſimam ſinu ſuæ Divinitatis, & recondità gloriâ fovet. At ubi? Ubi voluit ipſe, & nos neſcimus. Quid ſi in Paradiſo terreſtri? Quid ſi ſtatim Animam in cœleſtem Paradiſum invexit? Quid ſi ſupra Montem Oliveti, ſepulchro Matris imminens, quod in radice Montis eſt ad Occidentem?* Vener. Amadæus raptu 8. ſuæ Apocal. abſolutè dicit, Animam B. Virginis, ut Corpus depoſuit, beatâ quidem Viſione numquam interrumpendâ donatam fuiſſe; Cœlum tamen, niſi reſumto corpore non ſcandiſſe, quo intermedio tempore expeditiones duas, in Purgatorium & Paradiſum terreſtrem ſuſcepiſſe. In eadem ſententia eſt P. Salmeron tom.4. Tract. 16. addens: *Ut piè creditur evacuavit Purgatorium Maria, & poſtremò aſſumta fuit.* Hanc tamen gratiam (ut obſervat Benedictus XIII. ſerm. 100. ex Marianis) nec Chriſtus ipſe impartitus fuit, qui ſecundùm S. Thomam 3.p. q.52. art.8. deſcenſu ſuo eos ſolos à Purgatorio liberavit, *quales etiam nunc virtute paſſionis Chriſti à Purgatorio liberantur*. De quo egi tom. 16. Theol. De ſtatu animæ poſt hanc vitam q.2. de Deſcenſu Chriſti ad Inferos dub.3. §.2., ubi probabiliorem ſententiam S. Thomæ elegi; oppoſitam tamen non improbabilem judicavi. Quod verò etiam deſcenſu Animæ B. Virginis evacuatum fuerit Purgatorium, aſſerere non auderem.

III. Theophylus Raynaudus in ſuis Diptycis Marianis part. 1. puncto 10. num. 18. refert, ſe audiviſſe quendam è ſacro ſuggeſtu publicè prædicantem, quòd Mariæ Anima toto illo triduo,

Digitized by Google

duo, quo corpus ejus jacuit in ſepulchro, corpori adhæſit, non quidem illud animans, ſed ut purè aſſiſtens. In cujus probationem trahebat illud Iſaiæ 11. v. 10. *Erit ſepulchrum ejus glorioſum*: quomodo autem, ajebat, ſepulchrum Mariæ dici poterat glorioſum, niſi Animâ ejus jam beatâ & glorioſâ illud inhabitante? Sed meritò Concionatorem iſtum tanquam falſum & inſulſum traducit Raynaudus, tum propter inauditam novitatem, tum propter Textum Iſaiæ, quo abutebatur. Ibi enim Propheta loquitur de ſepulchro illius, *quem gentes deprecabuntur*, ideſt Chriſti Meſſiæ, non Virginis Matris. Deinde ſi ſepulchrum Chriſti fuit glorioſum, quin Anima ejus triduo illo eſſet in ſepulchro corpori aſſiſtens, ſed apud inferos operans, cur hoc requirebat, ut ſepulchrum Mariæ glorioſum diceretur? Sicut ergo ſepulchrum Chriſti eſt glorioſum, quia ſepulchrum ejus, qui tertia die ab eo ſurrexit glorioſus apud omnes Gentes, in cujus nomine erant deprecaturæ: ita Mariæ ſepulchrum fuit glorioſum, quia ſepulchrum ejus, quæ poſt triduum ab eo reſurgens ſuper Cœlos fuit exaltata, & tanquam Mater Dei in omnium honore habenda erat. Hiſce ergo dimiſſis.

IV. Cenſeo, tanquam certum tenendum eſſe, Animam B. Virginis à corpore ſeparatam, ſtatim abſque mora, nedum Viſione beata fuiſſe donatam, ſed ad Cœlum Empyreum evectam, ac ſuper Choros Angelorum exaltatam. Potiſſimum fundamentum dat Concilium Florentinum ſeſſ. ult. in decreto unionis, in quo Eugenius IV. diffinit, *illorum animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus ſunt purgatæ, in Cœlum mox recipi & intueri clarè ipſum Deum Trinum & Unum ſicuti eſt*. Quod ſanxerè etiam Summi Pontifices Innocentius IV. in Bulla *Sub Catholicæ* Benedictus XII. in Extrav. *Benedictus Deus*. Ex quibus hic conficitur diſcurſus: Animæ, quæ nullam omnino peccati maculam incurrerunt, poſtquam Chriſtus poſt mortem ſuam Cœlorum januam reſeravit, ſtatim ac corporibus ſunt exutæ, in Cœlum recipiuntur, & clarè vident Deum Unum & Trinum ſicuti eſt: ſed Anima B. Virginis abſque ulla omnino contracta peccati macula è corpore diſceſſit; ergo ſtatim beata fuit, & ad locum Beatorum evecta.

V. Dices tamen primò. Anima Chriſti, quæ ſanctiſſima fuit, eſto clara Dei viſione donata, non aſcendit tamen in Cœlum, niſi corpori reunita, ergo idem dicendum eſt de Anima B. Virginis.

Et

Et confirmatur. Pia plurium ſententia eſt, quòd B. Virgo in Cœlum aſſumta ſecum adduxerit plures animas, aut etiam omnes, quæ erant in Purgatorio: ergo debuit Anima ejus priùs deſcendere in Purgatorium, ſicut Anima Chriſti tribus diebus fuit apud inferos, deinde corpori reunita animabus ab ea liberatis comitantibus aſſumi in cœlum.

VI. Reſpondeo primò, quòd ſi valeret conſequentia & ſimilitudo, ſicut Chriſti Anima non aſcendit in cœlum, niſi poſt quadraginta dies, ſic nec Anima B. Virginis, niſi poſt quadraginta dies, in cœlum fuiſſet aſsumta. Similitudo ergo eſt, non inter Aſcenſionem & Aſsumtionem, ſed inter Reſurrectionem Chriſti & B. Virginis: utraque enim contigit tertia poſt mortem die. Dico ſecundò: ratio, quâ Chriſti Anima non ſtatim cœlos aſcenderit, ſed ad Inferos deſcenderit, traditur à S. Thoma 3 p. q. 52. ar. 1. *Quia conveniens erat, ut victo Diabolo per paſſionem, vinctos ejus eriperet, qui detinebantur in Inferno, ſecundùm illud Zachariæ 9.* „ Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu „ *Et Coloſſ. 2. dicitur* „ Expolians Principatus & Poteſtates traduxit confidenter „ Et etiam quia *ſicut Poteſtatem ſuam oſtendit in terra vivendo & moriendo: ita etiam Poteſtatem ſuam oſtenderet in Inferno ipſum viſitando & illuminando. Unde dicitur in Pſalm. 23.* „ Attollite portas principes veſtras„ &c. Nihil autem horum convenit B. Virgini.

Ex quibus ad Confirmationem: admiſsâ enim piâ opinione, quòd in morte Virginis aliquæ Animæ è Purgatorio fuerint liberatæ, non oportuit, ut Anima ejus in Purgatorium deſcenderet; quia, non ut Chriſtus Poteſtate ſuâ hoc fecit, ſed Chriſtus ad interceſſionem Matris ejus, & in gratiam triumphi ejus, quo ſuper cœlos fuit exaltata, ex ſpeciali privilegio hoc feciſſe credendus eſt. Quamquam ſi Chriſtus, ut dixi ex S. Thoma, ſuo deſcenſu eas ſolas liberavit, quæ plenè purgatæ erant, hoc idem fortiùs dici debebit de Virgine Matre.

VII. Dices ſecundò: ſi Anima B. Virginis ſtatim poſt mortem elevata eſſet in Cœlum, debuiſſet Cœlum deſerere, ut corpori reuniretur: hoc autem non videtur conveniens: ergo &c.

Reſpondent aliqui, Animam B. Virginis, ut reuniretur corpori, non deſcendiſſe de Cœlo ad ſepulchrum; ſed potiùs corpus ejus miniſterio Angelorum fuiſſe evectum in Cœlum, ibique fuiſſe Animæ unitum, vivificatum & glorificatum. Hæc fuit ſingularis opinio Petri Abaelardi ſerm. 25. de Aſſumtione B. Mariæ.

Sed rejicienda eſt. Quid enim magis monſtruoſum, quàm

quòd cadaver adhuc corruptibile in locum incorruptibilitatis transferatur? *Quæ enim conjunctio* (inquit Vega Theolog. Marian. num. 1884.) *cadaveroſi corporis cum Cœli Empyrei incorruptibilitate? aut quæ conjunctio mortis ad vitam cœleſtem?* Dicendum ergo eſt, quòd ſicut generalis reſurrectio juſtorum fiet per hoc, quòd Animæ uniantur corporibus ſuis exiſtentibus in ſepulchris, quæ ſtatim ac unita evadent incorruptibilia & glorioſa, & hoc modo etiam Anima Chriſti corpori in ſepulchro jacenti reunita fuit: ita etiam de Anima B. Virginis dicendum eſt.

§. II.

De Aſſumtione B. Virginis etiam quoad Corpus.

VIII. Beatam Virginem Dei Matrem tertio à morte die reſurrexiſſe, & in Cœlum Corpore & Animâ aſſumtam fuiſſe, quamvis Scriptura taceat; adeò tamen conſtans eſt Eccleſiæ Catholicæ Traditio, ut ſoli Hæretici, qui Eccleſiam audire nolunt, adhuc negent, vel in dubium vertant. Licèt autem, ut dixi, Scriptura corpoream B Virginis Aſſumtionem expreſsè non aſſerat; ex variis tamen ejuſdem textibus colligi, aliqui exiſtimarunt. Primò ex illo Pſalmi 131. v.8. *Surge, Domine, in requiem tuam Tu, & Arca ſanctificationis tuæ*: ideſt ſurge Domine à mortuis, cape requiem gloriæ non ſolùm Tu, ſed & Mater tua, Arca Novi Teſtamenti, quæ novem menſibus in ſe clauſum Te geſtavit. Hunc ſenſum probant Juvenalis, Damaſcenus, Nicephorus, & ex Recentioribus Hugo Cardinalis, Caniſius, Bellarminus, Salmeron & alii. Veteres tamen Patres, ut Auguſtinus in dictum Pſalmum, Athanaſius, Hilarius, Hieronymus *Arcam* intelligunt Corpus ipſum Chriſti, ut ſenſus ſit in Cœlum revertere cum Corpore tuo gloriâ induto.

Secundò colligere ſe putant ex Pſalm.44. v.11. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*, quæ B. Mariæ accommodari putant ab Athanaſio, Hildefonſo, Bernardo; quam veſtitu deaurato indutam, nempè corporis incorruptibilitate, ſtare ad dexteram Filii in Cœlis dicunt. Sed Auguſtinus in dictum Pſalm. Reginam intelligit Eccleſiam, quam veſtitu deaurato indutam dicit, & circumdatam varietate, quia licèt variis linguis loquatur, una tamen eſt fidei veſtis pretioſa, quam induit ac profitetur. Omitto alia Scripturæ loca, quæ adduci ſolent, quia non niſi in ſenſu accommodatitio ad rem præſentem trahi poſſe exiſtimo.

IX. An-

IX. Auctor Libri de Aſſumtione B. Virginis (inter Opera Auguſtini tom.6. in Append.) quem Patres Maurini ætate Caroli Magni piè ſcripſiſſe autumant, conatur oſtendere, quòd ſi caro Chriſti, quæ de Maria ſumta eſt, mortem quidem ſuſtinuit, ſed non eſt paſſa corruptionem, congruum fuit, carnem Mariæ, de qua Caro Chriſti ſumta eſt, eodem privilegio donari: *Si ergo*, inquit, *voluit integram Matrem Virginitatis ſervare pudore, cur non velit incorruptam à putredinis ſervare fœtore?... Numquid non pertinet ad benignitatem Domini Matris ſervari honorem, qui Legem non ſolvere venerat, ſed adimplere? Lex enim ſicut honorem Matris præcipit, ita inhonorationem damnat. Qui enim in vita præ cæteris illam gratiâ ſui conceptus honoravit, pium eſt credere, ſingulari ſalvatione eam in morte & ſpeciali gratiâ honoraſſe. Potuit enim eam à putredine & pulvere alienam facere, qui ex ea naſcens potuit Virginem relinquere. Putredo namque & vermis humanæ eſt opprobrium conditionis, à quo opprobrio cùm Jeſus ſit alienus, natura Mariæ excipitur, quam Jeſus de ea ſuſcepiſſe probatur.* Quia verò poſſet quis dicere; quòd Deus potuit quidem Mariam ab incorruptione præſervare, ſed non voluit, poſt multa dicit: *De cujus poteſtate ſi nullus dubitet Eccleſiaſticorum, quin poſſit Matrem ſine corruptione in perpetuum ſervare, cur dubitandum eſt voluiſſe, quod attinet ad tantæ benignitatis gratiam? Si elegit Divina voluntas ſolâ gratiâ, inter crepitantes vehementium ignium flammas non ſolùm corpora puerorum ſervare illæſa, verùm etiam ipſa veſtimenta ſervare intacta, cur abnuat in Matre propria, quod elegit in veſte aliena? Jonam ſervare in ventre Ceti præter naturalem uſum voluit incorruptum ſolâ miſericordiâ: Mariam incorruptam præter naturam non ſervabit Gratia? Servatus eſt Daniel ab intemperantiſſima fame Leonum: non ſervanda eſt Maria tantis donata meritis dignitatum?*

X. Quamvis, ut dixi, priorum ſeculorum Patres corporalem S. Virginis Aſſumtionem ſilentio prætarierint, & ſi quid inter eorum Opera de ea legatur, à genuinis eorum Operibus ad ſpuria ab accurationibus Criticis amandetur, ut ſermones Athanaſii, Hieronymi, Auguſtini de hoc tractantes; Patres tamen mediæ ac poſterioris ætatis eam propoſuerunt adeò concordes, ut tractu temporis doctrina utriuſque Eccleſiæ Latinæ & Græcæ facta ſit.

Ex Latinis enim Gregorius Turonenſis, qui ſexto cadente ſeculo Aſſumtæ Virginis Feſtum in Gallias creditur intuliſſe, lib. de Miraculis cap.4. *Dominus*, inquit, *ſuſceptum Virginis Corpus ſacratiſſimum in Paradiſum deferri juſſit, ubi nunc, reſumtâ Animâ,*

mâ, cum electis ejus exultans, æternitatis bonis nullo occaſuris ſine perfruitur. Quibus videtur ſenſiſſe, reunionem corporis ad animam factam fuiſſe corpore delato in cœlum, non Anima deſcendente ad ſepulchrum, ut ſuperiùs dixi.

S. Gregorius Magnus eodem ſeculo in Sacramentario tit. de Aſſumtione B. Virginis hanc pro Collecta Orationem ponit: *Veneranda nobis Domine, hujus eſt diei Feſtivitas, in qua Sancta Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum de ſe genuit incarnatum*. Mortis autem nexus, quibus B. Virgo deprimi non potuit, quid aliud ſunt, quàm corruptio & incineratio in ſepulchro, quæ mortem communi Lege conſequuntur?

S. Ildephonſus Toletanus ſeptimo ſeculo ſerm. 6. de Aſſumtione: *Nec ſanè*, inquit, *illud omittere debemus, quod multi pietatis ſtudio libentiſſimè amplectuntur, eam hodiernâ die ad cœli palatia corporaliter fuiſſe ſublevatam*.

Seculo undecimo Fulbertus Carnotenſis ſerm. 2. de Nativit. B. Virginis: *Credit Chriſtiana pietas, quia Chriſtus Deus Dei Filius Matrem ſuam glorioſè reſuſcitaverit & exaltaverit ſuper cœlos*. Eodem ſeculo Petrus Damiani ſerm. de Aſſumtione ait: *Intuere mentalibus oculis Filium aſcendentem, & Matrem aſſumtam: Videbis aliquid excellentius in Aſcenſione Filii exhiberi, & aliquid glorioſius in Aſſumtione Virginis demonſtrari. Aſcendit enim Salvator in Cœlum poteſtativæ virtutis imperio, ſicut Dominus & Creator, Angelorum comitatus obſequio, non auxilio fultus: Aſſumta eſt Maria in Cœlum, ſed gratiæ ſublevantis indicio, comitantibus & auxiliantibus Angelis, quam ſublevabat Gratia, non natura ... Tota conglomeratur Angelorum frequentia, ut videat Reginam ſedentem à dextris Domini virtutum in veſtitu deaurato, in corpore ſemper immaculato circumdatam varietate, virtutum multiplicitate diſtinctam*.

XI. Seculo duodecimo Petrus Bleſenſis ſerm. 28. de Aſſumt., Hugo de S. Victore lib. 3. erudit. Theol. ex Miſcellaneis ſecundi Codicis cap. 125. *Septimum*, inquit, *Virginis privilegium eſt, quòd cum corpore ſuo, quantùm credimus, in Cœlo vivit. Licèt enim B. Hieronymus* (ſerm. apocrypho de Aſumtione) *opiniones ponat, non tamen factum abnuit ... Non impoſſibile Deo fuit, ut illud Divinitatit habitaculum ſingulare corruptioni non ſubjaceat, vel vermibus. Qui enim trium puerorum veſtimenta in camino ignis illæſa ſervavit, Corpus Matris propriæ incorruptum ſervare, & voluit & potuit*. Alexander etiam Papa III. Epiſt. 32., quæ eſt ad Soldanum Iconii, quâ ipſum baptizari cupientem in Fide inſtruit,

ſtruit, hæc propè finem de B. Virgine Maria ſcribit: *Concepit nempè ſine pudore, peperit ſine dolore, & hinc migravit ſine corruptione, juxta verbum Angeli, imo Dei per Angelum, ut plena, non ſemiplena Gratiæ eſſe probaretur: & Deus Filius ejus antiquum quod pridem docuit mandatum adimpleret, videlicet patrem & matrem honore prævenire: & ne caro Chriſti virginea, quæ de carne Matris Virginis aſſumta fuerat, à tota diſcreparet.*

XII. Seculo verò tertiodecimo veritas communis, & univerſæ Theologorum ſcholæ, imò Eccleſiæ Latinæ doctrina, Aſſumtio corporea B. Virginis in Cœlum eſſe cœpit. Eam enim docuere Albertus Magnus in Mariali *ſuper Miſſus eſt* cap. 132. & 173.; S. Thomas tum 3. p. q. 27. ar. 1., ubi eodem modo loquens de Sanctificatione Mariæ in utero, ac de ejus corporea Aſſumtione in Cœlum, ait: *De Sanctificatione B. Mariæ, quòd ſcilicet fuerit ſanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica traditur. Sicut tamen Auguſtinus in ſermone de Aſſumtione ipſius Virginis rationabiliter argumentatur, quòd cum corpore ſit aſſumta in Cœlum (quod tamen Scriptura non tradit) ita etiam argumentari poſſumus, quòd fuerit ſanctificata in utero*: idem ſupponit 3. p. q. 83. ar. 5. ad 8.: apertè autem Opuſc. 4. in expoſit. Salut. Angelicæ agens de Maledictionibus datis homini ob peccatum: *Tertia*, inquit, *fuit communis viris & mulieribus, ut ſcilicet in pulverem revertentur; & ab hac immunis fuit Beata Virgo, quia cum corpore aſſumta eſt in Cœlum. Credimus enim, quod poſt mortem reſuſcitata fuerit, & portata in Cœlum Pſalm. 131. Surge Domine in requiem tuam Tu & Arca Sanctificationis tuæ.* Et Opuſc. 5., quod eſt expoſ. Symboli ad Articulum „Reſurrexit à mortuis„ ait: *Reſurrectio aliorum differtur uſque ad finem Mundi, niſi aliquibus ex privilegio ante concedatur, ut B. Virgini: & ut piè creditur, etiam Joanni Evangeliſtæ* (hoc tamen ultimum non ampliùs creditur). Idem ſentit S. Bonavent. in ſpeculo B. Mariæ Lect. 2., & ſequentibus ſeculis in hoc conſenſerunt S. Vincentius Ferrerius ſerm. 2. de Aſſumt. B. Mariæ, S. Antoninus 1. p. Chronic. tit. 6. cap. 3. §. 1., 3. p. Chron. tit. 19. cap 11., & 4. p. ſummæ tit. 15. cap 43. §. 4., ubi ait: *De Virgine Glorioſa piè creditur ab omni Eccleſia, & Doctoribus, in Corpore & Anima glorificata in Cœlis*. Mitto alios Recentiores. Quare licèt hactenùs Eccleſia nihil de hoc definierit, adeó tamen conſtans eſt ejus in hanc partem conſenſus, ut qui docendo oppoſitum, reſilire, aut ſaltem dubitare auderet, non ſine nota ac cenſura dimitteretur.

XIII. Pro Eccleſia Græca adſunt teſtimonia: primò Andreæ Hieroſolymitani Cretenſis Epiſcopi, qui primus ſeculo ſeptimo cre-

creditur apud Græcos Aſſumtionis Feſtum induxiſſe. Is enim Orat. 2. de Laudibus Aſſumtæ Virginis: *Erat*, inquit, *novum reverà ſpectaculum: mulier, quæ Cœlorum ſuperaverat naturam puritate, in adytorum, quæ ſunt in Cœlis, ſancta commeans & ingrediens; ſicut enim non fuit corruptus parientis uterus, ita mortuæ caro non interiit. O miracula! Partus effugit corruptionem, & ſepulchrum non admiſit interitum!*

Octavo ſeculo Germanus Patriarcha Conſtant. Orat. 1. in Dormit. Deiparæ, ait: *Spiritus tuus æternùm vivit, & caro tua corruptionem paſſa non eſt... Quandoquidem fieri non poterat, ut illud mortis coarctatio detineret, quod vas fuerit Dei ſuſceptivum & animatum Templum ſacroſanctæ Divinitatis Unigeniti*. Damaſcenus Orat. 2. in Dormit. B. Mariæ n. 14. *Sanctiſſimum Corpus clariſſimo præſtantiſſimoque tumulo imponitur; unde triduo poſt in Cœlum attollitur.... Sicuti ſanctum incorruptumque illud Corpus, quod Deus ex ea Perſonæ ſuæ copulaverat, tertia die è monumento ſurrexit; ſic etiam hanc è tumulo abripi, Matremque ad Filium migrare par erat* &c. Prætereo alios Auctores Græcos, qui hanc veritatem pari conſenſu firmant.

XIV. Hanc eſſe Eccleſiæ Græcæ ſententiam conſtat, tum ex Menologio ad diem 15. Auguſti, tum recentiùs ex Synodo Hieroſolymitano anno 1672. ſub Doſitheo adversùs Calviniſtas coacta, in qua cap. de Cultu Sanctorum hæc habentur de S. Virgine: *Ipſa procul dubio eſt Virgo Sanctiſſima, quæ magnum in terra ſignum cum extiterit, eò quòd Deum in carne genuit, & poſt partum integerrima Virgo permanſit; rectè jam & ſignum eſſe dicitur in Cœlo, eò quòd ipſa cum corpore aſſumta eſt in Cœlum. Et quamvis concluſum ſepulchro fuerit immaculatum Corporis ejus tabernaculum, in Cœlum tamen, uti Chriſtus fuerat aſſumtus, tertio & ipſa die in Cœlum migravit*. Ita Græci, quamvis in aliis à Latinis diſcordes.

XV. Ex dictis congruentes rationes formari poſſunt. Prima, quia ſicut Corpus Mariæ, ex quo carnem ſumſit, noluit Deus, ut per conceptum & partum ullam læſionem aut corruptionem pateretur; ita nec voluit, ut per mortem in corruptionem & incinerationem abiret: indecens enim erat, ut Corpus, quod Dei tabernaculum fuerat, fieret pabulum vermium, tandemque in cineres cum aliis reſolutum ignobile in ſepulchro jaceret, vel injuriâ temporum in auras diſpergeretur. Si igitur de domo Raab meretricis dicitur Joſue 6. quòd, totâ Jericho Civitate everſâ, fuit unica Dei imperio præſervata, eò quòd Nuntios à Joſue explorandi causâ miſſos ad breve tempus excepe-

pe-

perit; multò magis à communi Lege corruptionis ſervatum, fuiſſe credendum eſt corpus illud, quod Deum ſuſcepit, & in quo velut in domo novem menſibus habitavit.

Secunda. Decuit, ut B. Virginis Anima haberet ſtatim totum ſuæ beatitudinis præmium, nedum intenſivum & eſſentiale, ſed extenſivum & accidentale. Cùm ergò animæ Beatorum appetant & petant gloriam corporum ſuorum, quæ eis in laboribus ſervierunt; dum hanc nondum habent ſed expectant, nondum habent omne ſuum deſiderium expletum, & proinde nec beatitudinem ſaltem extenſivè & accidentaliter completam atque perfectam. Cumque hoc de B. Virgine horreat pietas vel cogitare, credi debet, eam eſſe non ſolùm Animâ, ſed etiam Corpore beatam, alioquin minùs perfecta eſſet ejus Beatitudo, quàm Angelorum, cui nihil deeſt. Hanc rationem affert Bernardinus de Buſtis auctor ſeculi XV. ſerm. 1. de Aſſumt. par. 6. his verbis: *In ipſa Virgine eſt omnis perfectio & beatitudo perfecta, ut de ipſa canit Eccleſia: cum igitur omnis pars ſit imperfecta, ut ait Philoſophus 5. Metaph. & 3. Phyſic.; ſi Anima B. Virginis nedum aſſumſit ſuum Corpus, necdum habet ſuam perfectionem, & eſſendi modum. Cùm autem Angeli omnem ſuam in eſſendo perfectionem habeant, minùs eſſet perfecta B. Virgo, quàm Angeli, quod eſt inconveniens.* Hæc ratio ab excellenti B. Virginis ſupra omnes homines & Angelos ſanctitate robur accipit. Ei enim totum & integrum præmium in Corporis & Animæ gloria poſitum ſtatim à morte rependi debuit: ne ſi pars illius altera ad extremum uſque judicii diem debitâ gloriâ fraudaretur, Angelis interim plenâ ac integrâ felicitate Deo potientibus, beatitudo Matris eſſet inferior, nec poſſet verè dici ſuper Angelos in Gloria exaltata.

Tertia. Si Deus Mariam Virginem dignitate ſuper omnes creaturas in terris evexit: Matris ſuæ prærogativâ ornavit; corpus ejus ſine corruptione fœcundum reddidit; eam adeò intimè ſibi conjunxit, ut ſolo Deo minor remaneret: ſi in omnibus à communi Lege (unicâ exceptâ Lege mortis, à qua nec ipſe eximi voluit) eam præſervavit, par eſt credere, corpus ejus à communi Lege corruptionis poſt mortem, eodem privilegio, quo ſuum, voluiſſe præſervare. Alias rationes omitto, quia ex ſupra allatis Patrum teſtimoniis colligere quiſque poterit.

XVI. Superſunt aliqua in ſpeciem contra dicta militantia. Primum eſt: S. Ambroſius lib. 1. Interpretationum moralium in Job cap. 6. de Chriſto: *Ipſe*, inquit, *eſt reſurrectio, ipſe eſt primogenitus ex mortuis, in quo omnes quidem prærogativam futuræ re-*

Digitized by Google

reſurrectionis accepimus: *ſolus tamen ipſe adhuc reſurrectione perpetuâ reſurrexit*. Idem ſentit Alcimus Avitus in fragmentis ſerm. pro die prima Paſchatis. Si autem B. Virgo aſſumta eſſet corpore in Cœlum, jam ſurrexiſſet in æternum, & ſic non ſolus Chriſtus ſurrexiſſet.

Reſpondeo, intentum Ambroſii & Alcimi fuiſſe, ſolum Chriſtum reſurrexiſſe reſurrectione perpetuâ jure ſibi debito, quia ipſe eſt reſurrectio, primogenitus ex mortuis, & cauſa futuræ reſurrectionis omnium; non autem voluiſſe excludere, quin aliqui, & præcipuè Maria Mater ejus, poſt ipſum & per ipſum ſingulari privilegio anticipatè ad æternam vitam reſurrexerint. Imò ſi multorum judicio Patrum, Ignatii Martyris, Origenis, Euſebii, Epiphanii, quotquot Sanctorum corpora ſurgente Chriſto ſurrexere (de quo ſupra dixi) ad vitam immortalem tranſierunt, & Chriſtum aſcendentem in Cœlum comitata ſunt: non unus Chriſtus Reſurrectione perpetuâ reſurrexit, ſed alii multi. Quòd ſi alii multi, cur non majori titulo Virgo Deipara?

XVII. Secundum, quod militare poteſt, ſumitur ex dubietate, in qua de B. Virginis corporea in Cœlos Aſſumtione hæſerunt benè multi, doctrinâ ac pietate inſignes Patres, ut Epiphanius hæreſi 78. ſeculo quarto, S. Ildephonſus Toletanus ſem. 6. de Aſſumtione ſeculo ſeptimo, Ignotus auctor ſermonis de Aſſumtione B. Virginis ſeu Epiſtolæ olim D. Hieronymo ſeu Sophronio adjudicatæ, Beda lib. de Locis Sanctis cap. 6. Quibus accedunt Odilo Cluniacenſis Abbas, S. Ado Viennenſis, Guibertus Abbas. Et quod fortius eſt ipſa Eccleſia viſa eſt dubitaſſe: tum Latina; nam in Uſuardi Martyrologio, quo pridem Eccleſia Romana, & aliæ multæ uſæ ſunt, hæc habentur: *Dormitio Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cujus ſanctiſſimum Corpus, etſi non invenіatur ſuper terram, tamen pia Mater Eccleſia ejus venerabilem memoriam ſic feſtivam agit, ut pro conditione carnis eam migraſſe non dubitet. Quò autem venerabile illud Spiritus Sancti Templum nutu & conſilio Divino occultatum ſit, plus elegit pietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere*: Tum etiam Græca; nam in Menologio Baſilii Imperatoris ad diem 15. Auguſti poſt deſcriptam mortem & funus Beatæ Virginis hæc ſubjiciuntur: *Ipſius verò puriſſimum Corpus à Sanctis Apoſtolis ſepultum, poſt tertiam diem non eſt repertum. Sepulchrum enim adaperiens Thomas, qui ſerò venerat, ut Lipſanum adoraret, illud haudquaquam invenit; id ſiquidem tranſtulerat Deus in locum, quem ipſe ſcit, ſed lintea duntaxat ſuere reperta.* Utraque ergo Eccleſia locum, in quem Corpus B. Virginis Deus tranſ-

tranſtuliſſet, ignorabat, vel ſaltem an fuiſſet ad Cœlum aſſumtum, dubitabat.

XVIII. Reſpondeo quoad Patres; quòd aliqui eorum de corporea Aſſumtione B. Virginis in cœlum ambiguè ſenſerint, nihil me movet. Nam de aliis etiam, prioribus ſeculis, dubitatum fuit inter Patres, nondum eliquatâ veritate, de quibus poſtea omnis dubietas ſublata fuit. De beatitudine animarum juſtorum, an hanc ſtatim purgatæ conſequerentur, an verò eis ad finem Mundi foret differenda, per multa ſecula Patribus hinc inde ſtantibus diſceptatum fuit. De Regno millenario poſt hanc vitam, quæ inter Patres fuerit contentio, omnes norunt. Quid ergo mirum, ſi de Aſſumtione Corporis B. Virginis in cœlum ab aliquibus olim dubitatum fuit, cùm etiam de illius morte S. Epiphanius citato loco dubitaverit, & alii ſupra relati, eam fuiſſe mortuam apertè negaverint? Qui de Aſſumtione B. Virginis in cœlum dubitarunt, puto motos fuiſſe ex libro *de Tranſitu Virginis*; ex Epiſtola ſub nomine Hieronymi vel Sophronii, ſerm. 35. de Sanctis olim Auguſtino ſuppoſito, & aliis, quæ de hoc dubitanter loquuntur. Sed cum poſtea liber ille de *Tranſitu Virginis* à Gelaſio fuit apocryphus declaratus, cùm Epiſtola illa Hieronymi, & Sermo Auguſtini, tanquam ſpurii fœtus fuerunt auctoritate ſpoliati, quotquot deinceps ſcripſerunt, dubium depoſuerunt.

Quoad Eccleſiam Latinam & Græcam, dato, quòd anceps & dubia aliquot ſeculis hæſerit, novis tamen luminibus à Deo illuſtrata omnem dubietatem depoſuit. Non enim omnes veritates eodem tempore ab Eccleſia declaratæ ſunt, ſed eo tempore, quo Spiritui Sancto viſum eſt. Prioribus autem ſeculis de Chriſti Myſteriis illuminanda erat, donec iſtis benè imbuta, de aliis, præcipuè ejus Matrem ſpectantibus, inſtrueretur, quòd in Concilio Epheſino, in quo declarata fuit *Theotocos*, ſeu *Mater Dei* fieri cœptum eſt. De aliis ejuſdem prærogativis tunc ſolùm eam inſtruxit, cùm ad evertendam aliquam hæreſim fuit neceſſe. Cùm ergo quæſtio de ejus Aſſumtione in Cœlum ad Fidem non ſpectaret, & aliunde de ea ſilentium tunc videretur opportunum, ne Collyridiani, qui Mariam putabant eſſe Deam, hinc in ſuo errore confirmarentur, ideò prudenter cenſuit, liberum cuique hoc permittendum.

XIX. Hoc dixi, non quia putem, Eccleſiam, ſaltem totam, de Aſſumtione B. Virginis Corpore & Animâ in Cœlum aliquando dubitaſſe. Licèt enim Uſuardus in Martyrol. & Ado, noni ſeculi Auctores, eam ſub nomine *Dormitionis* proponant, & in-

incertum locum relinquant, in quem corpus ejus translatum ſit, ſicut & Menologium Baſilii anno 886. editum, eiſque aliquæ Eccleſiæ uſæ ſint; totius tamen Eccleſiæ auctoritatem numquam obtinuerunt. Quin ſi Eccleſiam Romanam conſulimus, invenimus, eam à ſeculo ſexto nomen Aſſumtionis B. Virginis, non Dormitionis uſurpaſſe, ut in Sacramentario S. Gregorii ſupra obſervavi, & etiam in Antiquo Ordine Romano octavi ſeculi: & ſi Græcos etiam antiquiores adeamus, inveniemus inter cæteros Damaſcenum, qui eſtò *Dormitionis* nomen uſurpet, ſicut Græcorum alii, eam tamen Corpore & Animâ aſſumtam in Cœlum fatentur, ut legere eſt in eorum publicis Officiis pro diebus 15. 17. & 18. Auguſti. Quid ergo indicare vult Eccleſia, dum diem, quâ B. Virgo terras reliquit, ſub ſpeciali Aſſumtionis nomine celebrat? niſi quia nos docere intendit, quòd ſicut Chriſti Anima unà cum carne, propriâ virtute, Cœlos aſcendit, non alienâ, & ideò vocat *Aſcenſionem*: ita Dei Genitricis migrationem, quòd non propriâ ſed Filii virtute reſurgens ad Cœlum Corpore & Animâ evecta fuerit, maluit Eccleſia *Aſſumtionem* appellare.

Jure igitur Dominicus Soto celebris Theologus, qui Concilio Tridentino interfuit in 4. ſent. diſt.43. q.2. ar.1. *De Sacratiſſima Virgine*, ait, *ſi reſurrexit, non eſt dubium, quin in vitam ſempiternam reſurrexerit, quâ in Cœlis cum Filio fruitur. Hoc autem Hieronymus eodem ſermone* (ſpurio ſcilicet & apocrypho, de quo ſæpè) *ſub dubio reliquit. Jam verò temporum curriculo opinio hæc ſeu credulitas, quòd in Corpore & Anima fuerit in Cœlum aſſumta, plurimùm inolevit. Nondum tamen inter Fidei Articulos creditu neceſſarios relata eſt; quamvis ſit pientiſſimè credendum: nam in Collecta illius Feſti ait Eccleſia, quòd nexibus mortis deprimi non potuit.*

XX. Hinc quo certitudinis gradu tenenda ſit Aſſumtio in Corpore & Anima B. Virginis, colligi poteſt. Non enim, ut pia tantùm & probabilis opinio, cui liberum ſit aſſentire vel diſſentire, habenda eſt, ut ſentiunt Abulenſis in cap.22. Matth. q.230., & Cajetanus Opuſc. de Concept. cap.1. Cùm enim omnium Catholicorum, nemine contradicente, ſententia ſit, & communi Eccleſiæ judicio, quæ in ſimili materia errare non poteſt, corporea B. Virginis Aſſumtio colenda publicè proponatur; velle diſſentire, aut etiam in dubium revocare, temerariæ præſumtionis notâ ad minùs inurendum eſſet. Nec etiam, ut Fide Divinâ certa tenenda eſt, ut volunt Catharinus lib.4. contra Cajetanum, & alii: quia nec teſtimonia Sacræ Scripturæ pro illa ad-

adducta ſunt ita expreſſa, ut non valeant aliter exponi, neque Traditio talis eſt, qualis requiritur, ut omnimodam inferat certitudinem, neque de ea ulla hactenus prodiit authentica Eccleſiæ definitio, ut inter Dogmata Fidei Catholicæ poſſit recenſeri.

Cenſeo tamen, tantâ certitudine glorioſam B. Virginis in corpore Aſſumtionem tenendam eſſe, ut ſine temeritatis, aut etiam erroris labe negari non poſſit: unde S. Thomas 3.p. q.27. ar. 1. in Corp. in pari certitudinis gradu ponit Aſſumtionem B. Virginis cum Corpore in Cœlum, ac ejus Sanctificationem in utero: licèt enim neutrum expresſè habeatur in Scriptura, utrumque tamen rationabiliter ex Scriptura deducitur. Benè ergo ad ann. Chriſti 48. num. 17. ait Baronius, quòd *cùm* Eccleſia, *licèt nullum de eâ re decretum edixerit, in ipſis ſacris Eccleſiaſticis precibus, quas eâ die publicè recitare conſuevit, id affirmaſſe ſæpiùs videatur Verſibus, Reſponſoriis, Antiphonis & Lectionibus; in quam ſententiam cum Patres omnes, qui de ea re egerunt, æquè conſpirent, & Scholaſticorum claſſis pariter conſentiat; nullus remanet dubitandi de ea re locus: adeò ut perfrictæ frontis & procacis ſit animi indicium Eccleſiæ univerſalis uſui, & tot Patrum ſententiis non acquieſcere, maximamque omnium temeritatem his omnibus contradicere.* Quid enim in contrarium afferent? Librum de Tranſitu Mariæ, Epiſtolam Hieronymi vel Sophronii, Sermones de Aſſumtione ſub nomine Auguſtini? At hæc omnia & ſimilia, cùm tanquam ſpuria & apocrypha communiter rejiciantur, potiùs detrahunt veritati, quam veritatem probant. Quapropter Cano lib. 12. de Locis Theol. cap. 11. ait: *Beatam Virginem non eſſe in Cœlos cum Corpore aſſumtam, quod licèt fidei minimè adverſum ſit, ſed quia communi Eccleſiæ conſenſioni repugnat, petulanti temeritate diceretur.* Adderem, negantem, B. Virginem fuiſſe ad Cœlos cum Corpore aſſumtam, fore vehementer ſuſpectum de hæreſi, non quia præcisè communi credulitati ſeſe opponeret, ſed quia præſumeretur, hoc ex judicio erroneo procedere, nimirùm quòd Eccleſia univerſalis proponeret B. Virginem ſub titulo falſo colendam.

§. III.

Aliqua pro Complemento.

XXI. Supereſt pro complemento deſignare diem, quo Beata Virgo cum Corpore in Cœlos aſſumta fuit. In hoc non una omnium ſententia fuit. Quidam voluere, ſolum qua-

dragesimo ab ejus obitu die: unde cùm ſupponant, eam obiiſſe die 15. Auguſti, conſequenter poſuerunt, eam reſurrexiſſe & ad Cœlos fuiſſe translatam die 23. Septembris; nam à 15. Auguſti uſque ad 23. Septembris, ſi includamus ipſam diem 15. Auguſti & 23. Septembris, interfluunt dies quadraginta. Pro hoc afferunt Martyrologium Bedæ, in quo recenſetur Aſſumtio Deiparæ 18. Kalend. Septembris, & iterùm 9. Kalend. Octobris, quaſi prima pertineat ad ſolius Animæ Aſſumtionem, ſecunda verò ad corporis etiam ſuſcitati Aſſumtionem. Afferunt etiam revelationem factam S. Eliſabeth Schonaugenſi, in qua habetur, B. Virginem die 40. ab obitu fuiſse ſuſcitatam, & Corpore & Animâ in Cœlum aſſumtam. Afferunt 3. congruentiam ſimilitudinis cum Chriſto Filio, qui ſolùm poſt quadraginta dies Corpore & Animâ ad Cœlos aſcendit.

XXII. Sed hæc opinio futili nititur fundamento. Quod enim afferatur ex Beda, cenſeo cum Baronio in Notis ad Martyrol. die 15. Auguſti, verba illa, quæ in ejus Martyrologio ponuntur die 23. Septembris, nimirùm *ſecunda Aſſumtio S. Virginis Mariæ*, non eſse à Beda ſcripta, ſed à quodam ſciolo intruſa, fortè ut ſequenti revelationi auctoritatem conciliaret. Quam tamen puto vel ſuppoſitam, vel, ut veriùs cenſeo, à Sancta Eliſabeth tanquam à Deo factam piè quidem creditam, ſed ex propria imaginatione conceptam, neque hoc ejus ſanctitati præjudicat. Nam, ut ex S. Gregorio Homil. 1. in Ezechielem ait S Thomas 2. 2. q. 171. ar. 5. in arg. Sed contra, *ſciendum eſt, quòd aliquando Prophetæ Sancti, dum conſuluntur, ex magno uſu prophetandi, quædam ex ſuo ſpiritu proferunt, & ſe hoc ex Prophetiæ ſpiritu dicere ſuſpicantur*. Et S. Antoninus 3. p. Chrôn. tit. 19. cap. 11. *Prophetæ aliquando credunt, à Deo ſibi aliqua revelari ſpiritu Prophetiæ, quæ ex phantaſia ſua trahunt in viſionibus ſuis, ut patet in Nathan Propheta*. Et hoc maximè in præſenti caſu dicendum videtur: quia cum, ut infra, de hoc aliæ revelationes contrariæ afferantur, ſequeretur, Deum ſibi invicem contradicentia revelaſse.

Nec me movet, quod tertiò dicunt de ſimilitudine cum Chriſto Filio. Nam ſi hæc ſimilitudo attendenda eſset, dici deberet, quòd ſicut Chriſtus poſt quadraginta dies in Cœlum aſcendit, tertiâ tamen die reſurrexit: ita B. Virgo tertiâ die reſurrexerit, & reliquo uſque ad 40. dies tempore in terris converſata fuerit, quod tamen nemo dicet. Ratio igitur, cur Chriſtus poſt Reſurrectionem per dies quadraginta in terris viſibilis converſatus fuit, duplex exſtitit, nimirùm & ut ſuæ Reſurrectionis fidem

fidem in animis Diſcipulorum confirmaret, & ut eos plenius inſtrueret de pertinentibus ad Regnum Dei: unde Act. 1. v. 3. dicitur: *Quibus & præbuit ſe ipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei*. Neutrum autem horum movere potuit, ut B. Virginis Aſsumtio ad quadraginta dies differretur.

XXIII. Alii volunt, B. Virginem per 15. dies jacuiſse in ſepulchro; & hoc ab eadem B. Virgine revelatum fuiſse S. Birgittæ aſserunt. Ecce revelationem contra Revelationem. Cui ergo credendum? Scio aliquos velle, mendum irrepſiſse in dicta Revelatione, & legendum eſse loco *quindecim diebus* poſt tumulationem, *aliquantis diebus*. Sed hoc etiam falſum eſse ſequens Revelatio oſtendet.

XXIV. Volunt ergo alii, B. Virginem eodem die eſse mortuam, ſepultam, & à mortuis excitatam. Id probant, quia Eccleſia tam Latina quàm Græca eâdem die celebrat ejus Mortem & Aſſumtionem; ſed hoc, quòd eâdem die celebrentur, non probat, quòd eâdem die contigerint. Afferunt etiam pro hac opinione Revelationem B. Amadæo in ſua Apocalypſi raptu 8. cap. 9., ubi ſic Angelus eum alloquitur: *Nunc, dilectiſſime, poteris intelligere & conſcribere Matris Domini Aſſumtionem, & errores evitare. Noluit Dominus Reſurrectionem Mariæ differre ſicut ſuam in tertium diem, quia non oportebat probare veritatem mortis ejus, neque reſurrectionis, neque prophetiæ Jonæ adimpletionis. Manſit ergo in ſepulchro corpus ejus horis decem, mortuum verò horis quindecim, quas horas pro diebus aliqui computant, ut vos in Revelationibus B. Birgittæ devotiſſimis habetis. Scito, ſibi fuiſſe revelatum hoc eodem modo: ſed ille, qui ſcripſit, cogitavit intra ſe, quomodo ipſa citiùs Chriſto ſurrexiſſet? & dixit: debent eſſe quindecim dies, non quindecim horæ, & rationem appoſuit. Corrigatur itaque in ea parte Revelatio Sanctiſſimæ Chriſti Sponſæ Birgittæ. Cauſa erroris non fuit ipſa, ſed Confeſſor ejus, qui voluit plus ſapere, quàm oportuit, credens, eam malè intellexiſſe. Similiter corrigatur Revelatio alterius devotiſſimæ Viduæ S. Eliſabeth de tertio Ordine Patris tui, cujus & Confeſſor, in numero dierum eam malè intellexiſſe, erravit; ipſa enim dixit, Mariam reſurrexiſſe horâ decimaquartâ unà cum dimidio & plus, & ipſe dixit ex ſuo ſenſu, quòd fuerunt dies quadraginta: qui tamen Confeſſores non perierunt; tamen aliquantulùm vapulaverunt*. En aſſertum Angelum, ut ſuam Revelationem veram ſtatuat, duas præcitatas tanquam falsò traductas corrigentem, emendantem, & ad ſuam trahentem. Cui ergo ex his fides danda, in hac Revelationum pu-

pugna, cui tribuenda victoria? incertum; ne dicam nulli. Hoc quidem certum eſt, corrigendum & emendandum eſſe ſuppoſiti Angeli dictum in ea parte, quâ dicit, S. Eliſabeth, cui aſſeritur facta Revelatio de Reſurrectione B. Virginis poſt 40. dies, fuiſſe de Tertio Ordine Fratrum Minorum & Viduam, cùm, ut notant Eruditi, fuerit S. Eliſabeth Virgo de Schonaugia Ordinis S. Benedicti. Hinc collige Lector, quantum ejuſmodi privatis Revelationibus ſit tribuendum.

XXV. His ergo relictis communior ſententia fert, B. Virginem tertia die reſurrexiſſe, & Corpore & Animâ glorificatam in Cœlum fuiſſe aſſumtam. Pro hac etiam (quod mirum eſt) aliquæ privatæ Revelationes afferuntur. Sed quod me ad eam amplectendam movet, eſt Traditio, quam à Majoribus acceptam aſſeverat Juvenalis Epiſcopus Hieroſol. ſeculo quinto; quem ſecuti ſunt Nicephorus, Damaſcenus, Metaphraſtes; quod amplectuntur Græci in ſuis Menæis ad diem 15. Auguſti; quibus conformantur ex Latinis multæ Eccleſiæ particulares, præcipuè in Hiſpania, ut in Martyrologio Hiſpanico videre eſt: Imò in antiquiſſimo Hymno hæc canebant,

In obitu convenerant,
Omnes ejus Diſcipuli,
Ipſamque ſepelierunt:
Et poſt tres dies ſinguli
Corpus in ſepulchro quærunt,
Nihil invenerunt ſeduli,
Illud aſſumtum aſſerunt
In Cœlum omnes creduli.

Imò Eccleſia ipſa Romana die 18. Auguſti in Officio ſecundi Nocturni Lect. 5. legit narrationem Damaſceni (Orat. 2 de Dormit. B. Virginis) de Reſurrectione B. Virginis die tertiâ. Cui Traditioni favet etiam congruentia conformitatis Matris cum Filio, qui etiam reſurrexit die tertiâ.

XXVI. Reſtat pro coronide controverſia, quænam Auguſti fuerit dies tertia, quâ contigit Reſurrectio & corporea S. Virginis in Cœlum Aſſumtio. Multi, qui ſupponunt, eam die 15. Auguſti obiiſſe, quia eo die felicem ejus obitum ſeu Dormitionem Eccleſia celebrat, cenſent die 17. ſeu 18. ineunte eam reſurrexiſſe; obiiſſe autem die 15. Auguſti, colligunt ex eo quòd Veteres, maximè Græci, celebrarunt hoc Feſtum eâ die ſub nomine *Dormitionis* & *Tranſitus*; unde in Menologio Baſilii Imperatoris ad diem 15. Auguſti dicitur *Dormitio glorioſiſſimæ noſtræ Deiparæ*. Latini quoque; nam in Sacramentario San-

ed by Google

Sancti Gregorii, ubi 18. Kalendas Septembris ponitur Aſſumtio Beatæ Virginis, hæc Collecta recitatur: *Veneranda nobis, Domine, hujus eſt diei Feſtivitas, in qua Sancta Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem*. Dies ergo 15. Auguſti eſt dies, in qua Beata Virgo mortem ſubiit temporalem, eam tamen celebrat ſub nomine *Aſſumtionis*, non *Dormitionis* ſeu *Tranſitus*, ut Fidelibus oſtendat, mortem S. Virginis non fuiſſe talem, qualis eſt cæterorum, ut perduceret ad corruptionem; & ideò ſubdit, *Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit*, quia ſolutis tertiâ die nexibus mortis aſſumta fuit ad vitam immortalem. Unde Eccleſia celebrat cum morte Aſſumtionem, quamvis hæc non eâdem die contigerit, ut oſtendat, Mortem ejus fuiſse glorioſam.

XXVII. Alii tamen volunt, Virginem Deiparam obiiſse die 13. Auguſti, & die 15. reſurrexiſſe. Ita P. Ricciolius tom. 1. Chronol. Reformatæ lib. 8. cap. 14., Eſcobar in greſſibus Beatæ Virginis greſsu 19. cap. 3.; & affertur antiquum Legendarium Segobienſe, quod edidit Joan. Tamayo in Martyrolog. Hiſpano die 15. Auguſti: & rationem dant, quia Eccleſia 15. Auguſti celebrat Feſtum ſub titulo Aſſumtionis Deiparæ, ſeu in quo non ſolùm Animâ ſed etiam Corpore glorioſa ad Cœlum evecta fuit: unde inferunt, quòd 15. die contigit Reſuſcitatio, & in Cœlum translatio, die verò 13. obitus ejuſdem. Eò vel maximè quòd cùm Eccleſia non deſignaverit duas Feſtivitates, unam pro die obitus, aliam pro die reſurrectionis, ſed uno eodemque die memoriam celebret utriuſque, credere par eſt, Eccleſiam eum diem deſignaſſe, in quo non ſolùm habuit gloriam Animæ ſed etiam Corporis. Utraque opinio ſuos habet defenſores: prior tamen magis communis videtur.

XXVIII. Quæri ſolet pro complemento: Quo ex titulo Beatæ Virgini conceſsa fuerit anticipata Reſurrectio, & Corporis Glorificatio. Suppono enim, hanc ei non fuiſse debitam eo connaturalitatis titulo; quo Filio ejus Jeſu debita fuit ratione Unionis hypoſtaticæ, quâ ſicut communi Lege mortis non tenebatur, ſed mortuus eſt quia voluit & quando voluit, ita quia & quando voluit, ac propriâ virtute ſolvit corpus ſuum à vinculis mortis, juxta id, quod Joan. 2. v. 19. dixerat, *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud... Ille autem dicebat de Templo Corporis ſui*. Non negaverim tamen, quodam congruitatis & convenientiæ titulo, Matri Dei debitam fuiſse anticipatam Reſurrectionem, & præcipuè, quia, quæ in corpore, nec concipiendo nec pariendo, ullam paſsa fuerat corru-

ruptionem, congruum erat, ut nec poſt mortem ullam in eo pateretur corruptionem, ut ex Patribus ſupra dixi. Et rursùs, quia ut ait S. Thomas 3. p. q. 27. art. 5. *Quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principii: unde Dionyſius dicit* 4. *cap. Cæl. Hierarch. quòd Angeli, qui ſunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus Divinis, quàm homines. Chriſtus autem eſt principium Gratiæ, ſecundùm Divinitatem quidem auctoritativè, ſecundùm humanitatem verò inſtrumentaliter: unde & Joan.* 1. *dicitur*,, Gratia & Veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt,, *Beata autem Virgo Maria propinquiſſima Chriſto fuit ſecundùm humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam: & ideò præ cæteris majorem debuit à Chriſto Gratiæ plenitudinem obtinere*. Et inferiùs: *In Beata Virgine fuit triplex perfectio Gratiæ. Prima quidem quaſi diſpoſitiva, per quam reddebatur idonea ad hoc, quòd eſſet Mater Chriſti: & hæc fuit Perfectio ſanctificationis. Secunda autem Perfectio Gratiæ fuit in Beata Virgine ex præſentia Filii Dei in ejus utero Incarnati. Tertia autem eſt perfectio finis, quam habet in Gloria* (Animæ ſcilicet & Corporis.) Ex quo inferri poteſt, quòd etiam independenter ab ejus meritis, titulo Matris Dei, congruum erat, ut talibus privilegiis ornaretur, & conſequenter etiam anticipatâ Reſurrectione; ex meritis tamen Chriſti Domini, ex quo ut à Capite deſcendunt omnia bona in Eccleſiæ membra, ex S. Thoma 3. p. q. 19. ar. 4.

XXIX. An verò anticipata Reſurrectio illi conceſsa ſit etiam ex merito ipſius. Cenſeo primò, ſi loquamur de merito congrui, certum eſse per actus ſupernaturales, quos totâ vitâ exercuit, meruiſse, ut eo privilegio ornaretur. Si enim teſte S. Thoma 3. p. q. 2. ar. 11. ad 3. *meruit ex Gratia ſibi data illum Puritatis & Sanctitatis gradum, ut congruè poſſet eſſe Mater Dei*, quod certè multò majus eſt; non videtur poſse negari, eam de congruo meruiſse cætera dona, quæ Maternitatem Dei ex quadam congruitate & decentia conſequuntur; & conſequenter etiam anticipatam ſui Corporis glorificationem.

XXX. Si verò ſermo ſit de merito condigni, cenſeo ſecundò, B. Virginem de condigno non meruiſse anticipatam ſui Corporis glorificationem. Quia cùm merita B. Virginis, etſi ſublimia, ſint finita, non poſſunt de condigno mereri omne præmium, ſed ſolum illud, ad quod ex pacto & Divinâ diſpoſitione ordinantur, tanquam pro eis Statutum: ad meritum enim de condigno hominis coram Deo, requiri Divinam ordinationem promiſſionem & pactum, oſtendi tom. 3. in 1. 2. de Merito q. 2. dub. 5.

Sed

Digitized by Google

Sed præmium ex Divina Lege Pacto ac Promiſſione pro meritis hominum de condigno ſtatutum eſt Gloria æterna Animæ, & ſuo tamen tempore etiam Corporis, nec apparet in hoc ullum cum B. Virgine ſpeciale pactum aut privilegium, ut ejus meritis deberetur de condigno etiam anticipata Corporis Glorificatio. Ergo dicendum, B. Virginem hanc de condigno non meruiſse, quamvis omnino congruum eſset, ut in eam omnes Gratiarum theſauros ejus Divinus Filius effunderet. Hic ſiſtit meus qualiſcumque labor de Myſteriis, Geſtis, Vita & Morte, Reſurrectione, & ad Cœlos Aſcenſu Chriſti, & ejus Virginis Matris Aſſumtione. Reliquum eſt, ut ad eam converſus cum S. Ephraem Syro Orat. ad ipſam ita claudam: *Adeſto mihi nunc & ſemper, ò Virgo Dei Genitrix, Mater Miſericordiæ Benigna & Clemens, in præſenti quidem curſu Protectrix atque Auxiliatrix, hoſtiles quoſcumque impetus à me avertens, & in via ſalutis me conſtituens; ac in extremo vitæ articulo miſeram meam animam conſervans, & tenebroſos atque horrendos peſſimorum Dæmonum aſpectus ab ea procul repellens. In tremendo autem die Judicii ab æterna me damnatione liberans, & poſtremò in numerum juſtorum referens, atque inacceſſæ tui Filii & Dei Gloriæ me hæredem efficiens. Quod utinam per piam interceſſionem tuam atque patrocinium, Domina mea, Sanctiſſima Dei Mater, mihi & omnibus humiliter ad Te recurrentibus, & ſpem totam in Te figentibus, poſt hoc exilium concedatur, Gratiâ miſeratione & benignitate Unigeniti tui Filii Domini Dei ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti; quem decet omnis Gloria, Honor, Potentia, & Adoratio, cum Æterno ejus Patre, & Sancto ac vivifico Spiritu, nunc & ſemper, & in æterna ſecula ſeculorum. Amen.*

Quarti Tomi Partis Secundæ Finis.

Digitized by Google

INDEX RERUM

Quæ in hac ſecunda Parte Tomi quarti continentur.

A

ACclamantes *Jeſum ferè omnes exteri*. Pag. 46. Acclamationes *quibus nominibus expreſſæ*. 46.

Acta *Pilati de Chriſto ad Cæſarem apocrypha*. 105.

Adam *ſepultus in Monte Calvario*. 118.

Adoleſcens *amictus ſindone non fuit Jacobus cognomento Juſtus*. 92. *dubium an fuerit Joannes*. 93.

Ager *figuli dictus Haceldama qualis*. 91.

Anima *Moyſis in corpore aſſumto apparuit cum Chriſto in Monte Tabor*. 35.

Anima *Virginis non deſcendit in Purgatorio ad liberandas animas*. 345.

Animæ *reſurgunt per gratiam*. 250.

Anti-Chriſtiani *dicebant Chriſtum in Cruce deſperaſſe*. 189.

Antilogiæ *apparentes Evangeliſtarum circa Reſurrectionem Chriſti conciliantur*. 219.

Apellis *error circa Reſurrectionem Chriſti*. 214.

Apocrypha *de Pilato*, 104. & *de ejus morte* 107.

Apoſtoli *viderunt Chriſtum aſcendentem in cœlis, non reſurgentem à mortuis quare*. 256. *etiam preſente Chriſto habuerunt Spiritum Sanctum*. 296. *ſinguli habuerunt uſum linguarum omnium*. 315. *quibus loquebantur*. 318. *ſcripſerunt ſermone ſimplici & inculto, ut ab omnibus intelligerentur*. 322. *interfuerunt morti Mariæ Virginis*. 342.

Apparitiones *Chriſti poſt Reſurrectionem*. 217. *decem, quinque in die, & quinque poſtea, & quibus*. 258.

Arbor, *qua Judas ſe ſuſpendit qualis*. 91.

Argumenta *de manifeſtatione Reſurrectionis*. 262. *efficacia ad indicendam fidem ejuſdem, & ſufficientia ad oſtendendum illam eſſe glorioſam tùm ex parte corporis tum animæ*. 263.

Aſcenſio *Chriſti in Cœlum quare quadraginta dies poſt Reſurrectionem*. 265. *eſt articulus Fidei Chriſtum aſcendiſſe in corpore & anima*. 270. *fuit conveniens*. 271. *ejus prima origo virtus Divina, ſecunda virtus animæ glorificatæ*. 273.

Aſina & *Pullus ſuper quem ſe-*

ſedit Chriſtus quid ſignificant. 41.
Atrium Templi quale. 48.

B

BAdù ſignificat diem Lunæ, Mercurii & Veneris. 62.
Benedictio quid ſignificat. 280.
Benedictus Spinoſa negavit Reſurrectionem Chriſti. 214.
Bethania quantùm diſtet ab Hieroſolyma. 278.

C

CÆſaris imagines à Pontio Pilato poſitæ in Templo. 102.
Cajani hæretici quid ſenſerint de proditione Judæ. 84.
Calvaria Mons diſperſus calvariis & oſſibus facinoroſorum hominum. 118.
Calvinus blaſphemabat Chriſtum abreptum fuiſſe paſſione deſperationis in Cruce, & omnibus paſſionibus & cruciatibus quibus affliguntur damnati in Inferno. 188.
Cana, quæ Urbs. 21.
Caro aliter eſt ſecundùm culpam, & aliter ſecundùm naturam. 225.
Centurio in Morte Chriſti quis, confeſſus eſt Chriſtum. 186.
Chriſtus debuit facere Miracula. 1. excellentiori modo quam cæteri. 9. illa faciebat, & imperando, & etiam orando propter circumſtantes. 10. interiùs vocabat Judæos, ut ipſi crederent. 12. in Nuptiis Canæ fecit primum viſibile miraculum. 15. fecit Miracula circa ſubſtantias ſpirituales. 16. prohibuit Dæmonibus loqui ea, quæ ad laudem ipſius pertinebant. 17. permiſit Dæmonibus aliquod nocumentum inferre hominibus. 17. fecit Miracula circa corpora cœleſtia. 17. & circa homines. 18. præcipuè ut eorum animas ſanaret. 18. in faciendis Miraculis aliquid ad humanitatem pertinens apponebat. 19. illa fecit circa creaturas rationis expertes. 20. invitatus quare ivit ad nuptias. 21. transfiguratur. 27. tres tantùm diſcipulos voluit teſtes transfigurationis, quare non omnes, & quare illos. 28. declaratur filius naturalis à voce Patris. 36. Hieroſolymam ingreditur 38. quinta die ante Paſcha. 39. miſit Betphage diſcipulos. 40. quare ſedit ſuper Pullum. 42. ingreſſus Hieroſolymam quando ejecit vendentes & ementes de Templo. 47. eo anno quo mortuus eſt Paſcha Judæorum celebravit. 50. & ſuum 51. 52. non antevertit Cœnam Paſchalem. 55. nec voluit nec debuit antevertere diem ſtatutam pro celebratione Paſchatis. 59. quare Judæ dedit panem Euchariſticum. 71. aſſumſit ſuum corpus & ſanguinem in Cœna. 72. non ſolùm ſacramentaliter, ſed etiam ſpiritualiter. 73. diſcubuit

Digitized by Google

buit in Cœna, & quomodo. 75. quare Judam conſtituit diſpenſatorem pecuniæ quem furem ſciebat, & cur ad proditionem accellerandam impulerit. 88. quomodo reſpexit Petrum an interiùs, vel etiam exteriùs. 101. non fuit bis flagellatus ſed unica vice. 109. coronatur ſpinea corona. 112. damnatus ad Crucem illam geſtavit. 119. fuit crucifixus Cruci erectæ non ſtratæ aut jacenti. 141. clavibus trafixus in manibus & pedibus. 142. in palma manus. 144. nudus. 145. non eſt paſſus paſſiones ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco. 187. omne genus earumdem, non omnem ſpeciem. 188. non deſperavit in Cruce, nec damnatorum pœnis addictus fuit. 190. nos redemit ſanguine ſuo. 191. ſatisfecit pro pœnis nobis debitis. 192. paſſus eſt in anima, & quomodo. 195. tempore paſſionis fruebatur Beatitudine. 196. in cruce & in morte non fuit à Divinitate dimiſſus. 199. mortuus non poterat dici abſolutè mortuus, ſed homo mortuus. 200. tertia die poſt mortem reſurrexit. 213. quare reſurrectionem ſuam priùs Mulieribus quàm Diſcipulis manifeſtavit. 221. habuit poſt Reſurrectionem in corpore ſanguinem aliofque humores ad integritatem neceſſarios, non diſponentes ad corruptionem. 231. reaſſumſit totum ſanguinem, quem in paſſione effudit. 232. quare ſervavit cicatrices vulnerum. 236. fuit omnium reſurgentium primus. 238. & quomodo, ſi ipſe ante mortem plures reſuſcitaverit. 239. ſurrexit non moriturus. 240. propria virtute reſurrexit. 244. ejus nomen ſupponit pro perſona Divina. 246. eſt cauſa efficiens reſurrectionis omnium, exemplaris ſolum bonorum. 248. non manifeſtavit Reſurrectionem ſuam omni Populo. 252. quare primò Mulieribus. 253. primò Matri. 255. ipſum actu reſurgere nemo vidit, multi tamen viderunt reſurrectum. 256. manifeſtavit veritatem Reſurrectionis & gloriam reſurgentis. 257. aliquibus aparuit in propria effigie, & aliquibus in aliena. 261. verè in carne aſcendit in Cœlum. 268. ejus Aſcenſio eſt Articulus Fidei. 270. ipſe fuit cauſa ſuæ Aſcenſionis. 274. corporaliter aſcendit & penetravit cœlos. 275. quomodo ſit ſuper omnes cœlos. 276. creditur aſcendiſſe diem quintum Maii die Jovis. 277. circa Meridiem in Monte Oliveti. 278. in quo reliquit veſtigia plantarum ſuarum. 280. ſedet ad dexteram Patris. 281. & ut Deus, & ut homo, aliter tamen ut Deus, & aliter ut homo. 282. ipſi ſoli convenit ſedere ad dexteram Patris. 283. ſic ſedens pro nobis agit ut Sacerdos & Pontifex, non

Digitized by Google

non novam hoſtiam offerendo, ſed humanitatem ſemel oblatam Patri repræſentando. 285. *orat pro nobis.* 287. *promiſit Apoſtolis miſſurum Spiritum Sanctum ſpecialiter.* 306.

Cicatrices *vulnerum in corpore Chriſti.* 236.

Claritas *Transfigurationis fuit claritas Gloriæ.* 29. *transfuſa corpori Chriſti per modum tranſeuntis.* 30. *corporis ejus poſt Reſurrectionem non fuit exibita Diſcipulis.* 234.

Cœna *Chriſti duplex.* 52. *pura quid ſit.* 54. *una Legalis & Judaica, altera Chriſtiana & Eccleſiaſtica.* 68.

Cœnaculum *cujus erat.* 297.

Columna *ad quam Chriſtus fuit alligatus & flagellatus Romæ videtur.* 109.

Comeſtio *Chriſti poſt Reſurrectionem fuit vera, illa Raphaelis apparens.* 236.

Commenſales *Chriſti in cœna omnes Apoſtoli.* 68.

Conciliabolum *tradendum morti Chriſtum quando factum.* 79.

Confuſio *linguarum quomodo accidit tempore ædificationis Turris Babel.* 324.

Conſtantinus *Imperator repurgavit à Sordibus Ethnicorum ſepulchrum Chriſti.* 211.

Corona *ſpinea ex uncis marinis contexta videtur fuiſſe ad inſtar pilei, aſſervatur Pariſiis.* 113.

Corpus *Chriſti, quod in cœna ipſe ſumſit & dedit Diſcipulis erat paſſibile ſub modo impaſſibili.* 74. *ſi tempore mortis fuiſſet ſervatum in Sacramento fuiſſet ibi mortuum & non vivum. ibid. mortuum fuit abſolutè idem cum vivo.* 201. *conveniens fuit illud ſepeliri.* 201. *in ſepulchro non eſt paſſum aliquam diſpoſitionem ad corruptionem.* 207. *quare mortuum non corruptum.* 208. *manſit in ſepulchro una die integra, & duabus noctibus. ibid. quadraginta horæ fuit in ſepulchro, & quomodo verificatur fuiſſe tribus diebus, & tribus noctibus.* 210. *poſt Reſurrectionem fuit idem quod antea.* 224. *penetravit lapidem, & intravit in Cœnaculum januis clauſis.* 226. *fuit poſt Reſurrectionem integrum.* 229. *ornatum quatuor dotibus glorioſis.* 233.

Crucifixi *in Veteri Teſtamento.* 116.

Crucifixionis *Chriſti convenientiæ.* 135.

Crucifixorum *Chriſti tria genera.* 168.

Crux *Chriſti fuit humilis non proceræ altitudinis.* 126. *ex quo ligno.* 127. *ſimilis aliis Crucibus Latronum.* 128. *non fuit ſimplex compacta.* 128. *quid decuſſata, commiſſa, & immiſſa.* 129. *quatuor angulos referebat.* 130. *non aſſimilatur Tau.* 132. *non habuit lignum ſuppedaneum.* 133. *nec ſedile.* 134. *Judæis ſcandalum.*

Digitized by Google

lum. 140. *non erat in uſu apud ipſos*. 116. *priùs erigebatur quam in ea reus configeretur*. 141.

D

Deſcenſus *duplex attribuitur Chriſto*. 273.

Deus *adjuvat ad credendum tripliciter*. 12. *quomodo benè utatur malis operibus hominum*. 86.

Dextera *vel ſiniſtra in Cœlo non accipienda localiter*. 282.

Dies *Legalis quomodo diſtinguitur à naturali*. 56. *diviſus in quatuor ſtationes ſeu partes*. 264. *quinquageſimus poſt Reſurrectionem eſt dies Pentecoſtes*. 298.

Differentia *inter Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti*. 252.

Dionyſius *Areopagita ſua ſcripta genuina*. 339. *interfuit morti B. Mariæ Virginis*. 341.

Diſcipuli *audientes vocem Patris territi*. 37. *qui duo miſſi Betphage*. 40.

Diſcrimen *inter Chriſtum, & Sacerdotes Veteris Legis*. 290.

Divinitas *non fuit ſeparata ab anima, & à corpore Chriſti in ejus morte*. 198. & 245.

Doctrina *Chriſti comprobatur miraculis*. 12.

Dolor *Chriſti fuit maximus inter dolores præſentis vitæ, non tamen futuræ*. 193.

Dominica *die deſcendit Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos*. 301.

Dona *Spiritus Sancti, quæ*. 309.

Donatiſtarum *jactantia de Simone Cyreneo*. 121.

Donum *linguarum fuit prodigium & myſterium*. 112. *quo ad uſum non fuit conceſſum Mulieribus*. 314. *Apoſtolis permanenter*. 320. & 323. *fuit à Spiritu Sancto*. 321. *illo utebantur Apoſtoli dum loquebantur ex vi Miſſionis*. 324.

Dotes *animæ Chriſtiglorioſæ non redundarunt in corpus ab initio conceptionis ejuſdem*. 29. *dedit tamen aliqua ſigna earumdem*. 30.

Dotes *Corporis glorioſi quatuor*. 233.

E

Eclypſis *ſolis in morte Chriſti quomodo contigerit*. 176. *quatruplex miraculum in ipſa*. 177. *numquam ſimilis viſa*. 179.

Ejectio *venditorum de Templo majus Miraculum quam converſio aquæ in vinum*. 19.

Electio *Matthiæ in Apoſtolatum prima actio Conciliaris*. 291.

Electiones *per ſortem interdictæ*. 292. *non obſtante illa Matthiæ*. 293.

Energumeni *loquuntur linguis quas non noſcunt Dæmone movente illorum linguas*. 321.

Enoch & Elias *mortem ſubituri ſunt tempore Antichriſti*. 329.

Ephe-

Epheſi *fuit Eccleſia ſub invocatione Mariæ Virginis*. 333.

S. Epiphanius *dubitavit de morte Virginis Mariæ*. 227.

Epiſtolæ *Pilati ad Tiberium apocryphæ*. 106.

Evangeliſtæ *conciliantur circa cœnam, in qua propter effuſionem unguenti Diſcipuli indignati ſunt*. 80.

Eutychius *impugnatur de impalpabilitate corporis in Reſurrectione, qui fertur retractaſſe hunc errorem*. 225.

F

Fabella *Judæorum de virtute Miraculorum Chriſti*. 7.

Fabula *de ligno Crucis occultato in probatica piſcina*. 127.

Facies *Chriſti quomodo reſplenduit in Transfiguratione*. 31. *deformata in paſſione*. 114.

Faſciæ *inſtitæ quæ*. 205.

Ficulnea *cur maledicta cum non eſſet tempus ficorum ſignificat Synagogam*. 20.

Ficus *arbor infauſta*. 91.

Fictio *non eſt ſemper mendacium* 261.

Fixuræ *clavorum, & lanceæ remanſerunt in corpore Chriſti*. 237.

Flagellatio *Chriſti fuit facta flagris non virgis, atrociſſima, non tamen ad mortem*. 110.

Fructus *Donorum Spiritus Sancti*. 309. *cur diſtincti à virtutibus*. 310.

G

Galilæi *quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis, qui*. 103.

Gentiles, *qui in crucifixione Chriſti habuerunt partem, Pilatus & Milites*. 169.

Geſta *Pilati de Chriſto ad Cæſarem, quæ vera, incertum*. 104.

Gratiæ *gratis datæ novem numerantur à Divo Paulo*. 310 *non fuerunt collatæ Apoſtolis permanenter ſed tranſeunter*. 311.

H

Adrianus *Imperator conatus fuit obſcurare loca Nativitatis, & Sepulcbri Chriſti*. 211.

Hæretici *negant donum miraculorum perſeverare in Eccleſia*. 15. *negantes Reſurrectionem, qui*. 247. *illorum errores circa Aſcenſionem Chriſti*. 266.

Hebræi *in precibus repetunt Hoſanna*. 46. *illis die Sabbati probibita erant opera ſervilia non tamen ad Religionem ſpectantia*. 301. *vetitum erat diebus feſtis, ac Sabbatis ante boram ſextam comedere & bibere*. 304.

Helena *curat Templum conſtrui ad ſepulcbrum Chriſti*. 212.

S. Hieronymi *declamatio in profanatores Templi*. 48.

Hieronymus *Vecchietus multa paſſus eſt, ex quo dixerit Chriſtum*

ſtum unum celebraſſe Paſcha. 53.

Hiſtoria *Latronis pœnitentis apocrypha.* 153. *ſimiliter alia.* 158.

Hora *Crucifixionis Chriſti variè ſtabilita ab Evangeliſtis.* 164. *conciliantur.* 165. *Deſcenſus Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos fuit hora diei tertia* 303.

Hortus, *in quo ſepultus eſt Chriſtus quid ſignificet.* 205.

Hoſanna *formula precandi apud Hebræos.* 45.

Humilitas *Chriſti meruit gloriam Reſurrectionis.* 233.

Hydriæ *ſex quid erant in nuptiis Canæ.* 27.

I

Ignorantia *Judæorum non excuſabat à crimine.* 168.

Impaſſibilitas *corporis Chriſti non opponitur ejus comeſtioni.* 235.

Imperatorum *Romanorum notitia de Chriſto.* 5.

Ingreſſus *Chriſti Hieroſolymam* 43.

Inventio *corporum Nicodemi, Stephani, Abibonis & Gamalielis.* 240.

Joannes *ſine Miraculis prædicabat, & in ipſum Judæi credebant.* 13. *quare nullum ſignum fecit.* 14.

Joannes Evangeliſta *ſemper cælebs.* 23. *conciliatur cum aliis Evangeliſtis.* 57. *an ſecum circumduceret Mariam.* 334.

Joannes *Marcus quis.* 67.

Joſephi *teſtimonium de Chriſto vindicatur.* 3.

Joſeph *ab Arimathæa quis.* 103.

Joſeph *Scaliger confutatur.* 58.

Judas *proditor quare Iſchariotes dictus.* 77. *quam occaſionem habuit tradendi Chriſtum.* 78. *fuit Chriſto commenſalis etiam in Cœna Euchariſtica.* 68. *ſcelus quantum.* 85. *ejus peccatum avaritia.* 87. *quando pœnituit.* 89. *quomodo occubuit.* 90.

Judæi *putant Chriſtum feciſſe Miracula arte magica.* 6. *tempore Chriſti Paſcha legale non diſtulerunt.* 61. *illorum conſtantia in defendendis legibus* 103. *crucem cum Crucifixo flammis conſignabant.* 129.

Julianus *Apoſtata fatetur Chriſtum feciſſe Miracula.* 5.

Juſti *qui ſurrexerunt cum Chriſto ſive cum illo aſcenderint in Cælum, ſive mortui poſtea fuerint utrumque probabile.* 142.

L

Lapidatio *erat ſupplicium frequentius apud Hebræos.* 116.

Latro *bonus non fuit aqua baptizatus nec in carcere, nec in cruce.* 156. *inter Martyres reputandus.* ibid. *quomodo intelligantur verba illi dicta à Chriſto* hodie &c. *ibid. non intravit primus in Paradiſum.* 157.

Digitized by Google

Latrones *dicebantur etiam ſeditioſi*. 153. *qui crucifixi cum Chriſto quomodo vocabantur, illorum patria*. 152. *illorum demerita paria*. 153. *quare cum Chriſti crucifixi*. 147. *clavis confixi cruci*. 148. *nudi*. 149. *unus tantum blaſphemavit*. 150. *pœnitens ad dexteram, reprobus ad ſiniſtram*. 151.

Liber *de Tranſitu ſeu Aſſumtione Mariæ Virginis apocryphus declaratur à Gelaſio I.* 330.

Lictores *flagellantes Chriſtum quot fuerint ſolus Deus novit*. 112.

Lingua *Hebraica omnium linguarum primigenia*. 316.

Linguæ *Matrices, & primigeniæ quæ*. 326.

Linguæ *diſpartitæ, tamquam ignis non apparuerunt in proprio cujuſcumque ore, ſed ſuper capita ſingulorum*. 307.

Locus *cœnæ Chriſti non fuit domus Joannis Evangeliſtæ*. 66. *ſed Joannis Marci*. 67. *crucifixionis Chriſti, Golgota*. 165. *Cænaculum, in quo advenit Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos*. 296.

Longinus *alius à Centurione*. 186

Ludovicus *Capellus confutatur*. 58.

M

MAnichæi *dicebant nuptias à Deo malo eſſe*. 22. *negabant Chriſtum reſurrexiſſe*. 214.

Manipulus, *qui offerebatur in Templo poterat die Sabbati colligi*. 302.

Marcus *quomodo dicebatur interpres Petri*. 323.

Maria *Virgo teſtis Aſcenſionis Chriſti*. 279. *in die Pentecoſtes accepit Spiritum Sanctum*. 305. *credibile eſt habuiſſe etiam uſum linguarum*. 315. *de eadem in Scripturis nullum verbum poſt deſcenſum Spiritus Sancti*. 327. *ſequuta eſt Joannem*. 334. *mortem ſubiit ex conditione naturæ*. 324. *an Hieroſolymis vel Epheſi utrumque probabile*. 330. *non obiit transfixa gladio*. 336. *ſtatim poſt mortem aſſumta eſt in Cœlum quoad animam*. 344. *tertia die à morte reſurrexit, & in Cœlum corpore & anima aſſumta eſt*. 346. *numquam dubitavit Eccleſia de hac veritate*. 353. *ſine nota temeritatis, & labe erroris negari non poteſt*. 355. *quando obiit, & quando aſſumta eſt in Cœlum*. 359. *meruit de congruo ejus anticipatam reſurrectionem non de condigno*. 360.

Marianus *Scotus primus auctor hiſtoriæ Veronicæ*. 124.

Meſſiæ *Caracteres diverſi ab illis quos fingunt Hebræi*. 137. *ejus potentia & imperium ſuper omnes gentes per paſſionem ejus & Crucem*. 139.

Milites *crucifigentes Chriſtum peccarunt*. 169. *cujus nationis incertum*. 170.

Miracula *ſunt litteræ patentes Di-*

Divinæ Miſſionis, & ſigna veritatis. 2. illa Chriſti fuerunt vera, & facta Divina virtute. 3. oſtendunt ejus Divinitatem. 8. ex doctrina eam comprobant. 11. non erant neceſſaria ut Judæi crederent in eum. 13. benè tamen ut probaretur illum eſſe Meſſiam. 13. adhuc durant in Eccleſia. 15. illa Apoſtolorum quomodo videbantur excellentiora Miraculis Chriſti. 9.

Miſericordia *Dei erga unum ex latronibus, juſtitia erga alium.* 154.

Miſſio *Divinæ Perſonæ fundatur in proceſſione.* 296.

Mons, *in quo transfiguratus eſt Chriſtus qualis.* 32.

Monumenta *aperta in morte Chriſti.* 184.

Mors *provenit & ex conditione naturæ, & ex pœna peccati.* 325.

Moyſes *& Elias apparuerunt in Transfiguratione Chriſti uti teſtes ejuſdem gloriæ.* 33. *quare iſti ſelecti, & quomodo illuc advenerint.* 34.

Mulieres *Jeſum ſequentes quæ?* 122. *privatæ nuntiæ Reſurrectionis.* 253. *pluries ad ſepulchrum Chriſti.* 259. *quare tenuerunt pedes ejus.* 260.

N

Negationes *Petri ubi contingerunt.* 94.

Nicodemus *quis.* 203. *ſpoliatus omni dignitate à Judæis.* 204.

Nomina *Latronum crucifixorum cum Chriſto apocrypha.* 152.

Nuditas *Chriſti in Cruce qualis.* 146.

Numerus *verberum quibus Chriſtus fuit flagellatus incertus.* 111.

Nuptiarum *miraculum quando factum.* 24. *cur in ipſo vinum non creatum, ſed ex aqua factum.* 26.

O

Oliva *ſymbolum pacis.* 44.

Opera *miraculoſa Chriſti perfectiſſima.* 19.

Opiniones *de anno mortis Mariæ Virginis.* 335.

Oratio *Chriſti in Cruce pro crucifixoribus quibus juvit.* 185. *ejuſdem in Cœlis.* 287.

Orationes *Eccleſiæ fiunt in nomine Chriſti.* 288. *non debent fieri ſub hac forma,* Jeſu Chriſte ora pro nobis, *ſed* miſerere nobis, *vel* audi nos. 289.

P

Palma *ſymbolum victoriæ.* 44.

Palpabilitas *corporis Chriſti non opponitur incorruptibilitati.* 235.

Panes *azymi comedebantur cum victimis.* 58.

Panos *nomen quid ſignificet.* 185.

Paſcha *poteſt accipi pro Feſto Judæorum.* 58. *Galilæorum idem*

idem erat ac Judeorum. 64. *apud Chriſtianos non celebratur die quartadecima Martii, ſed Dominica ſequenti*. 299.
Paſſiones *duplicis generis aliæ ab intrinſeco, & aliæ ab extrinſeco*. 187.
Pater *Divinus tradidit Filium ſuum diverſo animo & fine, quo tradidit eum Judas*. 80.
Peccatum *Judæ avaritia*. 87.
Penetratio *corporum non eſt impoſſibilis*. 228.
Pentecoſtes *quid ſit, & quid ſignificet*. 197. *quomodo differat Judaica à Chriſtiana*. 298.
Perſona *Chriſti deſcendit de Cœlis ſecundum Divinam naturam, & aſcendit ſecundum humanam*. 272.
Petræ *ſciſſæ & terræmotu*. 184.
Petrus *ter negavit Chriſtum*. 95. *à quibus interrogatus*. 96. *ante primum Galli cantum ſemel negavit Chriſtum, iterum & tertio ante ſecundum*. 96. *excuſatur, ſed immerito*. 97. *peccavit & graviter*. 98. *non contra fidem, ſed contra charitatem*. 100. *fuit primus in Concilio Hieroſolymitano non ſolùm ordine, ſed auctoritate*. 292.
Piazza *narrat hiſtoriam Veronicæ*. 123.
Pilatus *quis*. 102. *imagines Cæſaris in Templo ponit*. 103. *Galilæos occidit*. 103. *Chriſtus tradidit Judæis ut crucifigeretur*. 104. *ejus geſta de Chriſto ad Cæſarem*. 105. *epiſtolæ de eodem ad Tiberium*. 106. *vocatur Romæ*. 107. *infelici exitu moritur*. 107. *juſſit Jeſum flagellari*. 108. *oſtendit Chriſtum flagellis cæſum, ſpinis coronatum*. 114. *ſententiam mortis pronuntiat*. 115. *non excuſatur à peccato*. 117. 169.
Pœnitentia *Judæ qualis*. 90.
Pontius *Pilatus*. *V.* Pilatus.
Prodigia *apocrypha in morte Chriſti*. 183. *unum non apocryphum*. 185. *in morte Virginis quæ, incertum*. 338.
Prophetiæ *de Meſſia impletæ in paſſione Chriſti*. 138.
Pueri *hebræorum clamabant præ lætitia*. 44.
Pulli *Aſinarum apud Hebræos erant in uſu etiam apud nobiles*. 42.

R

Rami *arborum erant Rami Palmarum & Olivarum*. 44.
Regnum *Meſſiæ non viſibile & terrenum*. 139.
Reſurrectio *duplex una corporum alia animarum*. 247.
Reſurrectio *Chriſti fuit neceſſaria & conveniens, nec differenda ad finem mundi, nec ſtatim poſt mortem*. 222. *debebat differri ad tertium diem*. 223. *eſt cauſa Reſurrectionis futuræ omnium hominum*. 247. & *juſtificationis noſtræ*. 250.
Reſurrectio *mortuorum à quibus negata*. 213.

Ritus varii ſepeliendi mortuos. 202. quo uſi ſunt ad ſepeliendum Chriſtum. 204.

S

SAcerdotium Chriſti non fuit temporaneum, ſicut Aaronicum, ſed æternum, ſicut Melchiſedech. 285.

Sadducæi negabant reſurrectionem. 246.

Salmaſii error circa donum linguarum. 319.

Sanatio animæ finis miraculorum Chriſti. 18.

Sancti dicuntur conſedere in Cæleſtibus in Chriſto quatenus eſt caput noſtrum. 284.

Sanguis eſt pars corporis humani. 341. quis ſit ille qui veneratur in terris uti Sanguis Chriſti. 232.

Sedere in Throno Patris ſolius Chriſti eſt. In Throno Chriſti per judiciariam poteſtatem etiam Apoſtolorum. 284.

Sepulchrum Chriſti etiam nunc extat. 210.

Sepultura Chriſti aliena non ſua, monumentum novum. 206.

Seſſionis nomine quid intelligatur, illa Chriſti ad dexteram Patris eſt fidei articulus. 28.

Siclus quid & quanti valoris. 82.

Signa adventus Spiritus Sancti quæ. 306.

Simon quare dictus Cyreneus. 119.

Socinus negabat Reſurrectionem. 247.

Spinæ coronæ Chriſti erant junci marini, quot incertum. 113.

Spiritus Sanctus miſſus viſibiliter ſuper diſcipulos. 294. quare poſt Aſcenſionem Chriſti. 295. procedit à Patre, & Filio. 296. in die Pentecoſtes deſcendit ſuper Apoſtolos, & alios in Cænaculo. 304. quare in ſpecie Columbæ ſuper Chriſtum, & ſuper Apoſtolos ſub ſpecie ignis. 308. contulit Apoſtolis non primam gratiam, ſed gratiæ robur & augmentum, gratiam ſeptiformem & duodenarium fructum, & gratias gratis datas. 309.

Sponſus nuptiarum Canæ pauper, an dives? 22. non fuit Joannes, quis fuit? 22.

Sudarium Chriſti ſervatur Romæ in Eccleſia D. Petri. 125.

Surreptio dupliciter accipitur. 99.

T

TEmpus Transfigurationis Chriſti. 33. Crucifixionis anno decimo nono Tiberii. 159. ætatis Chriſti anno trigeſimo tertio. 160. menſe Martio die vigeſima quinta. 163.

Tenebræ in morte Chriſti ſuper univerſam terram, & non ſuper ſolam Judæam. 172. Harum notitia extat in archiviis Romanis. 173. & apud auctores Græcos. 175.

Terræmotus in morte Chriſti etiam extra Judæam. 173. 184.

Teſtes Aſcenſionis Chriſti. 279.

Te-

Teſtimonium *Joſephi de Reſurrectione Chriſti, & de Pilato*. 219.

Titus *quomodo interpres Pauli*. 323.

Transfiguratio *Chriſti miraculoſa*. 27. *duplex miraculum*. 32.

Triginta *argentei quibus Judas vendidit Chriſtum quanti valoris*. 87.

Trinitas *tota apparuit in Baptiſmo Chriſti, & Transfiguratione*. 37.

Triſtitia *in Chriſto quomodo conjuncta gaudio*. 197.

Turbæ *Hebræorum videntes virtutes & miracula Chriſti clamabant Hoſanna*. 44.

Veritas *Reſurrectionis Chriſti*. 216.

Veronica *utrum una ex mulieribus ſequentibus Chriſtum*. 123. *non eſt nomen mulieris, ſed faciei impreſſæ in Sudario, quaſi dicat* Vera Icon. 124.

Veſtimenta *Chriſti quomodo alba ſicut nix in Transfiguratione*. 31. *Hebræorum ſtrata in via erant humi, & in viam projecta*. 43.

Vigiliæ *dierum*. 56.

Virtus *moralis non minuit dolorem externum*. 194.

Umbra *Chriſti non ſalvavit Latronem*. 154.

Vox *Patris in Baptiſmo & Transfiguratione Chriſti*. 36.

V

VElum *Templi duplex*. 180. *exterius ſciſſum in morte Chriſti*. 181.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google